NAZIONALE
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
14
3 Q
7 K

14-7-K-8

91088

# ARISTOTELIS Stagiritæ de anima libri tres,

è Græco, quàm proximè fieri potuit, in linguam Latinam traducti, Gentiano Herueto Aurelio interprete.

ITEM, In eoſdem libros, Ioannis Grammatici Philoponi Commentarius, ab eodem verſus.

Colleg. Roman. Societ. Iesu
Cat. Inscrip.

LVGDVNI
1544.
Ad interſignium Sphæræ, apud AEgidium & Iacobum Huguetan, fratres.

CVM PRIVILEGIO REGIO
Ad ſexennium.

B. S.

.30

# EXTRAICT DV PRIVILEGE.

FRANCOIS par la grace de Dieu Roy de France, au preuoſt de Paris, Seneſchal de Lyon, & à tous nous aultres iuſticiers, ou leurs lieutenãs ſalut. Receu auons l'humble ſupplication de noſtre cher & bien aimé Gentian Heruet natif de noſtre ville d'Orleans, contenant que depuis quelque temps en ca, il auroit prins grand peine & labeur, & cõſommé grande partie de ſon temps à reuoluer pluſieurs auteurs tant Grecs que Latins, à ce qu'il fiſt plus aiſeément la translation & reduction de Grec en Latin de certain commentaire ſur les troys liures de anima d'Ariſtote d'vng Philoſophe nommé Ioannes Grammaticus Philoponus homme de grand ſcauoir, & grandement eſtimé & renommé entre les Grecs : laquelle translation il auroit auec grand cure ſoing & labeur depuis quelque temps parachevée: & pour ce faire il luy auroit conuenu laiſſer toutes ſes aultres affaires & negoces, & ſoy y employer totallement: Et maintenant apres qu'il a reduict & traduict en bien bonne forme ledict commentaire, comme il appert par l'inſpection d'icelluy : il voudroit voluntiers le faire imprimer, à ce qu'il ſe ſentiſt aulcunement recõpenſé de ſes labeurs par le biẽ qu'aucuns aimans les lettres en pourroient par ce moyen receuoir : La quelle impreſsion dudict liure ne ſe pourroit faire ſans grans fraiz miſes & coſtages, attendu la qualite & grandeur du volume: Et encores quand il ſeroit imprimé, doubte que pluſieurs aultres ſe voulſiſſent ingerer à l'imprimer, & en ce faiſant le fruſtrer de ſeſdictz labeurs peines & vacations, par la multiplication des impreſsions & imprimeurs, qui vouldroient entreprendre d'imprimer ledict liure, qui y pourroient cõmettre pluſieurs erreurs & fautes en iceluy, au grand ſcandale deshoneur & preiudice dudict ſuppliant : Si nous a faict humblement ſupplier & requerir luy vouloir permettre de faire imprimer ledict liure par tel imprimeur à luy fidele, qu'il voudroit choiſir & eslire en noſtre Royaulme, en faiſant inhibitions & defenſes à tous imprimeurs & libraires de n'imprimer n'expoſer en vente ledict liure, qui pourroit ( peult eſtre) auoir eſté imprimé ailleurs, qu'en noſtre dict Royaulme, iuſques à ſix ans prochainement venans, ſur peine de confiſcation deſdictz liures par eulx imprimés, ou faictz vendre & diſtribuer. Pource eſt il que nous deſirans fauorablement traicter les gens de lettres & ſcauoir eſtans en noſtre dict Royaulme, à ce qu'vng chaſchun de noz ſubiectz prenne exẽple de s'eſuertuer, à aprendre ſcience par la quelle on paruient à tout honeur & vertu, inclinant à la ſupplication & requeſte dudict Heruet ſuppliãt, à iceluy pour ces cauſes auons permis & ottroyé, permettons, ottroyons, voulons, & nous plaiſt, que par telz des imprimeurs de noſtre Royaulme que bon luy ſemblera, il puiſſe & luy ſoit loyſible faire imprimer ledict liure deſdictz Commentaires dudict Ioannes Grammaticus Philoponus par luy translaté de Grec en Latin, comme dict eſt, iuſques au temps & terme de ſix ans prochainement venans, ſans ce que durant ledict temps aultres imprimeurs que celuy ou ceulx auquelz ledict ſuppliant aura donné charge, le puiſſent imprimer, ne faire imprimer, vẽdre, ne faire vendre ou diſtribuer en aucune maniere. Si vous mãdons & commettons par ces preſentes, & à chaſcun de vous ſi comme à luy appartiendra, que de noz preſens grace permiſſion & ottroy vous faictes ſouffres & laiſſes ledict ſuppliãt, & ceulx à qui il aura dõné charge de ladicte impreſsion, ioyr & vſer pleinemment & paiſiblement, en faiſant, ou faiſant faire inhibitions & defenſes de par nous à tous aultres imprimeurs & perſonne quelconque, de n'imprimer, ne faire imprimer, vendre ne diſtribuer ledict liure, durant ledict temps des ſix ans prochainemẽt venãs, ſur certaines & grans peines à nous à appliquer, & de perdition deſdictz liures. Car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à la Fere ſur Oyſe le vintquatrieſme iour d'Octobre l'an de grace mil cinq cens quarante troys, & de noſtre regne le vingtneufuieſme. Ainſi ſigné

Par le Roy en ſon conſeil

Coeſier

# ILLVSTRISSIMO

## ET REVERENDISSIMO DO-
mino D. Rainaldo Polo tituli ſanctorum Ne-
rei, & Achillei cardinali Gen-
tianus Heruetus
S. D.

QVOTIES ætatis meæ per varios labores, & plurima rerum diſcrimi-
na in hodiernum vſque diem traductæ venit in mentem (Venit autem ſæ-
piſsimè Reuerendiſsime domine) toties maximam eius partem in nobi-
liſsima tua familia exactam fuiſſe recorder neceſſe eſt. Ex quo enim vir do-
ctiſsimus, & tibi cum propter ingenium & doctrinam, tum propter exi-
miam virtutem, coniunctiſsimus Thomas Lupſetus patronus & præce-
ptor meus me ad Arcturum polum fratrem tibi chariſsimum deduxit, ad
id vſque tempus, quo te quidem Auenione relicta in Italiam contuliſti: ego verò cùm vel
res, & rationes meæ id poſtularent, vel ſors mea ita ferret, Aureliam rediĳ, id fuit autem qua-
tuordecim plus minus annorum interuallum, aut cum tuis, aut tecum ſum perpetuò verſa-
tus. Illius autem temporis maiorí ne cum voluptate, an dolore mihi ſe offerat cogitatio, ne
dicere quidem poſſum. Nam cùm totius tuæ, que tunc erat, familiæ elegantiſsima forma,
velut imago pulcherrima, mihi ante oculos obuerſatur, incredibile eſt profectò quãtis læti-
tĳs efferar. Simul enim videre videor admirabilẽ illam, & diuinã, ſi vſquam in terris exiſtat,
virtutis, & dignitatis ſpeciem, quæ ſi oculis corporeis cerni poſſet, eam incredibilem ſui
amorem excitaturam non fruſtra dicit Plato. In tua enim domo ad bene & honeſte viuen-
dum omnia ita compoſita, & ſingulari quadam ratione inſtituta, & comparata erant, vt ne-
mo eſſet, modo ne efferatiſsima & ab omni humanitate remotiſsima natura, qui, ſi paulò
diutius in ea habitaſſet, non ſe & Sarisber. comitis matris tuæ primariæ fœminæ, & tuo,
omniumq́ tuorum fratrum exemplo plurimum ad virtutem accendi, & inflammari ſen-
tiret. Is enim erat totius eorum vitæ ordo, ea dictorum & factorum grauitas, conſtantia,
moderatio, & rerum omnium perpetuus quidam concentus, & quædam veluti harmonia,
vt cùm omnia laudares, admirareris, ſuſpiceres, vix in eis quidquam poſſes meritò requi-
rere. Non poſſunt ergo hæc ſine iucundiſsima eorum recordatione meo vnquam animo
obuerſari. Sed me rurſus incredibilis dolor inceſsit, quoties in mentem venit, quàm indi-
gnè hæc tua ampliſsima, & quæ toti Angliæ vel maximum lumen erat, familia, non multis
abhinc annis agitata, raptata, lacerata, & poſtremò euerſa, ac per ſummam crudelitatẽ pro-
pe deleta fuerit. Sed ea me cogitantem hoc imprimis conſolatur, quòd cùm bellum cum
pietate & religione, & cum omni deniq́ virtute gerendum eſſet, ad idq́ ſuſcipiendum, aut
certe perficiendum domus tua impedimenti nõnihil afferre poſſe videretur, non ob vllam
eius culpam, ſed ob peruerſam neſcio quam ſuſpitionem excindenda viſa eſt. Nihil enim
eſt quod maiore nos ſolatio afficere debeat, quàm ſi eos intellexerimus, qui mortem ex no-
ſtris obeunt, omni penitus culpa vacare. Cæſus eſt itaq́ fortiſsimus frater tuus: cæſa eſt &
ſanctiſsima fœmina mater tua, nullo non modo admiſſo crimine, ſed vita etiam innocentiſ-
ſime, & integerrime acta. Iis ego tantum abeſt vt violenta hac morte quid mali accidiſſe exi-
ſtimem, vt quòd ab hoc corporis ergaſtulo liberati ad meliores, & trãquilliores ſedes euo-
lauerint, beatos eſſe dicere non dubitem. Si enim noſtra immortalis eſt anima, vt & certiſ-
ſimis ac validiſsimis argumentis diuinus in Phædone probat Plato, idq́ tam aperte ſacræ
teſtantur literæ, & perpetuus omniũ gentiũ omni tempore confirmat conſenſus, vt ex Chri-
ſtianorum numero penitus arcendus ſit, qui vel tantillum de eo dubitauerit, quis non intel-
ligit eos illic præſtabilius eſſe, vbi rectè actæ vitæ præmia primæ omnium cauſæ, & lucis in-
acceſsibilis contemplatione fruentes accipiant, quàm in his mutabilium indies rerum tene-
bris, & denſa caligine inuolui, & diu deliteſcere? Sed exorti ſunt hodie prohdolor nonnul-
li, qui hanc veriſsimam de immortalitate animæ ſententiam oppugnare conantur. Atque ĳ
quidem ſunt, qui quoniam omni penitus religionis, & pietatis nomini infeſti ſunt, ἀθέων co-
gnomen iure ſortiti ſunt: qui non alia ratione ſe melius poſſe θεομαχεῖν iudicauerunt, quàm ſi,
quod in eis eſt, diuinam ſui partem prius penitus extinguerent. Quo quidẽ errore nihil ſce-

leratius, nihil pernicioſius, & exitialius in humanum genus inuehi poteſt. Si enim hoc pro certo reciperetur, quid reliquum eſſet, quo improborum hominum ad ſcelus omne anhelantium audacia refrenaretur, & bonorum, qui pro pietate, & religione, & pro omni denique virtute, vel maxima & grauiſsima patiuntur, fiducia, & ſpes recrearetur? Miſerrimum omnium futurum hominem Diuus ſcribit Paulus, ſi futura reſurrectio tollatur. Melius autem tolli non poteſt, quàm ſi anima morti eſſe obnoxia aſſeratur. Sed bene habet, quod quam ad audaciam omnem, & ſcelus patere volunt, feneſtram, ea illis facile occluditur, & falſa eorum eſſe de anima ſententia conuincitur. Hoc ante & à Pherecyde Syro, & Pythagora Samio, & philoſophorum omnium ſummo Platone, & ab omnibus deniq; maiorum gentium philoſophis, fruſtra voluptarijs reclamantibus Epicureis, probatum eſt. Quænam eſſet Ariſtotelis de anima ſententia dubium fecerat Alexāder Aphrodiſæus, qui, cùm alioqui ſit optimus Ariſtotelis interpres, dum ad ſuam opinionem Ariſtotelem vel inuitum attrahere conatur, ab eo lōge defecit, & toto, quod aiunt, cœlo aberrauit. Quod quidē in ſuo in tres de anima libros longe doctiſsimo commentario pulchre oſtendit Ioannes Grammaticus Philoponus, qui ex ipſius Ariſtotelis ſententia immortalem animam ita aperte probat, vt inanem fuiſſe Aphrodiſæi laborem facile appareat. Cùm is ergo commentarius ſit mihi ad mentem Ariſtotelis aſſequendam viſus lectu longe digniſsimus, eum non ſine maxima difficultate in Latinam linguam conuerti, eumq; literarijs typis excudendum curaui.

Porro cùm apud me conſidero, quantum & vniuerſæ tuæ familiæ, & tibi imprimis debeam, à quo ad virtutem & doctrinam ſum verbo, & exemplo à teneris annis aſsidue inflammatus, & adiutus, qua poſſum ratione gratam meam in te voluntatem hoc meorū ſtudiorum qualicunq; fructu tibi oblato teſtificans, te oro, & obſecro, vt eum hilari fronte accipias, & me tuo auxilio aduerſus malignorum inuidiam, & detrectationem protegas. Vale.

Lugduni Calendis Nouembris.

M. D. XXXXIII.

# Ioannis Alexandrini Philoponi in librum Ariſtotelis de anima Prologus.

CVM, QVAE de anima ſcripta ſunt, à nobis audienda ſint, neceſſe eſt, ut de animæ potentijs ſeu facultatibus prius dicamus: & quot modis diuidantur: & quod unaquæq; nomē ſortita ſit. Primum quidem animales facultates in duo diuiſionem recipiunt. Earum enim hæ quidem ſunt ratione prǽditæ: Illæ autem rationis expertes. Earum autem facultatum utraq; in duas rurſus diuiditur. Ratione enim prǽditarum hæ quidem ſunt uitales, & appetitiuæ: Illæ autem cognitiuæ. Similiter autem diuiduntur &, quæ ſunt rationis expertes. Rationales autem & cognitiuæ animæ facultates in tres rurſus diuiduntur. Alia enim eſt opinio: alia cogitatio: alia autem eſt mens ſiue intellectus. Opinio itaq; circa uniuerſale, quod in ſenſilibus conſiſtit, uerſatur. hoc enim cognoſcit. Scit enim, quòd omne album eſt uiſus diſgregatiuum, & quòd omnis homo eſt bipes. Præterea autem & eorum, quæ cogitatione comprehenduntur, ſcit ſine ratione concluſiones. Scit enim, quòd anima eſt immortalis. Cur autem immortalis eſt anima, non nouit opinio: hoc enim eſt cogitationis opus: opinionis autem tantū ſcire quòd eſt. Eſt itaq; opinio id, quod cognoſcit, quod in ſenſilibus eſt uniuerſale, & eorū, quæ cogitatione percipiuntur, concluſiones. Vnde & pulchre definit opinionem in ſophiſta dialogo Eleates hoſpes, cùm eam cogitationis finē, & exitum eſſe dicit. Cùm enim ratiocinatione cogitatio comprehenderit, quòd anima eſt immortalis, accepta opinio concluſione hoc tantum ſcit, quòd eſt immortalis. Cogitationis autem eſt quandam uelut uiam perficere, dum à propoſitionibus ad concluſiones traijcit, unde & Græce διάνοια nomē accepit, quòd διὰ νοῦ, id eſt, per intellectum tranſeat. Quemadmodum quærit cogitatio unde hoc fit, quòd anima eſt immortalis: deinde à manifeſtioribus incipiens ad id, quòd quæritur, peruenit, dicens quòd anima eſt per ſe mobilis: quod per ſe eſt mobile, ſemper eſt mobile. Id autem eſt immortale. anima ergo eſt immortalis. Mentis autem ſeu intellectus opus eſt ſimplicibus notionibus & applicationibus, idq; melius, quàm per demonſtrationem, ad res accedere. Quemadmodū enim ſenſus, cùm ad album, uel ad aliquam forte figuram acceſſerit, melius quàm per demonſtrationem eius cognitionem accepit: non enim ratiocinatione ad hæc opus habet, quòd hoc eſt album, ſed ſimplici notione & applicatione hoc cognoſcit. Ita & intellectus ſimplici notione intelligibilia melius cognoſcit, quàm demonſtratione. Intellectus autem operatio illis ſolis adeſt, quibus ad ſupremam purgationem & ſcientiam perueniſſe contigit, & qui per purgatiuas uirtutes ſine imaginatione & ſine ſenſu operari ſunt aſſuefacti. Eſt enim intellectus ueluti perfectiſſimus animæ habitus. De eo itaq; loquens Plotinus, inquit, Qui autem operatus eſt, is demum ea, quæ dico, intelligit: quaſi eiuſmodi conſtitutione uerbis quidē explicari poſſit. Verſatur itaq; intellectus quidem circa intelligibilia. quæ definiens Timæus mētis agitatione una cum ratione dicebat eſſe comprehenſibilia. Cogitatio autem circa ea, quæ intellectu ſunt perueſtigabilia. Opinio uerò circa opinabilia. Quæ ipſa quoq; opinabilia Timæus dicit eſſe opinione cum rationis experte ſenſu opinabilia. Earum autem facultatum primum quidem habet locum intellectus: ultimum uerò opinio: medium autem cogitatio, cui cum anima noſtra familiaritas eſt & aſſociatio, quoniam & ipſa medium, qui eſt in uniuerſo, locum obtinet. Et per eam quidem, dico autem cogitationē, erigitur anima noſtra ad intelligibilium contemplationem, quæ eſt animæ perfectio. Quoniam enim anima noſtra una cum ſenſilibus uerſatur, & nutritur, non poteſt propter eam, quæ ei intercedit cum ſenſilibus, conſuetudinem ad intelligibilium, & immaterialium contemplationem ſeipſam attollere: ſed & ea corpora eſſe exiſtimat, & magnitudines habere, & quæcunq; ſunt in ſenſilibus, ea in illis quoq; phantaſia imaginatur. Sic & Plato in Phædone dicit eorum, quæ ſunt in nobis, hoc eſſe difficillimum, quòd quando cogitationem à corporis pondere parumper abduxerimus, & eam ad rerum diuinarum contemplationem transferre uoluerimus, incurrit, & ſe inijcit imaginatio, quæ tumultum nobis ciet, & exiſtimationem nobis præbet, quòd id, quod diuinum eſt, corpus eſt, & magnitudinem habet, & figuram, nec permittit ut de Deo citra corpus, & figuram cogitemus. Propterea oportet animā ad ſuam perfectionem procedentem primum ſecundum cogitationem operari, quæ rerum quodammodo media obtinet. Eiuſmodi autem ſunt, quæ animi agitatione ſunt perueſtigabilia: cuiuſmodi ſunt & anima noſtra, &, quæ eius eſt, contemplatio. Præterea autem & mathematica, quæ quidem eſſentiam habent immaterialem, & ſi non ſubſtantiam: ut in his immaterialiter operari aſſuefacta, uia & methodo progredi, & ad ea, quæ à materia ſunt omnino ſeparabilia, dico autem diuina, peruenire poſſit. Vnde & Plotinus, Ducantur, inquit, per mathematica adoleſcentes, ut incorporeæ naturæ aſſueſcant. Si autem cogitatio etiam de intelligibilibus ratiocinatur, non hoc quidem per ſe, ſed menti coniuncta facit: quemadmodum & de ſenſilibus ratiocinatur imaginationi coniuncta. Huius igitur mentis ſeu intellectus & ſi non multi ſumus participes, ueſtigia tamen, & ſpecies quædam ad nos peruenerunt. Hæ autem ſunt communes animis noſtris informatæ notiones, quas citra demonſtrationem, melius autem, quàm per demonſtrationem, omnes cognoſcimus: quemadmodum, quòd quæ eidem ſunt æqualia, & inuicem ſunt æqualia, quòd ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ ſuperſunt ſunt æqualia, quòd in quouis eſt affirmatio uel negatio, quòd omnia bonum appetunt, & quæcunq; ſunt eiuſmodi. Ad eorum enim fidem faciendam probatione nobis nō eſt opus, ſed per primam mentis applicationem melius, quàm per demonſtrationem, ea cognoſcimus. Hæ itaq; communes, quæ ad omnes perueniunt, notiones manifeſtæ quidem mentis ſunt imagines. Quare ſcientiæ quoq; principium mentem ſeu intellectum uocant, quo quidem, quæ ſunt intelligibilia cognoſcimus. De eo autem & Ariſtoteles in demonſtratiuis aduerſus eos, qui ſcientiam non eſſe exiſtimabant, dicebat. Non ſolum ſcientiam eſſe dicimus, ſed & ſcientiæ principium, quo terminos cognoſcimus, terminos appellans uel cōmunes notiones & eos, qui ſunt in ſyllogiſmis, terminos: omnem enim ſyllogiſmum à communibus notionibus principium capere oportet, quæ quidem, ut dicebamus, etiam ab intellectu ad nos deueniunt. Citra demonſtrationem enim ſcimus, quod hoc quippiam homo eſt, uel anima,

uel tale quid: uel intelligibilia terminos uocat, tanquam eorum, quæ ſunt, fines. Terminum enim eſt, ut ait Geometer, quod alicuius eſt finis. Scientiæ igitur principium dicit eſſe intellectum. Per eum enim communes habemus notiones, ex quibus intellectus, tanquam ex principijs, ſcientificas demonſtrationes facit. uel igitur terminos dicit intelligibilia. ea enim eorũ, quæ ſunt, extrema ſunt. dicimus itaq;, inquit, eſſe intellectum, quem ſcientiæ principium appellauit, quo intelligibilia cognoſcimus. Ea enim ſunt termini, tanquam fines. Eſt autem operæ pretiũ quærere, quoniam dicebamus opinionem quidem quòd eſt ſcire, cur autem eſt ueſcire, dicebamus autem &, quòd in ſenſilibus eſt, uniuerſale cognoſcere, & eorum quoq;, quæ animi agitatione percipi poſſunt, concluſiones, unde opinioni uniuerſalis in ſenſilibus ſit cognitio? Quis enim demonſtrauit, quòd omnis homo bipes, ut omnem hanc concluſionem ſibi acceperit? Quemadmodum in his, quæ mẽtis & intellectus agitatione percipiuntur, cùm demonſtraſſet cogitatio quòd anima eſt immortalis, acceptam concluſionem anima detinet. Neque enim cogitatio hoc demonſtrauit, dico autem, quòd omnis homo bipes, uel omnis equus hinnitiuus, uel quæcunq; eiuſmodi. neq; enim fieri poteſt, ut ex particularibus uniuerſale probetur. Neq; enim quoniam Xanthus & Balias quadrupes, &, qui in hoc, & in illo loco equi ſunt, adhuc dici poteſt, quòd omnes: neque quoniam hic, uel ille Aethiops niger eſt, adhuc uidelicet & omnis Aethiops niger. Quòd igitur cogitatio ſenſile non demonſtrat, clarum eſt. Quòd autem neq; imaginatio, neq; ſenſus, & hoc eſt longe apertius. Et, quando de iis dicemus, adhuc erit longe manifeſtius. Earum enim unuſquiſq; particulare aliquid cognoſcit. unde igitur opinio, quod eſt ſenſilium uniuerſale cognoſcit? Et dicimus, quòd maximè quidem fieri poteſt, ut cogitatio, quòd in ſenſilibus eſt uniuerſale, ratiocinatione colligat. quemadmodum fecit Ariſtoteles in aſtris. Cùm ea enim eſſe ſphærica demonſtrare uellet, per unum hoc adſtruit, nempe lunam. Ait enim, quòd in iis, quæ ſunt eiuſdem ſubſtantiæ, quemadmodum ſe habet in uno, neceſſe eſt & in omnibus ſe habere. ſunt autem omnia aſtra eiuſdem ſubſtantiæ. Demonſtratum eſt autem, quòd luna eſt ſphærica, clarũ eſt igitur, quòd & alia erunt ſphærica. Et iis, qui fumum uiderunt, ratiocinatione licet colligere, quòd in eo loco, in quo fumus eſt, ignis eſt ſic. In hoc loco fumus eſt. omnis fumus ex igne eſt. In hoc ergo loco ignis eſt. Fieri igitur fortaſſe poteſt, ut dicebam, ut intellectus de quibuſdam particularibus uniuerſale colligat, & ſi non in omnibus. Sed dico, quòd anima ratione prædita habet rerum rationes ſuæ ſubſtantiæ impreſſas, &, ut rem melius exprimam, conſubſtantiatas, quoniam autem materiam ſubierunt, ueluti oppreſſæ & obrutæ ſunt, ut, quæ in cinere obruta celatur, ſcintilla. Quẽadmodum igitur, quando quis cinerem parum effoderit, ſcintilla ſtatim emicat: & non, qui effodijt, ſcintillam effecit: ſed ſolum, quæ erant impedimento, amouit; ſic & opinio à ſenſu excitata eorum, quæ ſunt, rationes proponit. Sic & præceptores aiunt non cognitionem quidem nobis inſerere, ſed eam, quæ in nobis quidem eſt, ſed abſconſa ueluti deliteſcit, demonſtrare. Si enim in nobis non eſſent eorum, quæ ſunt, rationes, quare intelligeremus, quando quis præter rerum naturam diſſerit: ut ſi duo de anima diſſerant, hunc quidẽ condemnamus, & reprehendimus, quòd non, ut rerum naturæ conueniebat, diſputauerit: illi autem aſſentimur, & ueriora dicere profitemur. Ad quid igitur conferentes ea, quæ ab illis dicta ſunt, dicimus illum quidem uera dicere: hunc autẽ non: niſi in nobis eſſet rerum ratio, nunquid manifeſtum eſt, quòd ad eas, quæ in nobis abſconſæ ſunt, de anima notiones à diſputantibus excitatas conferentes, eos uel uera, uel falſa dicere aſſerimus? Sic & opinionem dico, cùm ſenſus didicerit, quòd hic & ille bipes eſt, ab eo excitatam in memoriam redigere, quòd & omnis homo eſt bipes. Conuenientius autem etiam dici poteſt ea quoq; communes eſſe notiones & mentis quaſdam adumbrationes. Quæcunq; enim melius quàm per demonſtrationem ſcimus, ea per communem notionem ſcimus. Quæ autem ut à nobis cognoſcantur demonſtratione indigent, eorum concluſiones abſq; demonſtratione ſcire opinionis opus eſt. Quemadmodum ſcit ſine ratione quòd anima eſt immortalis, eo, quòd eorum cognitio eſt cum demonſtratione. Sicut ſine demonſtratione ſcimus, quòd omnis homo eſt ad ridendum aptus.

Irrationalium autem animæ facultatum hæ quidem ſunt cognitiuæ: illæ autem animales, & appetitiuæ. Et cognitiuæ quidem ſunt imaginatio, & ſenſus. hæ autem inuicem differunt, quòd ſenſus quidem ad id, quod extra eſt, extenditur. Imaginatio autem intus habet cognitionem. ſenſus enim id ſolum, quod præſens, &, quod exterius apprehendit, nouit: Imaginatio autem acceptos à ſenſu ſenſilium typos in ſeipſa refingit. Quare & Ariſtoteles paſſiuam eam mentem appellat. Mentem quidem ut, quæ, quod cognoſci poteſt, intus contineat, ad idq; ſimplici notione, ſicut & illa, abſq; confirmatione & probatione accedat: paſſiuam autem eo, quòd cum typis & non citra figuram cognoſcit. Appellata eſt autem Græcè imaginatio phãtaſia, perinde ac ſi dicas φαντασία. Eſt enim phantaſia eorum, quæ apparuerunt, ſtatus. Siſtit enim in ſe ipſa ea, quæ foris apparuerunt. Earum autem utrunq; circa particulare extenditur. hoc enim album nouit, non autem omne album. Differunt autem quòd hic quidem, quod extra eſt, illa autem, quod intus eſt, nouit. Et phantaſia quidem quinq; ſenſuum typos recipit. ſinguli autem ſenſus id ſolum norunt, quod ſibi eſt proprium ſenſile. Appetitiuarum autem & uitalium hæc quidem eſt animus, qui & ira dicitur: illa autem cupiditas. Quæſiuerit autem aliquis quomodo animum in diuiſione cupiditati opponi dicimus. Quid enim, an non & animus ei par referre cupit, qui prius dolore & moleſtia affecit? Quid uerò, nunquid & ratio diſciplinas & contemplationes appetit? Ad hoc dico, quòd eſt cupiditas, quæ communius: eſt &, quæ ſpecialius dicitur. Quemadmodum enim diſpoſitio dicitur communiter & de habitu, dicitur autem & ſpecialiter, quæ in diuiſione habitui opponitur, ſic cupiditas dicitur & communiter in omnibus animæ facultatibus: dicitur & ſpecialius, quæ animo ſeu iræ in diuiſione opponitur. Quoniam enim prouidentia uos, quæ hic ſunt, ornaturos miſit, hanc nobis ueluti hæreditatem ſorte datam ſeruandam credidit. ut autem hoc faciamus, quoniam multa ſunt, quæ huic hæreditati detrimentum & exitium afferunt, eſt autẽ & natura fluxa, & corruptioni obnoxia, dedit nobis iram & cupiditatem: ut hac quidem, quæ nos uexant, nobisq; perniciem creant, repellamus: illa autem, quod effluit inſtauremus, & reparemus. Hæ ſunt itaq; rationales, & ratione carentes animæ facultates. Rationalium quidem cognitiuæ facultates diuiſæ ſunt. Actiuæ autem ſunt Voluntas & Electio. Et uoluntas quidem ſolius eſt boni. Electio autem in utramuis partem anceps eſt. Et uoluntas quidem ipſius eſt ſecundum ſe rationalis animæ. Electio autem eius, quæ eſt cum irrationali parte colligata & contexta. Quando enim extra generationem eſt anima, ſecundum uoluntatem ſolam operatur. in ſolo enim eſt bono. ſed poſtquam in generatione fuerit, quoniam ei contexuntur rationis expertes facultates, propter eas, quas dicemus, cauſas, tunc per irrationalis partis connexionem ſiſtit electionem. Quamobrem aliquando quidem in irrationali parte, aliquando autem in ratione uerſatur, & hoc ante illud eligit. Hæ ſunt itaque rationales animæ facultates. Præter has autem ſunt quæ plantales ſeu uegetatiuæ appellantur, Nutritiua, Auctiua, & Generatiua. Plantales autem dicuntur, quòd eæ ſolæ in plantis uidentur. Irrigata enim & ſtercorata aluntur & augentur, &

ſibi ſimile generant. Vitis enim ex uite, & olea ex olea. Vt igitur ſummatim dicam, ſumus & homines, & animalia, & animata. Et ut homines quidem rationales, quas enumerauimus, facultates habemus: ut animalia autem irrationales: ut animata uerò plantales. Animata enim dicimus & plantas. Animatorum enim eſt augeri, & nutriri, & ſibi ſimilia giguere. dicuntur autem & ipſa uiuere, & mori. Vita autem & mors fit animæ præſentia, & abſentia. Quæcunq; igitur meliores habent uitas, deteriores quoq; habeant neceſſe eſt, non autem uiceuerſa. Neq; enim fieri poteſt, ut rationales facultates habeant, qui inferiores non prius habuerint. Et in ſenſibus quidem certe meliores non licet eſſe participem, qui deterioris non fuerit particeps. Quæcunque itaq; uiſu prædita ſunt, ea & auditu & reliquis: & quæcunq; auditu, ea & odoratu, & guſtu, & tactu prædita ſunt, non omnino autem & uiſu, ut talpa. Sunt quædam certe, quæ tactu tantum prædita ſunt, ut ſpongiæ. Quare melioris facultatis non licet eſſe participem, qui deterioris non fuerit particeps. Neq; uerò hoc ideo fit, quòd meliores deterioribus opus habeãt, ut ſubſiſtant, ſed contra corpus meliorum non poteſt eſſe particeps, niſi deteriorum prius particeps fuerit. Neq; enim poteſt corpus irrationalis eſſe particeps, niſi prius plantalis ſiue uegetatiuæ particeps fuerit. neq; rationalis, niſi utriuſq; horum fuerit particeps. Quoniam enim oportebat ex ſpeciebus nullam corrumpi, ne imperfectum eſſet uniuerſum, ſpecierum enim implementum mundus eſt: fieri autem non poterat, ut, quæ hic eſſent, eadem numero manerent, cum ſint generationi & corruptioni obnoxia, æternitatis & ipſa partem, quomodo potuerunt, aſſecuta ſunt, quandoquidem omnia primi æternitatem, tanquam proprij principij, appetunt. Et eam quidem unumquodq; ſecundum ſuam menſuram ex parte conſequitur. Qua de cauſa, quæ hic ſunt, cùm numero æterna eſſe nõ potuerint, eo, quòd unumquodq; ſibi ſimile generat, æternitatis partẽ adepta ſunt. Et hoc naturæ opus eſt, quod ea ſibi tanquam ſcopum in primis proponit, ut naturalium unumquodq; aliud ſibi ſimile generet. Quoniã igitur generatione opus habemus, Generatum autem facultas in definita fit magnitudine, opus habemus auctione. Quoniam autem auctio fit per nutrimentum, nutritiua opus habemus facultate. ob has cauſas & nos, & animalia plantalium ſumus facultatum participes. Quare, quando ſecundum has quidem facultates operamur, ut plãtæ operamur. Quando autem ſecundum iram & cupiditatem, ut expertia rationis animantia. Solùm autem ut homines operamur, quando ratione utimur. Quamobrẽ Plotinus admodũ diuinè dixit, quòd qui furioſe circa nutritiuas facultates operantur, periculũ eſt, ne ipſi in plantas & arbores conuertantur. Eſt autẽ operæprætium conſiderare, quid differat cupiditas à plantalibus ſeu naturalibus facultatibus, generatiua, & nutritiua. Neq; enim uidemus cupiditatis actionem circa quid aliud, quàm circa alimenta, & generatiuas facultates uerſari. Quare neceſſariò ſequi uideatur idem eſſe cupiditatem, quod plantales ſeu naturales facultates. Quid ergo dicemus? Non eſt idẽ. Cupiditas enim cum ſenſu operatur. Plantales autẽ ſeu naturales facultates ſine ſenſu. Quare ratione quoq; carentia animalia, cùm feminas uiderint, ad deſyderium commouentur. Eſt itaque cum cognitione quædam cupiditas: Sed non ſic plantales ſeu naturales facultates. Dormientes quidem certe ſemen ſæpe excernimus, cùm neo ullus ſenſus, nec ulla imaginatio præceſſerit, hoc ſcilicet ſecundum plantales uel naturales facultates operati. Quemadmodum enim quando ratio ab irrationali parte in ſeruitutem redacta fuerit, ipſa nullam non machinam adhibet, nullum non lapidem mouet, ut ſe uoluptate & rebus uenereis expleat: nec tamen propterea idem dicimus eſſe rationem, quod plantales ſeu naturales facultates. Sed plantalium quidem ſeu naturalium facultatum proprium eſt alimentum, & generationẽ inſenſiliter appetere: Cupiditatis autem tale alimentum, & talem coitum & ſimpliciter, quod eſt iucundum. Quid igitur? Vnus ne & idem finis eſt & cupiditatis, & plantalis ſeu naturalis facultatis? Dico non eſſe eundem. Sed huius quidem ſimpliciter eſt alimentum uel generatio: Cupiditatis autem finis eſt uoluptas. Eſt autem hic cupiditatis finis, ut, quemadmodum dicebam, hoc deſyderio & noſtram hereditatem, & generis ſucceſsionẽ ſeruemus. Rationis autem, quando ſe cupiditatis ſeruitio mancipauit, non dico huius operationis aliquem proprium eſſe finem, quòd ei præter naturam eiuſmodi ſit operatio. Quæ autem ſunt præter naturam, non aliquem ſibi finem ſpectandũ proponunt: non ſecus enim ac ſeruus, non ſuum ipſius, ſed cupiditatis finem parat uoluptatem. Ne cui autem uulgaris hæc dubitatio in mentem ueniat. Quid ergo? Tres animas habemus, & à tribus animis gubernamur? Dico autem, quòd quemadmodum huic corpori unita anima unam quandam actionẽ facere uidetur, re uera autem non una eſt: ſic irrationali & plantali ſeu naturali coniunctæ unam quandam continentiam facit propter connexionẽ, & contiguitatem. Cohæret enim rationali quidem irrationalis. Irrationali autem plantalis uel naturalis: propter eum autem, qui fit ex hac connexione, mutuum cõſenſum unam eſſe dicimus: & quòd, tanquam inſtrumentis, alijs utitur facultatibus irrationalis. Harum autem facultatum, dico autem & irrationalium & plantalium ſeu naturalium, hæ quidem rationali animæ magis accedunt: illæ uerò minus. Irrationales quidem magis accedunt, quòd ſuapte natura rationem magis audiunt. quò fit, ut cupiditates increpantes eas leniores reddamus:

At ſua percuſſo eſt affatus pectore corda. Et rurſus:
Cor tolera, & peius melius tolerare ualebis.

Aſſueſac teipſum ut poſsis iram, uoluptatem, & dolorem uincere. Sed quid in nobis dico? Etiam ex feris permultæ ratione manſuetiores euadunt. Plantales autem ſeu naturales facultates, ut quæ rationem non audiãt, à rationali anima longiſsime diſtant. Neq; enim nutritiuæ facultati eſt imperare, quouſq; nutriat: uel auctiuæ, quouſq; augeat. ſed neq; generatiuæ. Quapropter & præter uoluntatem noſtram ſæpe ſomniamus. Si autem etiã moderatiorem generatiuam faciamus, manifeſtum eſt, quòd non ipſam ſimpliciter facultatem, ſed cupiditatem reprimimus. Manet enim ipſa nihilo ſecius facultas, & ſi non operetur. Hæ quidem ſunt animæ facultates & rationales, & rationis expertes, & plantales ſeu naturales. Animam autem, ut ſummatim dicam, alij quidem dicunt eſſe incorpoream: alij uerò corpus. Et eorum quidem, qui corpus, alij ſimplex, alij compoſitum, Et eorum quidem, qui compoſitum, Alij ex connexis corporibus: Alij ex inconnexilibus. Eorum autem, qui ſimplex corpus animam eſſe dixerunt, Alij quidem æthereum eſſe corpus, idem eſt autem dicere cœleſte, affirmarunt, ut Heraclides ponticus: Alij ignem, ut Heraclitus, quando quidem & ignem eorũ, quæ ſunt, eſſe principium dicebat: Sic itaq; & animam eſſe igneam propter mobilitatem. Alij autẽ aëream, ut Anaximenes, & ex ſtoicis quidam. Alij autẽ ex aqua, ut Thales, & Hippo, qui ἄθεος cognominatus eſt. Quoniam enim ſemen ex humida uidebant eſſe ſubſtantia, propterea aquam quoq; exiſtimabãt rerum eſſe principium. Terram autem eam eſſe nemo auſus eſt dicere propter terræ grauitatem, & immobilitatẽ. Hi itaq; ſunt, qui ſimplex corpus eſſe dixerunt, ſunt enim hæc quinq; ſola ſimplicia corpora, qui quidem etiam ſoli ex ijs, qui corpus eſſe dicũt, eam poſſunt immortalem dicere. Eorum autem, qui compoſitũ corpus exiſtimauerunt, hi quidem ex inconnexilibus corporibus, ut Democritus, & Leucippus, &, ut ſemel dicam, quicũq; atoma, id eſt inſectilia corpuſcula, introducunt. Eorum enim, quæ ſunt, principia eſſe dicebant atoma, & inane: eſſe autem animam

*ex orbiculatis atomis propter mobilitatem. Alij autem ex connexis, & cōtextis, ut Critias ex triginta unus. Sanguinem enim animam eſſe dicebat. ait enim:*

*Eſt homini mens, qui eſt circum præcordia, ſanguis.*

*Eorum uerò, qui incorpoream arbitrati ſunt, alij quidem à corporibus ſeparabilem, alij inſeparabilem. Et eorum, qui inſeparabilem dicunt, Alij quidem dicebant eam eſſe proportionem temperaturæ, ſeu commixtionis, ut ſi duplum ignis aqua commixtum fuerit, uel ſeſqui, uel quid tale, animā facit. Dupla enim uel ſeſqui proportio ea anima eſt. Alij autem ipſam temperaturam, ſeu commixtionem. Alij autem entelechiam. Eſt autem entelechia perfectio, & forma ſubiecti. Differt autem proportio à temperatura. Proportio enim in ipſa quantitate cōſyderatur, in duplo, uel in ſeſqui, uel aliquo alio, & ut ſemel dicam, definitus huius ad illud ſecundum quantitatem habitus, hoc eſt temperatorum, ſeu commixtorum proportio. Temperatura autē qualitas eſt, quæ ex qualitatum mixtione efficitur, ut ex calido & frigido fit temperatura tepidum: ex albo, & nigro fit fuſcum. Entelechia autem eſt perfectio ſubiecti, id eſt forma, quæ materiæ accedit ex tali elementorum compoſitione, ſicut luto teſtæ forma. Eorum autem, qui ſeparabilem eſſe dixerunt, hi quidem omnem animam eſſe dixerunt à corpore ſeparabilem, & rationalem, & rationis expertē, & plantalem, ſeu uegetatiuam, ac naturalem: qualis erat Numenius à quibuſdam Platonis ſententiolis deceptus, qui in Phedro dicebat. Omnis anima immortalis, cùm illic de humana aperte uerba faceret. Quòd enim irrationalium mortalem ſciuit eſſe animam, manifeſte demonſtrabimus eius dicta afferentes, Alij uerò omnem inſeparabilem, & ideo mortalem, ut eſt Alexander Aphrodiſæus, qui ad ſuā etiam opinionem Ariſtotelem attrahere conatur. Alij autem rationalem quidem ſeparabilem: rationis uerò expertem, & plantalem uel naturalem inſeparabilem. Eorum autem hi quidem utraſq; à craſſo hoc corpore inſeparabiles. Alij autē plantalem quidem ſeu naturalem ſolam eſſe inſeparabilem: Irrationalem autem ab hoc quidem corpore eſſe ſeparabilem: ſed ab alio quidem certe corpore, nempe ſpiritali, inſeparabilem. Quæ quidem eſt uera opinio, ut demonſtrabimus. quam & Plato, & Ariſtoteles cæteris prætulerunt. Quòd enim etiam Ariſtoteles in hac ſit opinione, & hanc quidem animam ſciuit eſſe ſeparabilem, illam uerò inſeparabilem, multis ex locis licet aperte demonſtrare. In fine itaq; tractatus De partibus animalium, qui hūc paulò pòſt ſequitur, cùm dixiſſet, Quòd unaquæq; pars animalium ſecundum uitalē operationem deſignatur & exprimitur: ut cor, iecur, & cerebrum, & reliqua, hāc inquit operationem utrum animam uocare oportet, uel animæ particulam, uel de eo non ſine anima quærendum eſt. Nouit ergo multam latitudinem, uel potius profunditatem animarum. Et utrum, inquit, Phyſici eſt de omni anima quærere: uel non de omni, ſed de ea, quæcunq; eſt non ſine materia. Quare nouit animam à materia ſeparabilem. Si enim de omni anima phyſicus, inquit, diſſeret, planū eſt, quòd & de intellectu. Si autem & de intellectu, de intelligibilibus quoq; neceſſe eſt. Intellectus enim intelligibiliū eſt intellectus, ut ſenſus ſenſilium eſt ſenſus. Hæc enim ſunt ad aliquid: de intelligibilibus autem diſſerere primi eſt philoſophi. Eueniet itaque, ut phyſicus de omnibus, quæ ſunt, tractet, quod eſt abſurdū, & de ſenſilibus propter ſenſum, & de intelligibilibus propter intellectum. Et in ipſo de Generatione animalium tractatu, inquit. Videtur autem intellectus exterius introiiſſe, & eſſe diuinus. Cum nullo enim communicat eius operatio. Corporis enim eſt operatio. Et rurſus in eo lib. cùm de animæ affectibus, ira, & cupiditate, & alijs dixiſſet, quòd à corpore ſeparari nequeant, Propterea inquit, Phyſici eſt de anima conſiderare uel omni, uel tali quæcūq; eſt nō ſine materia. Nouit igitur aliquam animam à materia ſeparabilem. Et in ſecundo libro, cùm quæſiuiſſet de alijs animæ facultatibus, utrum unaquæq; anima eſt, uel pars animæ, De intellectu autem, inquit, & contemplatiua facultate nondum eſt apertum: Sed uidetur alterum eſſe genus animæ, & hoc ſolum ſeparari contingere, tanquam æternum à corruptibili. Et rurſus in tertio libro inquit. Si quidem intelligere eſt tanquam ſentire, uel pati aliquid ab intelligibili fuerit, uel tale quid aliud: paßionibus ergo & affectibus non obnoxiū eſſe oportet. Et paulopoſt. ſeparatur autem tantum id, quod eſt: & hoc ſolum immortale & æternum. non recordamur autem, quòd hoc quidē affectibus non eſt obnoxium. Mens autem paßiua eſt corruptibilis. Per hæc ergo aperte & affectibus non obnoxium, & immortalem, & æternum dicit eſſe intellectum, & ſecundum ſe ſeparabilem: imaginationem autem corruptibilem, quam paßiuam mentem appellauit. Mentem quidē, quòd à ſeipſa quòd cognoſci poteſt habet: paßiuam, quòd cum typis. Et rurſus in eodem libro. Qui ergo dicitur animæ intellectus, dico autem intellectum, quo cogitat, & meditatur anima, actu eorum, quæ ſunt, nihil eſt præter quam intelligere. Quare nec eum quidem corpori eſſe mixtum eſt conſentaneum. Et paulopoſt ſenſum ab intellectu diſcernens ait, quòd ſenſus quidē, qui maiora ſenſilia apprehenderit, obſcuriora, & minutiora apprehendere non poteſt: Mens autem, quò maiora intelligibilia apprehenderit, eo facilius minora apprehendit. Huius autem hanc cauſam eſſe dicit, quòd ſenſitiuum quidem non ſine corpore: Intellectus autem eſt ſeparabilis. Et rurſus. Et hic intellectus eſt inſeparabilis, & immixtus, & affectui non obnoxius ſubſtantia. Præterea autem ante hæc in primo libro. Intellectus autem uidetur ineſſe exiſtens quædam ſubſtantia, & non corrumpi: maxime enim ab ea, quæ eſt in ſenectute, debilitate, & languore corrumperetur. Et rurſus. Qualis enim pars, uel quomodo mēs continebit, uel fingere difficile. Et rurſus, De intellectu autem, & contemplatiua facultate nondum eſt apertum: ſed uidetur alterum eſſe genus animæ, & hoc ſolum ſeparari cōtingere, quemadmodum æternum à corruptibili. Vult ergo eum à corpore eſſe ſeparabilem, & non cum corpore operari, & præterea æternum eſſe. Cùm autē multa ſint, quæ afferri poſſunt, ut demonſtremus Ariſtotelem animam rationalem ſciuiſſe eſſe immortalem, & à corpore ſeparabilem, ſatis ſint, quæ dicta ſunt. Quòd autem Plato rationalem animam immortalem eſſe nouit, ſuperuacaneum eſt dicere: Quòd autem rationis expertem mortalem cognouit, ſufficiunt, quæ in Timæo dicta ſunt. Poſtquam enim, inquit, opifex diuinam omnem naturam fecit uiſibilem, & inuiſibilem, dicit, inquit, illis, quòd tria mortalia genera ad uniuerſi ornatum deſunt, terrenū dicens, aëreū, & aquatile: quibus non factis, imperfectus erit mundus. Cùm hæc autem per me facta, & uitam adepta fuerint, deis æquari poßint. ut igitur ſint mortalia, & hoc uniuerſum rectè ſe habeat, conuertimini uos ſecundum naturam ad mortalium animalium opificium, meam imitantes potentiam circa ueſtram generationem. Quatenus autem idem cum immortalibus cognomen habere oportet eā, quæ diuina dicitur, & principalis & gubernatrix pars appellatur, illam ſeminatam, & ſubſiſtentē ego eis tradam. Quod ſupereſt uos immortali mortale adtexētes facite animalia. Irrationalem itaq; animam rationali adtextam mortalem eſſe aperte dicit. Præſtantißimam autem & ductricem partem, & diuinam & immortalem, quicquid eſt in mortalibus animantibus rationale, quemadmodum & ubiq; ductricem rationē dicit. Quòd igitur & Platoni & Ariſtoteli uidetur neq; omnē animam à corpore eſſe ſeparabilē, neq; omnem inſeparabilem, ſed rationalem quidem ſeparabilem, inſeparabilem autem reliquam, manifeſtum eſt. Atqui non oportet antiquorum enuntiationibus acquieſcere, ſed rerum omnium demonſtrationes afferre.*

re. Ad totã enim uitã noſtrã hæc tẽdũt dogmata. Et quid alioqui nobis eſt accõmodatius, & cõuenientius, q̃ ſeipſos noſcere? Demõſtrabimus igitur unũquodq; eorũ, quæ dicta ſunt: et ꝙ omnis anima eſt incorporea: & ꝙ ſola rationalis à corpore eſt ſeparabilis, & ideo immortalis: & ꝙ irrationalis quidẽ ab hoc craſſo corpore eſt ſeparabilis, à ſpiritu aũt inſeparabilis: & præterea ſi eſt omnino ipſum ſpiritale corpus, & ꝙ poſt ex hoc corpore exitũ aliquãtũ tẽporis manet: & ꝙ plãtalis ſeu naturalis in hoc craſſo corpore eſſe ſuũ habet, & cũ eo corrũpitur. Quòd itaq; omnes opiniones, quæ dicũt corpus eſſe animã ſiue ſimplex ſiue cõpoſitũ, falſæ ſunt, ne ſigillatim refellamus, cõmunem aduerſus omnes confutationẽ inducamus. Quòd itaq; fieri non poteſt, ut ulla anima corpus ſit, hinc eſt manifeſtum. Omne corpus ſecundum ſuam naturam diſpergi, & in infinita diuidi poteſt. Opus ergo habet aliquo, quod ipſum cõtineat. Hoc ergo quod cõtinet, quoniam uel eſt anima, uel aliqua alia potẽtia, utrũ eſt corpus, uel incorporeũ? Si itaq; corpus eſt, opus habebit & ipſum alio, quod contineat. Rurſus igitur & de illo interrogabimus, utrũ corpus eſt, an incorporeũ, idq; ad infinitũ. Neceſſe eſt igitur eã, quæ corpora cõtinet, potentiã eſſe incorporeã. Eſt autẽ anima, quæ animata corpora cõtinet. omnis ergo anima eſt incorporea. In hoc autẽ libro Ariſtoteles, cum multis alioqui modis has opiniones redarguiſſet, hoc quoq; adijcit. Quid in alijs, inqt, dico? Cognitiuarũ animæ facultatũ extrema, ſenſus, & ipſa eſſe incorporea linearibus neceſſitatibus demõſtratur. Si itaq; extrema eſt incorporea, multo magis meliores. Quomodo ergo hoc demonſtrat? Nullũ, inquit, corpus in eodẽ tẽpore ſecundũ eandẽ partẽ contraria poteſt ſuſcipere. Digitus enim nõ poteſt eodẽ tẽpore totus & albi & nigri eſſe particeps, neq; ſimul ſecundũ idẽ & refrigeratur, & calefit. Senſus autẽ ſimul in eodẽ tẽpore cõtraria apprehẽdit. In legendo enim ſimul & albũ & nigrũ apprehendit. Quamobrẽ ſcit quòd hoc eſt primũ, & illud ſecundum, quòd nigrũ ab albo diſcernat. Quomodo igitur eodẽ tẽpore apprehẽdit uiſus contraria? utrũ ſecundũ eandẽ partẽ: uel ſecundũ aliam quidẽ partẽ nigrũ: ſecundũ aliã albũ? Si itaq; ſecundũ idẽ, ea, uidelicet, ſine partibus apprehẽdit, & eſt incorporeum. Si autem aliã & aliã, perinde eſt, inquit, ac ſi ego hoc, tu illud ſenſeris. Quẽadmodũ, inquit, ſi dicis, id quod ego uidebã aliud eſt ab eo, quod tu uidebas. Oportet enim id, quod indicat unum & idẽ eſſe, etiã ſecundũ idẽ, quæ indicantur, apprehẽdere. Corpus autẽ in eodẽ tẽpore, & ſecundũ eandẽ particulã, ad cõtraria ſe applicare, uel ſimpliciter diuerſa nõ poteſt. Senſus uerò in eodẽ tẽpore & albo et nigro ſe applicat: indiuiſibiliter igitur ſe applicat. Et propterea ergo eſt incorporeum. Si enim ſecundũ aliã & aliã partẽ nigrũ, & albũ apprehẽderet, nõ potuiſſet albũ à nigro diſcernere: nemo enim diſcernit id, quod à ſe uidetur, ab eo, quod ab alio uidetur. Quòd autẽ imaginatio eſt incorporea, & indiuiſibilis, hinc eſt apertũ. Qui enim fit, quòd, qui ſuperuenerũt, typi eos, qui prius erãt, nõ deleuerunt? Quod certe cõtigiſſet, ſi quidẽ corpus eſſet: quemadmodũ in cera fit. Superuenientes enim typi eos, qui prius erãt, obliterãt. Sed & plantalis ſiue naturalis & uegetatiua anima, quæ ſenſu eſt inferior, & plãtales ſiue naturales rationes aperte demõſtrantur eſſe indiuiſibiles, & ideo incorporeæ. In unaquaq; enim ſeminis parte eædẽ ſunt naturales ratiões indiuiſibiliter, ſicut in toto ſemine inſunt nutritiuæ, auctiuæ, formatiuæ. Quẽadmodũ enim totũ emiſſũ ſemẽ, ſi à matrice cõtẽtũ fuerit, perfectũ animal efficit: ita & ſi non totũ, ſed pars nihilominus faciet. Si itaq; naturales hominis rationes corpus eſſent, nõ poſſẽt in eadẽ ſimul particula eædẽ & capitis, & pedũ & omniũ eſſe partium. Nunc autẽ in eadẽ ſunt parte: ſunt ergo incorporeæ. Quod enim eſt indiuiſibile, eſt et incorporeũ. Quẽadmodũ igitur in tota arbore eſt & nutritiua, & auctiua, & generatiua facultas: ſic & in ramo, uel in palmite, & in ipſo quoq; acino. Sed forſaſſe dubitauerit aliquis. Vnde ergo mõſtra? an non ex eo, quòd deficit uel abundat ſperma? Cur rurſus autẽ, ſi frumẽti diſſecta fuerit particula, quod ſupereſt non amplius germinat? Cur autẽ cortex non producit foliũ, uel quid tale? Atqui hæ quoq; ſunt arboris particulæ. De monſtris igitur dico, ꝙ materia in cauſa eſt. Quãdoquidẽ materiã aptã eſſe oportet & ſecundũ quantitatẽ, & ſecundũ qualitatẽ. Animaliũ autẽ materia menſtruum eſt. Si ea itaq; uel abundet, uel deficiat, uel aliquã præter naturã qualitatẽ accipiat, ea monſtrorũ cauſa eſt. Et in uniuerſum quidem dico, quòd facultates ipſæ ſunt incorporeæ, ſed eſſe ſuũ habẽt in ſubiecto corpore: & ut ſint, & qualitatis, & quãtitatis proportione congruũ ſubiectũ habeant oportet. Quemadmodum circulus, & omnis, ut ſemel dicam, figura ipſa quidẽ ſecundũ ſe demonſtratur quãtitatis, & magnitudinis expers, &, ut ſemel dicã, incorporea. Cõſiſtere autẽ nõ poteſt, niſi ſubiectũ nacta ſit & magnitudinis & qualitatis proportione congruũ. Quemadmodũ nec in paruo & minuto corpore, neq; in humido & diffluẽte cõſtiterit circulus. Sic igitur et in re præſenti dico, quòd etiã ſi indiuiſibiles ſecundum ſe ſint rationes, in ſubiecto tamẽ corpore eis ſuũ eſſe conſiſtit: hec omne in uniuerſum corpus & quocũq; ſe habẽs rationes poteſt ſuſcipere, propterea ſubiecti quoq; habilitate & aptitudine opus eſt. Si autẽ omnino inueniuntur, quæ in tota ſunt arbore, facultates oẽs etiã in partibus deficere, ꝓpter nullã aliã, ſcilicet, eſt cauſam, quàm quòd ipſæ per ſe ſunt indiuiſibiles. Si enim eſſent corpora, neq; in diſſecto ramo totæ eſſẽt, & arbor eſſet mãca & mutila. Si autẽ dixerit quiſpiam, Sed poteſt dici quòd corpora ſunt ſimilaria per uniuerſum permeãtia. Similariũ autẽ eadẽ eſt forma in parte, quæ eſt in toto. Quemadmodũ in carne ſe habet. Carnis enim pars caro eſt. Ad hoc ergo dicamus, ꝙ ſi eſſẽt ſimilaria corpora, nõ tota per tota ſubiecta procederẽt. Neq; enim fieri poteſt, ut corpus per corpus procedat. Si itaq; ex animæ facultatibus inferiores ſunt incorporeæ, multo magis rationalis, quæ eſt multo ſuperior. Quòd autẽ et ipſa ſit incorporea, per cõmunes quidẽ rationes iam demõſtratũ eſt. Dicamus autẽ & de ipſa ſeorſum in hũc modũ. Nullũ corpus ipſum ſeipſum cognoſcit: neq; ad ſeipſum cõuertitur. Neq; enim ſeipſam nouit manus, uel aliqđ aliud corpus. Sed neq; ratione carẽtes facultates, licet & ipſæ ſint incorporeæ, ſeipſas nouerũt. Neq; enim ſeipſum nouit uiſus, uel auditus, uel ſenſus: neq; quærit cuius ſit naturæ. Sed ratio eſt, quæ de ipſis quærit. Anima quidẽ certe rationalis ipſa ſeipſam cognoſcit. ipſa eſt igitur, quæ quærit, ipſa quæ quæritur: ipſa quæ inuenit, ipſa quæ inuenitur: quæ cognoſcit, & cognoſcitur. Quòd ſit ergo incorporea aperte demonſtratum eſt. Quæ in ſubiecto ſunt corpore facultates una cum corpore uigẽt & creſcunt, & cũ eodẽ euaneſcũt, & intereũt. Tales ſunt ſenſus: ira: cupiditas: ſed cõtra rationalis anima flaceſcẽte corpore ipſa uiget, et floreſcit. Nõ eſt ergo in ſubiecto corpore. Nihil ſuũ ipſius ſubiectũ ſtudet corrũpere: omnia enim eſſe appetũt. Rationalis autẽ anima corpus negligit, ijsq;, qui, per uirtutẽ ſuſcipiũtur, laboribus domat, & exercet, & ſæpe etiã penitus proijcit & deſerit. In ſubiecto igitur corpore nõ habet ſuũ eſſe. Sic itaq; demonſtratũ eſt nullã animæ facultatẽ corpus eſſe. Accedit his ut demonſtremus rationalẽ quidẽ animã ſeparatã à corpore ſubſtantiã habere, reliquarũ autẽ eſſentiã in corpore cõſiſtere. Et alia quidẽ eſt in ſpiritu, nẽpe irrationalis. Plãtalis autẽ ſeu naturalis in hoc, id eſt in craſſo. Vt ergo hæc demonſtremus, hoc prius aſſumamus. Regulã quandã tradit nobis Ariſtoteles in huiuſce libri principio, quæ omnibus philoſophis cõmuniter placuit, & ijs, qui immortalẽ, & ijs qui mortalem animam exiſtimauerunt. Eſt autem hæc regula. Oportet, inquit, ex operationibus ſubſtantias iudicare: quandoquidem unaquæq; ſubſtantia coordinatam habet operationem. Omnis ergo, inquit, ſubſtantia, quæ nullam habet

operatio

operationem à corpore ſeparabilem, neq; ipſa eſt ſeparabilis. Si enim ſeparabilem habēs ſubſtantiam ſeorſum à corpore nullam habet operationem, poſtquàm à corpore fuerit ſeparata, circa quid operetur non habebit: fruſtra ergo erit. Nihil autē fruſtra facit deus, nec natura. fieri ergo non poteſt, ut ſeparabilis ſubſtantia nullam habeat actionē ſeorſum à corpore. Rurſus & hæc eſt alia regula. Omnis ſubſtantia, quæ habet actionem à corpore ſeparabilē, eſt et ipſa neceſſario à corpore ſeparabilis. Si autem non fuerit ſeparabilis, continget id, quod ab alio cauſam habet, ipſa cauſa eſſe potius, &, quod eſt deterius, meliore eſſe melius. quod eſt abſurdum. Oportet enim ſemper cauſam eo, cuius cauſa eſt, eſſe meliorem, & id, quod eſt natura prius, potius eſſe eo, quod eſt poſterius. Quomodo ergo hoc ſe habet? ſcimus quod omnis operatio eſt ex potētia: omnis autem potentia ex ſubſtantia. Tertium ergo locum à ſubſtantia habet operatio. Si itaq; ſubſtātia à corpore eſt inſeparabilis, operatio autem ſeparabilis, quod autē eſt ſeparabile melius eſt eo, quod eſt inſeparabile. Operatio ergo ſubſtantia eſt melior, idem eſt autē dicere, id quod cauſam habet eo, quod eius cauſa eſt, & eo, quod eſt natura primū, quod ſecūdū eſt, uel potius tertiū, quod eſt abſurdum. fieri ergo non poteſt, ut operatio à corpore ſeparabilis nō à ſubſtantia procedat, quæ eſt & ipſa ſeparabilis. Hæ ſunt itaq; Ariſtotelicæ regulæ. Quarum poſterior quidem ad diſputationem de rationali anima, prior autem ad reliquarū cognitionem nobis eſt utilis. In præſentia itaq; dicamus de rationali. Si nulla ſubſtantia à corpore inſeparabilis habet operationem ſeparabilem, demonſtrabimus autem in anima operationem à corpore ſeparabilem, neceſſe eſt omnino & ipſam eſſe ſeparabilem. Quando igitur de intelligibilibus anima conſyderat, & intellectiuas de deo contemplationes tractat, manifeſtum eſt, quòd ab omni corpore ſeparabilem talem habet operationem. Similiter & quando ſe ipſam quærit. Nuſquam enim in his ue cooperatore quidem utitur corpore: neque ipſa circa corpus operatur. Quare à corpore omnino ſeparata eſt eiuſmodi operatio, & ab ipſa etiam imaginatione. Si autem ſeparabilis eſt operatio, neceſſario & ipſa eius ſubſtantia erit ſeparabilis. Si autem ſeparabilis eſt ſubſtantia, eam eſſe æternam omnino neceſſe eſt. Hoc enim omnes cōmuniter confitētur, quòd omnis ſubſtantia à corporibus ſeparabilis eſt etiam æterna. Conſydera enim. Si, cum ſit ſeparabilis, non eſt æterna, ſed generabilis, & corruptibilis, priuſquàm fieret uel poterat fieri, uel nō fieri. Siquidē non poterat, ne facta quidē eſſet. Quod enim fieri non poteſt, ne fiat quidem: ſi autem poterat, materialis omnino erat. hoc enim poſſe aliquando eſſe uel non eſſe hoc quidpiam, materiæ eſt. Si autem immaterialia, quæ ſunt à materia ſeparabilia, non erunt ex eo, quod eſt potentia, ad id quod eſt actu, ſed ſemper erunt actu. Et aliter. Quidquid corrumpitur duobus modis corrumpitur. uel corporum in elementa reſolutione: uel cùm in incorporeis extinguitur ſpecies, ſubiecti, in quo ſuū eſſe habet, diſcrepantia, & inconcinnitate. quēadmodum harmonia laxatis fidibus. Eorū autem modorum neutro rationalē animam corrūpi cōtingit: neq; incorporeorū modo, ipſa enim eſt incorporea: neq; eo modo, quo, quæ incorporea quidem ſunt, ſed in corpore ſubiecto eſſe ſuum habēt. Eam enim à corpore eſſe ſeparabilē demonſtratum eſt. Quare ſi eam à corpore eſſe ſeparabilem demonſtratum eſt, ſimul etiam demonſtratum eſt, quòd æterna eſt. De cæteris autem deinceps dicamus, irrationali, & plantali ſeu uegetatiua, & naturali. Quòd eæ enim ſint inſeparabiles ex dicta regula manifeſtū eſt. Si enim demōſtrauerimus eas nullam à corpore ſeparabilem habere actionem, ipſas quoq; omnino nēceſſe eſt eſſe inſeparabiles. Earū igitur omnes operationes in corpore, & circa corpus uerſantur. Nutritiua, & auctiua, & generatiua & in corpore ſunt, & per corpus operantur, & circa corpora. Porro itidem & animus, quæ iraſcibilis pars eſt, & cupiditas. Hic enim mouet ſanguinem, qui eſt circa cor. Illa autē iecur eo modo afficit. In corpore ergo, & per corpus. Sed & circa corpora. Vel enim ciborū, uel colorū, uel corporalium, ut ſemel dicā, rerū appetitus Cupiditas eſt. Et animus totus in hoc eſt, ut eū, qui ipſum moleſtia affecit, dolore uiciſsim afficiat. Quare ſi eorū operationes nō ſine corpore, neceſſario & ſubſtantiæ. In quid enim actionē ſuam exercebunt ſeparatæ? Quid nutriēt, uel augebūt, uel generabūt? Quē autē uiciſsim dolore afficient? Sed neq; cupiditas iucundorū quid retinebit, quæ eam ad appetitū moueat. fruſtra itaq; erunt. ſi autē hoc, uidelicet, ut fruſtra quid ſit, fieri nō poteſt: inſeparabilis ergo à corporibus eſt ſubſtantia, ex qua tales operationes procedunt. Sed uegetatiua & naturalis ab hoc craſſo eſt inſeparabilis, & una cum eo corrumpitur. Et manifeſtum eſt ex iis, quorū eæ ſunt facultates, & in plantis in quibus ſpiritale corpus non ſpectatur. Demōſtrantur autē etiā poſt animæ exitū breui adhuc aliquo tempore in hoc corpore remanere. Vnde enim hæc putrida, & quæ facile diſſolui poteſt auctio? In mortuis enim & ungues & pili augētur. Si autē auctiuæ facultatis etiā poſt mortē eſt in corpore aliquod ueſtigium, nutritiuæ quoq; facultatis aliquod eſſe ueſtigium neceſſe eſt. Propter auctionē enim alimentū eſt. Hinc ergo manifeſtū eſt, quòd in hoc corpore eſſe ſuum habēt hæ facultates. Quòd ſi habēt, & generatiuam quoq; habere neceſſe eſt. In eadem enim eſt ſerie, & coordinatione. Quare ubi illæ ſunt, & ipſa quoq; neceſſario uidetur ineſſe. Huius autē & in mortuo corpore dixerit aliquis ueſtigiū eſſe aliquod propter ea, quæ ex mortuis corporibus generātur, animalia, ueſpas, & apes, & uermes, & eiuſmodi. Irrationalis autē in hoc amplius eſſe ſuum nō habet. Remanet enim etiā poſt animæ ex corpore exitū, uehiculum & ſubiectū habens corpus ſpiritale. Quod & ipſum eſt ex quatuor. Dicitur autē ex abundāte aëre, quemadmodum & hoc terrenū ex eo, quod eſt amplius. Et unde manifeſtum eſt ſi in eo eſſe ſuum habet uita irrationalis? imo prius unde omnino eſt corpus ſpiritale? Hoc enim prius oportet quærere an eſt omnino: Deinde demōſtrare, quòd in eo eſt irrationalis uita. unde igitur ſciemus, quod eſt ſpiritus? Animā quidem noſtram poſt diſceſſum ex corpore in cōfeſſo eſt, uel potius demonſtratur ad inferos uenire, & eorum, quæ in uita male geſsit, illic pœnas luere. Non enim ut ſimus ſolum curam gerit prouidentia, ſed etiam ut bene ſimus. Quamobrem anima, quæ ad id, quod eſt præter naturā, delapſa fuerit, non negligitur. Sed qua par eſt ei diligentia & ſollicitudine prouidetur. Et quoniam ei uſu uenit, ut per delicias & uoluptatē peccaret, neceſſario ut per dolorē quoq; purgetur eueniet. Nam & hic quoq; cōtrariis contraria medicamēta adhibētur. Quò fit ut in iis, quæ ſub terra ſunt, ad iudicium exercendum paratis locis punitæ dolore afficiantur. Sed ſi incorporea eſt anima, fieri non poteſt ut patiatur. Quomodo igitur punitur? Neceſſe eſt ergo omnino aliquod ei eſſe adiunctū corpus, quod, cùm nimio æſtu, aut algore uel immodice diſſoluitur, aut ſupra modum concreſcit, dolore animam afficit per conſenſum. Quemadmodum & hic quoq; corpore dolorem patiente, propter naturale uinculum &, qui ex eo procedit, conſenſum ſentit anima dolorē. Ipſum enim per ſe incorporeum à nullo patiatur. Cuiuſmodi ergo eſt ei corpus adiunctum? Non hoc quidem. In ea enim, ex quibus compoſitum fuit reſolutum eſt: ſed id quod ſpiritale dicimus. In eo ergo propterea ſunt omnino tanquàm in ſubiecto animus, & cupiditas, & ab eo ſeparari nequeunt: Niſi enim eſſent, ſed ſtatim poſt exitum ab hoc corpore ab his affectibus eſſet liberata, à generatione quoq; eſſet omnino pura. Quòd ſi à generatione & perturbationibus eſſet liberata, ſuſtolleretur, neque in ſubterraneis iudicii locis eſſet. Sicut enim diximus, cùm ea in ge-

*nerationem deſcēderet, dati ſunt ei illi affectus, propter eas, quas diximus cauſas. fieri autem non poteſt ut à generatione liberetur, quæ non ſeipſam purgauerit. Quoniam enim ipſa per ſe eſt mobilis, & ſua ſponte à bono excidit, oportet eam rurſus, ut ſuſtollatur, ſeipſam purgare. Subterranea enim illa iudicij loca eā ſuſtollere non poſſunt, ſed ipſam tantum ad ſeipſam cōuertunt. Quò fit, ut cùm reſipuerit, eamq́; errorum ſuorum pœnituerit, proprio ſuo impetu purgetur, & corporeū illum, cui ſua ſponte alligata erat, affectuum conſenſum ſua ſponte abijciat. Quare ait illam poſt ſubterranea iudicij loca hic rurſus tam diu conſiſtere, donec à ſeipſa purgata, & à generatione liberata, ſublata fuerit. Tunc itaq; & iram, & cupiditatem una cum illo uehiculo, id eſt ſpiritu, deponit. Eſſe autem ei poſtea aliquod aliud perpetuò adiunctum corpus cœleſte, id eſt, æternum. quod radiorum uel aſtrorum formam & ſimilitudinē habere inquiunt. Cùm enim ipſa ex mundanis rebus ſit, eam neceſſe eſt omnino munus aliquod habere, quod gerat, quod mundi quoq; pars ſit. Et ſi eſt ſemper mobilis, & eam ſemper operari oportet, oportet eam perpetuò aliquod corpus adiunctum habere, quod ſemper uiuificabit. Propterea ſplendidū & luminoſum corpus eam habere inquiunt, quod ſit æternum. Propter hæc itaq;, quæ dicta ſunt, ſpiritale corpus eſſe neceſſe eſt, & animum, & cupiditatem ab eo ſeparari non poſſe. Manifeſtum eſt autem, quòd quemadmodum uitales & appetitiuæ irrationalis facultates ſunt in ſpiritu, ita et cognitiuæ. Si enim deteriores ab hoc craſſo corpore ſunt ſeparabiles, multo magis meliores. meliores aūt cognitiuæ: dico autē imaginationē & ſenſum. Sed etſi in illo eſſe ſuū habeant irrationales facultates, ueniunt tamen etiam ab illo ueſtigia quædam ad hoc craſſum corpus. Quemadmodū & à mente mentis conceptus ad omnes uenire dicimus. Quòd enim etiam ad hoc uſq; corpus irrationalis animæ illuminationes ueniant, manifeſtum eſt. Ira enim mouet ſanguinem, qui eſt circa cor, & eius ebullitionem quandam facit. Cupiditas autem iecur ſic uel ſic ad ſuos motus afficit. Et ſenſus omnes cerebrum illuminant. ex eo enim ad ſenſoria per neruos ſuppeditatur ſenſoria facultas, eoq; male affecto, ſenſus fiunt actionis expertes: ut demonſtrant medici. Cùm enim id, quod meningæ cuſtos appellatur, meningæ, quæ membrana eſt cerebrum tegens, ſuperpoſita fuerit, & ſenſu, & motu carens animal efficitur. Et cùm dorſalis pars male affecta fuerit, ægroti quidē pars ſuperior ſenſu fruitur, inferiora autem ſenſu carent, eo quòd non amplius ſuppeditetur à cerebro ſenſitiua facultas, cùm inſtrumentū, neruus ſcilicet, paſſum ſit. Et ſi alligatus fuerit neruus, ſenſu rurſus uacua fit pars inferior: ſuperior autem manet ſenſu prædita. Ex dictis igitur manifeſtum eſt quòd & ſpiritale corpus eſt, & ab eo ſeparari nequeāt animus, & cupiditas. Multo autem magis apertum euadit uel ex ipſa rerū operatione. Vnde enim in ſepulchris umbrarum formam præ ſe ferentia ſpectra apparēt? Neq; enim figurā ullam habet anima, uel omnino uideri poteſt. Sed non purgatas aiunt animas, poſtquam ex hoc corpore exceſſerint, cum ſpiritu aliquandiu errare, idq́; circa ſepulchra apparere. Quare adhibenda eſt diligentia ut recte uiuamus. Ab hoc enim ex improba uiuendi ratione condenſato ſpiritu circa affectus aiunt animam attrahi. Habere enim & ipſum aiunt aliquid naturalis uitæ: Nutriri enim: Non ſic autem nutriri, ut hoc corpus: ſed per uapores. non per partes, ſed ſic, uerbi gratia, ut ſpōgiæ uapores recipiunt. Et propterea ſtudioſi, ſubtilioris, & ſiccioris uitæ rationis curam gerunt, ne craſſeſcat ſpiritus, ſed ſubtilis fiat. Ad hæc autem & purgationes aiunt ipſum ſuſcipere. Hoc enim corpus aqua colluitur: illud uerò purgationibus, quæ per exhalationes fiunt. per quoſdam enim uapores nutritur, per alios autem purgatur. Ipſum autem non per uaria eſſe inſtrumēta diuiſum, ſed totum per totum ſecundum ſenſus agere, & ſenſilia apprehendere. Quare & Ariſtoteles in Metaphyſicis inquit, Quòd ſenſus proprie unus eſt, & ſenſorium proprie unum, ſenſorium appellans ipſum ſpiritum, in quo ſenſitiua facultas tota per totum uaria ſenſibilia apprehendit. Quomodo igitur apparet in ſepulchris membris & inſtrumentis præditū, & aliquando quidem hominis figuram, aliquando uerò etiam alicuius alterius animalis formam habens? Ad hoc dicunt. Primum quidem illud, quòd ſæpe contingit ipſum hominis habere figuram à flagitioſa uiuendi ratione incraſſatum, & ſimul à continenti corpore impreſſum. Quod etiā in glacie uſu uenit, ut eum ijs, in quibus concreſcit uaſis, ſimul imprimatur. Quomodo igitur diuerſas habens figuras apparet? fortaßis, inquiunt, quando anima ipſum uult demonſtrare, mouens imaginationē ipſum ſimul imprimit: uel etiam diuina forte cooperatione adiuuante, & apparere, & rurſus euaneſcere, denſatū, & rareſactum. Cùm enim ſit aëreū, quando coactum condenſatum fuerit, fit uiſibile, & rurſus euaneſcit diſperſione, & rareſactione. Ad hæc autem omnia dicet aliquis dubitans an humanæ ſint animæ, quæ per proprios ſpiritus in ſepulchris apparent, & non impoſtores aliqui dæmones, qui ſuapte natura facile poſſunt ſe in omnia mutare, propter eis annexum ſpiritale corpus, quod in quaſuis figuras nullo negocio ſe poteſt transformare. quod quidem aßidue uidētur facere. Quomodo autem uel ad aliquod tempus hic errauerint animæ? utrum ſua ſponte & electione, an non? Si enim electione, hinc nunquā migrauerit anima. Ad ſubterranea enim iudicij loca fit migratio. Si autē citra electionem à prouidētia cogitur manere, quomodo eius augetur ad improbitatem facultas, & maiora, quàm hic, poteſt? Sin autem, tanquam depoſito hoc craßi corporis onere: oportebat potius ueluti pondere liberatam, &, quæ propè ſunt, iudicij, & pœnarum loca ueluti præſentiſcentē, modeſtiorem fieri. Nunc autem ea mala facit, quæ ne hic quidem facere poterat. Differit autem in primo quidem libro de ijs, qui ante ſe de anima opinati ſunt: eorum enim opiniones exponet, & quæ eis recte uiſa ſunt admittet: ſi quid autem de anima non recte exiſtimarunt, redarguet. In ſecūdo autem libro propriam de anima opinionē exponet, & de ea differet. Primum quidem communius & craßius. Deinde ſeorſum de unaquaq; animali facultate. & in ſecundo quidem poſtquam de anima communiter differuerit, differet ſeorſum & de plātali ſeu uegetatiua aut naturali, & irrationali. In tertio autē de rationali. Meminit autem & in ſecundo de rationali, & in tertio de irrationali. Quemadmodum autem ſolet in omnibus tractatibus naturalibus facere circa tractatuum finem, ut ſe attollat ad eas, quæ à rebus naturalibus ſeparatæ ſunt, cauſas, ita & hic facit. In Phyſica enim ad finem cùm de motu differeret, & principij cauſam quæreret, ſeipſum ad primam cauſam & motus principium eleuauit. Ait enim oportere primum mouens eſſe immobile. Si enim & illud moueretur, ne ea quidem, quæ mouentur, in motu manerent. Quare ſi ſunt, quæ ſemper mouentur, neceſſe eſt id, quod ea mouet, eſſe immobile. Deinde cùm præconijs & laudibus id extuliſſet, quòd eſt incorporeum, & æternū, & omnipotens, à tali, inquit, principio dependet cœlū, & mundus. Oportet enim perfectum phyſiologum, poſtquā naturales cauſas tradiderit, etiam ad ſeparatas aſcendere, & non in eis manere. Sic etiā fecit in libro de Generatione & Corruptione.*

FINIS PROLOGI.

# Commentariorum

## IOANNIS ALEXANDRINI PHILOPONI, in libros Ariſtotelis de Anima,

### LIBER PRIMVS.

PVlchrarum, & pretioſarum eſſe rerum cognitionem exiſtimantes.

PROOEmium habet encomium contemplationis de anima, & adhortationem ad eius cognitionẽ: potius autem ſtudioſorum, & eorum, qui hac contẽplatione digni ſunt, adhortationem: contrariorum uerò dehortationem. Duobus enim poſitis principijs, per unum quidem adhortari uidetur, per reliquum autem dehortari. Cùm enim dixiſſet, quòd cognitio eſt pulchra, & pretioſa, & quòd pretioſiſſima, & exactiſſima eſt de animæ cõtemplatio, uidetur omnes homines ad eam adhortari. At cùm rurſus dixit eſſe longe omnino difficilimum perſuaſionem de ea aliquam habere, dehortari uidetur. ut per utraq; hæc oſtendat, quòd ſtudioſos ſolum ad ea, quæ de animæ contemplatione dicuntur, adhortetur. Poſt laudem autem, & adhortationem cauſam infert, cur ſit difficilis de anima contemplatio. Deinde aliqua problemata exponit, quæ quæri debent in ijs, quæ de anima ſcribuntur. Alexander quidem, ut ait Plutarchus, cùm propria dogmata uellet exponere, & ad ſe etiam Ariſtotelis ſententiam attrahere, in hoc opus commentaria ſe ſimulauit ſcribere. Ex prooemijs itaq; contortam ſuam oſtendens ſententiam, ipſum prooemium contorte expoſuit. Ait enim defectiue dictum eſſe. Pulchrarum enim & pretioſarum eſſe rerum cognitionem exiſtimantes. Quid exiſtimantes? ait itaq; ſubaudiendum pulchram, & pretioſam. Sic ergo Alexander. Attici autem interpretes magis ex ipſa rei natura hoc expoſuerunt. Cognitionem enim, inquit, pulchrarum & pretioſarum eſſe rerum exiſtimamus. Hoc autem eſt Ariſtoteli uel familiare cognitionem laudare. Quare in Metaphyſicis quoq; ſic exorſus eſt. Omnes homines ſcire natura appetunt. Signum autem eſt ſenſuum dilectio. Eſt autem operæpretium quærere quomodo rem pulchram eſſe dicit, & pretioſam cognitionem. Nunquid omnis cognitio bonum eſt, etiam ipſorum malorum? Dico quòd maximè. Et malorum cognitio bonum eſt, quæ eſt re uera cognitio. Vt enim à Platone dicitur, & pulchre dicitur. Mali cognitio facit, ut ab eo fugiamus: Boni autẽ ignorãtia facit, ut in malum incidamus. Quare & contra, Mali quidem ignorantia facit ut in malum incidamus. Boni autem cognitio nos parat, & inſtruit, ut ipſum apprehendamus, & retineamus. Cognitio autem tribus modis dicitur. Vel enim ſcientia cognitio dicitur, ut Plato in Phædone. Hoc enim eſt noſſe acceptam ſcientiam habere, & non excidiſſe. Et in Gorgia. Vel rurſus planam & craſſiorem cognitionem, ut ipſe ait in phyſicis. Quandoquidem noſſe, & ſcire circa omnes ſcientias. Per noſſe enim planam & craſſam cognitionem ſignificat. Per ſcire autem exactam: Vel eam, quæ communiter de omni notione dicitur, quam & hic & in Metaphyſicis accepit.

Magis autem aliam alia, vel ſecundũ quod eſt exacta, vel quòd ſit meliorũ, & magis admirabilium: propter hæc vtraq; animæ hiſtoriam iuſte in primis poſuerimus.

Tota prooemij mens & intelligentia ſic habet. Omnem quidem cognitionem, inquit, pulchram, & pretioſam eſſe exiſtimamus: eſſe autem aliam alia pretioſiorem, & pulchriorem duabus de cauſis. Vel quòd ſubiectum de quo cognitio eſt melior eſt: uel quòd cognitio exactior. Vt Aſtronomia eſt medicina pulchrior, eo quòd ſubiectum habet pretioſius. Illa enim circa cœleſtia: Hæc uerò circa humana corpora uerſatur. Sed & ſecundum cognitionem Aſtronomia exactior eſt, quàm medicina. Quare ſecundum utraque longe quàm medicina pretioſior eſt aſtronomia, & ſecundum ſubiectum, & ſecundum cognitionis ſpeciem. Rurſus Geometria ſecundum utrunque mechanica eſt pretioſior, eo, quòd Geometria quidem circa id, quod eſt immateriale, ſubiectum habet. Ipſæ enim figuræ, ſecundum ſe & incorporeæ, & magnitudinis ſunt expertes. Si enim magnitudinem haberet circulus, omnino definita, & circumſcripta eſſet, ut cubitalis. Quòd ſi hoc eſſet, bicubitalis uel tricubitalis circulus non eſſet. Neq; uerò ullus alius præter cubitalem magnitudinem circulus eſſet. Et ſi eſſet aliquod corpus, definitum omnino eſſet, ut uerbi gratia æris. ferreus igitur non eſſet circulus, uel ligneus, neq; ullum aliud corpus præter æs. Quare immateriale omnino eſt ſubiectum Geometriæ. Mechanicæ autem corpora & magnitudines. Eſt itaq; Geometria pretioſior Mechanica. Sed & ſecundum cognitionẽ. Illa enim, Geometria ſcilicet, nec falli nec labi poteſt. Semper enim omnis trianguli tres ſunt anguli duobus rectis æquales. & non craſſè, ſed exactiſſimè, & ne in minimo quidem uel breuiſſimo differens. Semper enim dimetiens lateri erit incommenſurabilis. Mechanica autem non exactas habet rationes, ut quæ circa corpora, & magnitudines uerſetur. ſimiliter ſe habẽt Arithmetica & Harmonica. Arithmetica enim, ut quæ circa numerorum rationes uerſatur, etiam ſubiectũ melius habet, utpote immateriale, cum Harmonica circa corpus fides, & chordas, & ſonorum magnitudines habeat: & propterea Arithmeticæ exactior eſt cognitio. Quoniã igitur hæc eſt ſcientiarum pulcherrima, quæ circa eorum alterum quidpiam præcellit: in anima autem hæc utraq; conſyderantur: propter utraq; igitur, inquit, & pretioſa & pulchra eſt de anima contemplatio. pretioſa eſt igitur de anima contemplatio, eo, quòd circa excellens & eximium ſubiectum uerſetur, animam ſcilicet ipſam. Quod quidem eſt omnium, quæ hic ſunt, longe pulcherrimum. Sed & quòd exactior, pretioſior eſt de anima cõtemplatio. Quomodo autem eſt exactior de anima contemplatio, ſic didicerimus. In demonſtratiua duas nobis regulas tradit Ariſtoteles, quibus, quod exactius eſt, diſcernere oporteat. Si duæ ſunt, inquit ſcientiæ, & uelis cognoſcere utra ſit exactior, duplici ratione cognoſces. Quando enim altera alterius principia demonſtrat, quæ principia demonſtrat eſt exactior, ut phyſicæ ratio diſciplinæ medicina eſt exactior. Medicinæ enim principia phyſiologia demonſtrat. Rurſus Geometria exactior eſt quàm mechanica. Talia enim principia Geometria demonſtrat. Et Arithmetica exactior eſt quàm Harmonica. Harmonicæ enim principia demonſtrantur in Arithmetica. Communiter autem omnibus prima Philoſophia. Ipſa enim omnium principia demonſtrat. Rurſus, inquit, exactior eſt ſcientia, quæ circa materiæ expers ſubiectum uerſatur, ut

*Geometria, Arithmetica, Theologia. Qua de cauſa ait in Metaphyſica, quòd intelligibilium cõtemplatio eſt & facilima, & difficilis. Facilima quidẽ, quòd de rebus eſt conſtantibus, & eodem modo ſemper ſe habentibus. Apertiſsima enim ſunt diuina, ut quæ ſunt omnino immutabilia ſecundum ſubſtantiam, ſecundum potentiam, ſecundum actionem. Propter hoc ergo eſt facilima. Difficilis autem propter noſtram imbecillitatẽ. Neq; enim poſſumus, cùm & in corpore, & animi perturbationibus obnoxij ſumus, ad eorum lucem oculos inconniuentes intẽdere. Quod quidem etiam ueſpertilionibus uſu uenit. Cùm enim ſol ſit clariſſimus, propter oculorum imbecillitatem eius radios uidere non poſſunt. Eis igitur clarior uideatur ſtellarum lux, quæ pro oculorum modo eis magis conuenit. Sic igitur in nobis, & in intelligibilibus ſe habet. Cùm igitur exactior ea eſt ſcientia, quæ circa immateriale ſubiectum uerſatur, uel quæ principia demonſtrat, utronam modo eſt de anima exactior cõtemplatio? Nempe quòd materiæ expers ſubiectum habeat. Neq; enim aliorum principia demonſtrat. Quòd ſi materiæ penitus expers eſt anima, omnino eſt & immortalis. Vnde & Alexander hunc locum adulterat. Exterius enim hoc ex additamento inſitũ eſſe inquit. Magis autem aliam alia, uel ſecundũ quod exacta eſt, uel quòd ſit meliorum, & magis admirabilium, ue cogatur locum exponens exactiorem dicere de anima contemplationem, ut quæ materiæ expers ſubiectum habeat, ipſam nempe animã ſecundum Ariſtotelicas regulas. Quòd ſi conceſſerit materiæ expertẽ eſſe animam, eam quoq; neceſſariò immortalem eſſe concedet. Meliorum autem & magis admirabilium. Illud quidem eſt rei naturæ, Nempe meliorum: hoc autem noſtri iudicij, magis admirabilium. Propter hæc utraq; animæ hiſtoriam iuſte in primis poſuerimus. propter utraq;. Alexander quidem ait, quòd ſit pulchra, & pretioſa, ut qui huic cohærentem locum adulteret. Dicit autem propter utraq; & propter exactam contemplationẽ, & ſubiecti excellentiam. Hiſtoriam autem pro eo quod eſt cognitionem. ἐπίσορας enim ſcientes appellamus. In primis poſuerimus. Non dixit, in omnium primis, ſed in primis. Omnium enim prima eſt intelligibilium cõtemplatio: quæ neq; ſecundum ſubſtantiam, neq; ſecundum potentiam, neq; ſecundum operationem omnino mutari poſſunt. Secunda autem eſt de anima, eo quòd etſi immutabilem habeat ſubſtantiam, at nõ operationem. Quare eam immortalibus æquiuocam eſſe dixit Plato, eo quòd propriè eſt immortale, quod ſecundum omnia eſt immutabile: ipſa autem quoniam ſecundũ actionem mutatur, propterea immortalibus eſt æquiuoca. ſic etiam cœleſtia dixeris immortalibus eſſe æquiuoca. Mutantur enim & ipſa ſi non ſecundũ ſubſtantiam, at ſecundum locum. In primis igitur, eorum, uidelicet, quæ ſunt poſt eam. Primum enim poſt intelligibilia locũ habet.*

2 Videtur autem & ad veritatem omnẽ eius cognitio multum conferre.

*Et ipſa quidem per ſe, inquit, animæ cognitio eſt admirabilis, & pretioſa. Deinde ait & hoc ad omnem ueritatem conferre, id eſt ad omnem philoſophiam. Idem enim & ueritatem dicere, & philoſophiam. quandoquidem & quæ re uera eſt ſapientia ueritas eſt. Nullum eſt enim in ea mendacium. Quare ſi ad omnem philoſophiam confert, uidelicet & ad moralẽ, & theologicam & naturalem. Ad moralem itaq; cõfert, quòd fieri non poteſt, ut mores noſtros cõponamus, niſi animæ facultates prius conſiderauerimus. Differet autem & de anima moralis, ut ipſe in moralibus inquit. Si enim uirtus ornamentum eſt animæ. Ornamentum autem eſt facultatum animæ recta ordinatio: eas ordinare non poteſt, qui earum naturam non conſiderauerit. Confert autem & ad Theologiam, quoniã de intellectu, qui in nobis eſt, ſeparabili inueſtigamus, quòd & ipſe eſt immortalis, quandoquidem intellectus intelligibilium eſt intellectus. eorum autem, quæ ſunt ad aliquid, qui alterum nouerit, reliquum quoq; cognoſcet. Manifeſtum autem, quòd mentis noſtræ contemplatio multum etiam ad theologiam confert. Vnde & ipſe dicebat in tractatu de partibus animaliũ, quòd non de omni anima Phyſico eſt differendum. Si enim de omni, etiã de intellectu. Quòd ſi & hoc, de intelligibilibus quoq;. Intellectus enim intelligibiliũ eſt, intellectus. Hoc autẽ eſt Theologiæ, & primæ philoſophiæ. Confert autem nobis & ad naturalem. Si quidem phyſici opus eſt de corporibus differere, & eorum formis, & facultatibus. Earum autem, quæ in corporibus ſunt, formarum pulcherrima eſt anima.*

Maxime autem ad naturam.

*Hoc autem maxime ad naturam addidit, quòd, id quod confert, aliud eſt ab eo, cui cõfert. In morali itaq; tractatu et Theologia non confert, ſed illic eius, quod proponitur, contemplatio eſt animæ contemplatio. In Theologia enim uerſans ad intelligibilia & diuina conuertitur, &, qui illic ſunt, ordines quærit. Dum autem ſe ad intelligibilia conuertit, ad ſeipſam quoq; conuertitur: & de ſua ipſius ſubſtantia & ordine differet. Intelligibilium enim & diuinorum extrema eſt anima. Rurſus, cùm de morbis uerba facit, & uirtutum ordines contemplatur, de ſuis ipſius facultatibus & potentijs differet, quarum ſunt uirtutes. In naturali autem tractatu confert. Alia eſt enim natura, & alia anima. Quomodo igitur conferat ſubiunxit.*

Eſt enim veluti principium animalium.

*Principium & ut effectiuũ, & ut formale, & ut finale. Hæc enim ſunt, quæ propriè ſunt principia. Effectiuum quidem principium, quòd ipſa ſola uolũtate animal mouet, neq; uecte aliquo opus habet. formalis autem, quòd ipſa eſt, quæ animali, &, ut ſemel dicam, animatis formã tribuit. Animatæ enim formæ hoc ipſum eſſe ſecundum animã dicuntur. Quod enim in unoquoq; naturalium melius eſt, ut ipſe ait Ariſtoteles, uniuſcuiuſq; forma eſt. Melior autem in animatis eſt anima. Finale autem, quòd eius cauſa corpus eſt. Eſt enim corpus quidẽ propter aliquid. Ipſa autem eſt propter quod. Vnde & inſtrumentorũ, ſeu membrorum animalium alia eſt, & alia adaptatio ad proprietatem eius, quæ in unoquoq; eſt, animæ. Alia enim hominum, alia uolucrum, alia terreſtrium, alia aquatiliũ. Et in uno quoq; eorum multa eſt profunditas, cùm unumquodq; ſit paratum & inſtructum ad eam animæ facultatem, quæ dominatur. Aliter enim inſtructa ſunt quæ ſecundum iræ characterem impreſſa ſunt. Aliter, quæ ſecundum cupiditatem: De quibus non eſt præſentis loci dicere. Addidit autem hoc ueluti quòd cohærens, & proximũ animalium principium eſt natura, non anima.*

Quærimus autem contemplari & cognoſcere eius naturam, & ſubſtantiam. 3

*Contemplari quidem craſsius aggredi, quæ de ea dicenda ſunt, ſignificauerit. Cognoſcere autem exacte perſcrutari. Dicimur enim contemplari quidpiam, quando ad id ſimpliciter aggredimur. Noſſe autem ipſum, quando ea etiam, quæ ei inſunt, edidicimus. Naturam autem & ſubſtantiam, ſiue per figuram, quæ ex parallelo dicitur, idem intelligendum eſt, ut prioris ſecundum ſit expoſitiuum, naturam dico pro ſubſtantia: uel naturam dico pro ſubſtantia: uel naturam quidem ipſum eius genus: ſubſtantiam autem definitionem: ut ſub quod genus reducitur: utrum ſubſtantiam: uel qualitatem: uel quantitatẽ. Dixerint autem ad qualitatem quidem reduci, qui temperaturam: ſub quantum autem, qui rationem ſeu proportionem. Deinde cùm genus cognouerimus, ediſcere etiam oportet conſtitutiuas eius differentias, & ſic definitionem reddere. Definitio enim rerum ſubſtantias ſignificat.*

Deinde quæcunq; circa illam accidunt.

*Non dicit, quòd oportet quærere ea, quæ ſecundum accidens ei inſunt, ut album corpori: ſed, quæ ſecundum ſubſtantiam conſequuntur. Sic igitur audiemus illud accidit, quemadmodum & in ſyllogiſmi definitione concluſionem. Syllogiſmus enim eſt, inquit, oratio, in qua poſitis quibuſdam aliquid aliud ab iis, quæ poſita ſunt, accidit. Quemadmodum igitur hic non dicit ſecundum accidens ineſſe propoſitionibus concluſionem, ſed ſignificat ea dictio id, quod per ſe ex neceßitate conſequitur: ita & in præſentia eſt accipiendum.*

Quorum hæ quidem propriæ animæ affectiones eſſe videntur: Illa autem communia etiam animalibus per illam ineſſe.

*Eorum, quæ ex neceßitate animam conſequuntur, hæc quidem eam ſolam conſequuntur. illa autem totum animal. Dico autem, quod conſtat ex anima, & corpore. Et animæ quidem affectiones, intelligētia. Hoc enim eius in anima rationali eſt proprium. Aliæ autem affectiones ſentire, imaginari, iraſci, cupere, ſi quid eorum eſt, hæc utrinſq; ſunt cōmunia. Omnem enim animam, ut unam aliquam accipit, & ait eius quidem has proprias eſſe affectiones, non omnis ſimpliciter, ſed eius, quæ aperte anima dicitur. Quæ quidem, manifeſtum eſt, quòd animæ ſunt rationalis. In anima enim dicta ſimpliciter eſt & rationalis. Aliarum enim animarum nulla eſt propria affectio, quandoquidem ne earum quidem ſubſtantia eſt ſeparabilis. Affectionis autē nomen dupliciter dicitur. Dicitur enim affectio, uel quæ ducit ad corruptionem: uel quæ ad perfectionem. Dicitur enim lignum ab igne pati, & affici, ſed tanquam id, quod ad corruptionē ducitur. Dicimus etiam ſenſus pati à ſenſilibus: manifeſtum autem, quòd perfici, & à potentia in actum duci. Sic itaq; Plato in Sophiſta dicit de toto, quòd totum non eſt unum, ſed paſſum eſt unum, affectionem, uidelicet, dicens perfectiuā. Totum enim non eſt quod unum. Quoniam totum partium eſt totum: partes autem multæ, & non unum. Quare non unum totum, ſi quidem in multis habet ſuum eſſe, ſed paſſum habet unum. Paſſum eſt autem unum, cùm propriam perfectionem recepit. Ex hoc autem loco refellimus Andronicum Rhodium, qui peri hermenias opus adulterauit. Cùm enim illic dixiſſet Ariſtoteles, quòd intelligētiæ ſunt animæ affectiones, ut in libro de anima dictum eſt, ait Andronicus, quòd hoc nuſquam dictū eſt in libro de anima, Quare neceſſe eſſe uel eſſe adulterinum librum de anima, uel peri hermenias: ſed in confeſſo eſt librum de anima eſſe Ariſtotelis. adulterinus ergo peri hermenias. Dicimus ergo, quòd in hoc loco proprias animæ affectiones nihil aliud quàm intelligentias appellauit. Quare hoc erat, quod in peri hermenias tractatu dicebat.*

4 Eſt autem omnino difficilimum perſuaſionem aliquam de ea habere.

*Diximus quòd in procemio laudibus effert cōtemplationem de anima, & ad eam ſtudioſiores adhortatur, ſocordiores autē deterret. Hic igitur, ut hoc faciat, uult demonſtrare, quòd difficilis eſt de anima contemplatio, Quomodo autem difficilis, dixit ſuperius, quòd quærimus contemplari naturam & ſubſtantiam eius, id eſt uolumus inuenire, quæ ſit animæ definitio. Hæc autē, inquit, de definitione quæſtio & in omnibus, quæ ſunt, communiter eſt difficilis, & propriè in anima. Oportet enim, inquit, quærere communiter in definitionibus. Primum quidē, nunquid una eſt methodus, per quam fieri poßit, ut omnium, quæ ſunt, definitiones aßignentur, uel multæ. Et ſi una eſt methodus, quænam ea eſt. Si autem multæ, rurſus quærendum eſt, Quot & quæ numero ſunt, & quales. & quando inuenerimus quot ſunt, uerbi gratia duæ: Quales hæ ſunt, Deſcriptio et definitio. Alia autē ad hæc tertia nos excipit quæſtio, Qualibus nam methodis omnibus in rebus utendum. ſed & poſtquam hoc inuenerimus, rurſus quærendum: quandoquidem ex generibus & differentiis ſit definitio, quod rei propoſitæ genus eſt, & quæ differentiæ, quibus diuiditur genus, ut cognoſcamus quales ſunt rei propoſitæ conſtitutiuæ differentiæ, ut cùm eas cum genere contexuerimus, eius definitionem tradamus. Cōmuniter igitur propter hæc animæ definitionem accipere eſt difficile, quoniā omnē quoq; definitionē hæc cōſequūtur. propriè aūt in anima accidit adhuc magis dubiā de ea eſſe orationē, ut ipſe deinceps exponit.*

Cùm enim ſit communis quæſtio etiā multis aliis.

*In multis, inquit, rebus cōmunis de definitione quæſtio multis autem dixit, quoniam fieri non poteſt, ut omnium definitiones tradantur, Neq; enim generalißimorum, neq; indiuiduorum ſiue ſingularium, ſed per deſcriptionem ea ſignificamus. Quæ enim ſunt maxime uniuerſalia per ea, quæ per ſe ſunt propria. Singularia autem per ea, quæ eis propriè accidunt.*

Dico autem de ea, quæ eſt circa ſubſtantiā, & circa quid eſt.

*Quandoquidem ſubſtantiæ nomē multa ſignificat. Et genus enim, & materiam, & definitionem, nonnunquam autē omnem ſubſiſtentiam ſeu exiſtentiam, propterea cùm dixiſſet, eam, quæ eſt circa ſubſtantiam, interpretatus eſt addens, & eam, quæ circa quid eſt, ut ſignificet definitionem.*

Fortaſsis enim cuipiā videri poſsit vna eſſe methodus in omnibus, quorum ſubſtantiam volumus cognoſcere: quemadmodum & eorum, quæ ſunt ſecundū accidens, propriorum demonſtrationem. Quærēda igitur fuerit hæc methodus.

*Aliud eſt accidens, & aliud ſecundū accidens. Accidens quidem, quod in diuiſione ſubſtantiæ opponitur: quod ſecundum ſe non ſubſiſtit, neq; ſecundum ſubſtantiā rebus ineſt: ſed exterius eis ſuperuenit & accidit, ut nigrum uel album corporibus. Secundum accidens autem, quòd ex neceßitate ſubſtantias conſequitur. ut propoſitionibus accidere dicimus concluſionem, non quòd propoſitionibus accidat concluſio, ſed quòd ex neceßitate eas conſequatur. In talibus autē accidentis nomē imponimus, eo quòd ad alia quædam accidit, etiam ſi ex neceßitate, & quòd eadem ſint. Quod autem propriè eſt accidens, non eo quòd eadem ſint conſequitur. poteſt utiq; & coruus albus animo cogitari. Hic itaq; ſecundum accidens propria dixerit, quæ primo, & ſecundum ſe rebus inſunt, quæ & ſimul perimunt, & perimuntur: ut homini ſcientiæ ſuſceptiuum: & omni triāgulo tres angulus duobus rectis æquales habere, uel duo latera reliquo maiora. Hæc autem primo, & ſecundū ſe rebus ineſſe dicuntur. Primo quidem, quòd immediate his ſolis inſunt, & nulli alii. Secundum ſe autem, eo quòd ſecundum ſubſtantiā. Vnde & conuertuntur. Si enim homo, & ſcientiæ eſt ſuſceptiuum. Et rurſus ſi triangulus, ex neceßitate tres anguli duobus rectis ſunt æquales, & duo latera reliquo maiora, & contrà. Hæc igitur ipſe ſecundum accidens propria uocauit. Eſt igitur hoc primo, & ſecundum ſe. Secundum ſe autem, quod eſt ſecundum ſubſtantiam. Non ſi quid autem ſecundum ſe, hoc & primo. Amplius enim ſe extendit id quod eſt ſecundum ſe, quàm id quod eſt primo. Animal enim homini ſecundum ſe quidē ineſt, at nō primo. eo quòd etſi non eſt homo, animal eſt. Quare non primo homini ineſt. Similiter & figura triangulo ſecundū ſe quidem, non autè primo. etſi enim non fuerit triangulus, eſt figura. Et quid dico figuram? Ne rectilineum quidem primò ineſt triangulo, cùm ſecundum ſe quidem ſit. Eſt enim rectilineum, & ſi triangulus nō ſit.*

Hæc itaq; ſecundum ſe propria, quæ primo inſunt, dicit, quæ & ſoli, & omni, & ſemper, rei inſunt, & ſecundum ſe. Quare & ad rem conuertuntur. De ijs in demonſtratiuis, inquit, quòd eorum ſolum eſt demonſtratio, non autem accidentiũ, neq; eorum quæ ſecundum ſe quidẽ, non autem primo inſunt, idq; iure optimo. Quoniam enim demonſtratio ſcientia eſt, ſcientia autẽ eſt, quæ neq; falli, neq; labi poteſt, ijsq; aptatur quæ ſemper eadem ſunt, & eodẽ modo ſe habent, propterea fieri non poteſt, ut accidentium ſit demonſtratio, quæ aliquando aliter ſe habent, & adſunt, & recedunt. Rurſus demonſtratio eorum eſt, de quibus dubitatur. Ea autem, quæ ſecundum ſe inſunt, & non primo, ut plurimum in cõfeſſo ſunt, ut quòd homo ſit animal, & quòd figura triangulus, ne eorum quidem proprie fuerit demonſtratio. In illis itaq; demonſtrat, quòd uniuerſaliſſimorum generum ne eſt quidem demonſtratio, quoniam neq; definitio, ſed per deſcriptionem illa ſignificamus. Omnis enim proprie demonſtratio eſt, quæ effectorum ex cauſis fidem facit, particularium ex uniuerſalibus, ut uerbi gratia. Quòd homo ſubſtantia demõſtramus per mediũ animal. Eo enim quòd omne animal eſt ſubſtantia, & cauſa, quòd homo eſt ſubſtãtia, eſt quòd omne animal eſt ſubſtantia. Illud autem eſt & uniuerſalius. Omne enim animal eſſe ſubſtantiã amplius eſt quàm hominem eſſe animal. Rurſus quoniam eſt triangulus, propterea tres angulos duobus rectis æquales habet: & rurſus quandoquidem eſt triangulus, duo latera reliquo habet maiora: non quoniam duobus rectis æquales, propterea eſt triangulus. Hæc eſt igitur proprie demonſtratio. Eſt &, quæ τεκμηριώδης, id eſt ex proprijs & certis ſignis demonſtratio dicitur, quæ cauſarum ex effectis fidem facit, ut ipſe in libro de cœlo fecit, in quo ex lunæ illuminationibus demonſtrauit, quòd ea ſit ſphærica, Atqui cõtra demõſtrare oportebat, eo quòd eſt ſphærica, propterea ſic illuminatur. Ea itaq; utimur demonſtratione, quando effectum cauſa eſt manifeſtius, ſicut in luna ſe habet. Effectum enim, nempe illuminatio, manifeſtius eſt quàm cauſa. Dico autem, quàm quòd ſit orbiculata. Scimus enim quòd luna bis in mẽſe fit falcata, & quãdo à coitu diſcedit, & quando eſt coitura: bis dimidia ſui parte cæſa: bis utrinq; decliuis & gibboſa: ſemel plena. hoc autem fit, eo quòd ipſa ſit orbiculata. Si enim diſcus eſſet, uno ſimul tempore eſſet, uel illuminanda, uel non illuminanda. Nunc autem quoniam ſol quidem eſt ſuperius, quando ei ex diametro fuerit oppoſitus, quoniam nos medij intercedimus, uidemus totum noſtrum hæmiſphærium, ad quod quidem peruenit, eſſe illuminatũ. Cùm autem ad eam propius acceſſerit, ſemper quidem partis, quæ ad nos uergit, illuminationem diminuit, ei autem, quæ ſupra nos eſt, adijcit, quoniam ut dixi ſol eſt ea ſuperior: & ſic paulatim, donec perpẽdiculariter ei oppoſitus fuerit, ut inter utrunq; non amplius medij intercedamus, ſed ad unum latus ambo ſint, quæ ad nos quidem uergit, partem lumine uacuam efficiet, Quæ autem ſupra nos eſt, luminoſam reddit. Eius autem argumentum & ex eo, quod apud nos eſt, licet accipere. Si enim magnũ globum fecerit aliquis, deinde alterũ hæmiſpheriũ, id eſt mediã globi partẽ albo colore unxerit, alterũ autẽ nigro: deinde globũ in ſublime extulerit, & eum nõnihil paulatim inclinauerit, albo ſi contingat exiſtẽte ſuperius colore, deinde inclinato globo uidebit ueluti ſubtilem quandã falcatã euadere lunulã. Deinde per partes inclinato globo, reliquas quoq; fieri figuras. & tandẽ albo toto hæmiſpherio inferius cõuerſo, ſi magna ſit altitudo, uidebit diſci formã præ ſe ferre dealbatũ hæmiſpheriũ. Hæc quidẽ extra propoſitum. Talem autem demonſtrationẽ τεκμηριώδη, id eſt, quæ ex certis fit ſignis appellamus. Si fumus hic eſt, & ignis quoq; eſt. Certũ enim ignis ſignũ fumus eſt: ut quòd ſphærica ſit luna, quòd ſic illuminetur. Quod autem ſolui poteſt, & non ſemper certũ & indubitatũ eſt, non τεκμήριον, ſed ſignum appellatur. Id autẽ eſt quando effectum non omnino cauſa ſequitur, Vt pallida eſt quoniam peperit. Non enim omnino pallorẽ peperiſſe conſequitur. hoc ergo ſolui poteſt, & non τεκμήριον ſed ſignum eſt, ut prope corpus recenter occiſum ſtare, quòd occiderit ſignum eſt. Quapropter ait & ille. Propriorum igitur ſecundum accidens, quæ nos diximus primo & ſecundum ſe inesse, eorum eſt demonſtratio. Suſpicetur autẽ, inquit, quiſpiam, quòd quemadmodum horum una eſt methodus demonſtratiua, ſic, inquit, & ad accipiendam uniuſcuiuſq; methodum una quædam eſt methodus: ſed etſi una eſt, quærendũ eſt quænam ea ſit.

Si autem non vna eſt, & cõmunis quædam methodus circa id, quod quid eſt, adhue euadit tractatu difficilius. Circa vnũquodq; enim accipere oportebit, quis modus. 5

Si enim una eſſet, hoc ſolum haberet quæſtio, quidnã ea eſt. Quoniam autem una plures ſunt, plura ſunt, quæ ex eo quæruntur. Et quot numero, & quales ſpecie, & quali in qualibus rebus utendum. Hoc enim, Oportebat circa unumquodq; eorum accipere, quis modus ſignificat, quali methodo in qualibus rebus utendum.

Quando autem perſpicum fuit, vtrum eſt demonſtratio, vel diuiſio, vel quæpiã alia methodus, multas adhuc dubitationes, & errores habeat.

Hoc tanquam in ſuppoſitione dicit. Poſtquam, inquit, omnia enumerata inuenerimus, quando iam nobis manifeſtum fuerit, quòd hæc eſt methodus, per quam definitiones inuenimus. Age, uerbi gratia, dicamus. Vel demonſtratiua, uel diuiſiua, uel definitiua, alia rurſus excipit dubitatio prædictis nõ inferior. Qualis autem ea ſit, infert.

Ex quibus quærere oportet. Aliorũ enim ſunt principia, quemadmodum numerorum, & ſuperficierum.

Id eſt, ſub quod genus rem propoſitã reducemus, quandoquidem eorum, quæ ſunt, non unum eſt genus, ſed decem. Et alia ſub aliud genus referuntur, ut numerorũ, inquit, & ſuperficierum, Eorum ergo principia dicit numeri quidem quantitatẽ diſcretam, ſuperficiei autem continuam. Vel eorum etiam principia dixerit, Numeri quidem unitatem. Superficiei autẽ uel lineã, uel punctum. Fluentia enim ea, hic quidẽ lineã, illa uerò ſuperficiem generat. Sed hæc quidẽ coordinata, & ueluti elementaria ſunt principia. Continuã autẽ & diſcretum ſeparata. Conferũt autem nobis & coordinata ſæpe principia ad definitionis aſsignationem. Quemadmodum in numeris. Dicimus enim numerũ eſſe ex unitatibus compoſitam multitudinem. Quærimus ergo, inquit, ſub quod genus reducitur propoſitum. Multorum enim dubitabile genus eſt, ut cùm hoc inuenerimus, & in proprias differentias diuiſerimus, ſic definitiones tradamus.

Primum igitur fortaſſe neceſſarium eſt diuidere in quo eſt genere, & quid eſt. Dico autem, vtrum hoc quidpiam, & ſubſtantia, vel quale, vel quantũ, vel ex diuiſis prædicamentis aliquod aliud. 6

Poſtquam ea complenit, quæ de definitionibus communiter dubitantur, in quibus ſcilicet de anima quoq; dubitatur, hinc incipit & ab ijs, quæ in anima ad definitionis aſſumptionem dubitantur. Oportet ergo, inquit, & in anima quærere, ſub quod eam genus reducemus. Multa eſt enim de eo dubitatio. Alij enim eam ſub ſubſtantiam reducunt. Alij ſub quantitatem, quorum eſt Xenocrates. Numerus enim, inquit, ſeipſum mouens eſt anima. Numerus autem ſub quantitatem, Si quidem hæc dicebat ille, & non

non aliquid aliud ſignificare uolebat. Alij autẽ ſub qualitatem: Quorum ſunt & medici, qui temperaturam eſſe dicunt. Eiuſmodi autem & ij fuerint, qui talem entelechiam eſſe dicunt. Intelligemus autem, quomodo eam eſſe entelechiam dicit Ariſtoteles. Qui autem elementorum rationem ſeu proportionem eſſe dicunt, ſub id, quod eſt ad aliquid, reducere uideri poßint. Duplũ enim, uel hemiolium ſub id, quod eſt ad aliquid. Alicuius enim duplum eſt. Hucusq; igitur dubium eſt genus, ſed poſtquam inuenerimus quòd eſt ſubſtantia, rurſus quærimus utrum corpus, uel incorporeum. & ſi corpus, ſimplex, uel compoſitum. & ſi incorporeum, ſeparabile, uel inſeparabile. Et utrũ una in unoquoq; animæ eſt, uel plures. Et ſi una, uniuſne ſpeciei, an multas habens facultates, & quæ eſt facultatũ differentia. Et ſi plures, utrum numero plures, an etiam ſpecie. Etſi ſpecie, utrum genere, an non. Quæ enim ſpecie differunt, non omnino & genere, ut homo, & equus. At quæ genere quidem differunt, neceſſario & ſpecie, ut lapis, & animal. Hæc igitur & his plura ad capiendã animæ definitionẽ quærenda ſunt. Primum ergo neceſſariò fortaſſe diuidere oportet in quo genere eſt, & quid eſt, id eſt ex diuiſione genus eius oportet accipere. Quod genus in eo quod quid eſt prædicatur. In introductionibus enim didicimus, quòd genera in eo quod quid eſt prædicãtur. Quid enim eſt homo interrogati dicimus quòd animal. Et quid eſt Palma, ſi quis ignorans interroget, dicimus quòd arbor. Oportet igitur primum omnium, quid eſt anima cognoſcere. Vt enim diuinus Plato ait in Phædone. Vnum eſt principium recte conſultandi. Id enim, de quo conſiliũ capitur, ſcire oportet, uel à toto ab errare neceſſe eſt. De anima itaq; quærentes, ſi non prius quid ea ſit didicerimus, utrum ſubſtantia uel quantitas, ſed pro ſubſtantia, ſi ſubſtantia eſt, ut eſt, quantitatem uel qualitatem eſſe dixerimus, uel aliquod aliud prædicamentum, neceſſario cùm principio conſequenter, & conſentaneè, quæ deinceps dicentur, concluſerimus, à toto aberrauerimus alia pro alijs quærentes. Et Ariſtoteles autem in Phyſica, inquit. Quandoquidem noſſe & ſcire contingit circa omnes methodos, quarum ſunt principia, uel cauſæ, uel elementa, ex eo, quòd quis illa cognoſcit. Si itaq; ad uerũ cognitionem ſcire principia opus eſt, aliorum autem alia ſunt principia, quærendum eſt quod ſit animæ principiũ, & eo magis, quòd alijs eſt dubitabilior in anima principij quæſtio.

Præterea autem, vtrum eorum, quæ ſunt in potentia, vel potius entelechia quædam & actus: non parum enim differt.

Semper ſecundum diuiſionem procedẽs ueram diuiſionis ſectionem accipit, & eam ſubdiuidit. Cùm enim dixiſſet, utrum ſubſtantia, uel quantitas, uel qualitas, uel ex alijs prædicamentis aliud, alia quidem prætermiſit, accepit autem quod eſt ſubſtantia, & eam deinceps diuidit in corpus, & in incorporeũ. Loco enim eius quod eſt corpus & incorporeum, dixit, utrum eorum quæſſunt in potentia, uel potius entelechia quædam, id eſt actus, per id quidem, quod eſt in potentia, corpus ſignificans, per entelechiam autẽ incorporeum. Omne enim, ut ſemel dicam, corpus potentia eſt. Quod autem potẽtia, uel ſecundum ſubſtantiã tiam eſt, uel ſecundum quantitatem, uel ſecundum per locum mutationem, Omnia igitur, quæ in generatione & corruptione ſunt, corpora ſecundũ omnia, quæ potentia ſignificantur, in potentia ſunt. Potẽtia enim ſumus homines in ſpermate & in menſtruo. & cùm pueri ſumus, potentia hominis magnitudinem habemus. Similiter & in qualitatis potentia frigidi ſumus calidi exiſtentes, & potentia mouemur ſedentes. Cœleſtia autem in mutatione tantum ſecundum locum habent id, quod eſt potẽtia. Sol enim oriens in medio cœlo eſt potẽtia. & cum illic actu fuerit, potẽtia rurſus eſt in occaſu. & in alijs ſimiliter cœleſtibus.

Quoniam igitur in omnibus corporibus quod potentia eſt conſideratur, propterea per hoc, quod eſt potentia, corpus ſignificauit. Sed quare, cùm in corpore id, quod eſt in potentia poſuiſſet, in incorporeo nõ dixit entelechia, id eſt actu, in ablatiuo, ſed entelechia, hoc eſt actus in recto? Dico ergo, quòd aliud eſt potentia: aliud in potentia. Aliud entelechia ſiue actus: aliud in entelechia ſiue actu. Materia enim ſolum eſt potentia. Eſt enim omnia potentia, actu autem nihil. Forma autem ſolum actus. Quod autem conſtat ex materia & forma, & in potentia eſt, & in actu. Hæc enim ſimul concurrunt. Et quod eſt in potẽtia, hoc eſt & in actu. Omnes enim formæ potẽtia ſunt in materia, quæ quandoq; hoc, quandoq; illud fit actu. Nunc enim cùm ſit homo potentia, alias actu fit homo. uel potius ſimul habet, & quod potentia, &, quod actu eſt. Quoniam autem ea nunquam priuatur forma, illa autem forma actu quidẽ eſt hoc quidpiam, potentia autem aliud (ſeminis enim forma potentia eſt homo) cùm igitur in quibus, id, quod potentia eſt id, quod actu quoque eſt, & quandoquidem in diuinis & incorporeis non eſt, quod potentia, quãdo neq; materia, & propterea neq; quod actu eſt, nõ enim actu ſunt hoc quidpiã, ſed per ſe actus ſeu operationes ſunt, nẽpe formæ puræ ſine materia, ut & ipſe in libro peri hermenias, inquit, quòd illæ ſine potẽtia actus ſunt, & non dixit actu ſunt, propterea materiali & compoſitæ naturæ immaterialem & incorpoream in diuiſione opponẽs, dixit, utrum eorum quæ ſunt in potentia, id eſt corporum, quæ quidem in potentia ſunt, hoc eſt in materia: uel entelechia quædam ſeu quidam actus, id eſt forma quædam pura, & expers materiæ. non parum enim differt. id eſt, non parua eſt differẽtia inter corpus & incorporeum.

Conſyderandum autem eſt & ſi diuiſibilis, vel indiuiſibilis. 7

Hoc, ut & Alexandro uidetur, diuiſibilis, ſcilicet, uel indiuiſibilis poſſumus de animæ facultatibus accipere, utrum multis potentijs & facultatibus eſt prædita, an indiuiſibilis. Indiuiſibilem enim eam ait eſſe Democritus, & non multis facultatibus præditam, cùm dicit idem eſſe intelligere quod ſentire, eaq; ab eadẽ facultate procedere. Hunc autem locum, & ſic poſſumus accipere, utrum in unoquoq; una ſimpliciter eſt anima, uel in diuerſas animas diuiditur, ut plures ſint in uno quoq; animæ? Manifeſtum eſt autem, quòd & plures dici poſſunt & una. Plures quidem quòd à ſe inuicem ſpecie differunt, Plantalis, quæ & uegetatiua, ſeu naturalis, & Irrationalis, & Rationalis. & inuicem ſeparantur. Vnam autem propter cohærentiam & conſenſum. Quæ enim à ratione procedunt operationes & ad naturalem uſque procedunt. Et, qui earum ſunt motus, & uitæ rationem quoque unã ſecum ueluti efficiunt. Sic itaque & una & non una. Melius eſt autem illud, Diuiſibilis uel indiuiſibilis, ſic exponere. Vtrum, inquit, una quædam eſt anima in omnibus animatis, an multæ, Et ſi multæ, utrum ſpecie differunt tantùm, an & genere. Vnam autem eſſe dixerint, qui animam temperaturam dicunt. Mutari enim ipſam ad eam, quæ in unoquoq; eſt, temperaturæ proprietatem. Quemadmodum unus eſt aër, qui ab omnibus inſpiratur, ad eam, quæ in unoquoq; eſt animali, proprietatem. Hi autem ſuperiora inferioribus poſtponunt, cùm effecta cauſis præſtantiora faciunt. Inanimatum enim corpus animæ cauſam: non uitale uitæ: immobile mobilis: irrationale non irrationalis. & quæcunq; eiuſmodi.

Et vtrum vnius ſpeciei omnis eſt anima, an non? Si autem non vnius ſpeciei, vtrum ſpecie, vel genere differens? Nunc enim, qui de anima dicunt, & quærũt, de ſola humana conſiderare videntur.

Conſequens eſt ei, quod eſt, Multæ an una, multis datis illud quærere, utrum unius eſt ſpeciei, an non. poteſt autem hoc non tanquam ad eas, quæ in unoquoq; ſunt, animas plures exiſtentes dici, ſed de omni ſimpliciter anima, quæ eſt in animatis, quod magis eſt. Quod enim deinceps ſequitur hoc demonſtrat. Qui enim, inquit, de anima quæſiuerunt, de ſola humana quæſiuerunt. Quare manifeſtum eſt, quòd ab eo de omni anima diſſerendum eſt. Et illud igitur, diuiſibilis uel indiuiſibilis, ad hoc magis accipiendum eſt. Hæ igitur, quæ in omnibus, ut ſemel dicam, animatis animæ ſunt, utrum ſpecie ſolum, an & genere differunt? Accipit enim rurſus ex diuiſione id, quod uerum eſt, & in confeſſo eſt, quòd ſunt differentes ſpecie. Nunc enim, inquit, qui de anima quærunt, de humana uidentur quærere. Dicunt autem nonnulli, quorum eſt & Alexander, eum Platonem ſignificare uelle. Videtur autem Plato & multis alijs in locis, maximè autem in Timæo de irrationali diſſeruiſſe. fortaßis autem Democriti ſectatores phyſicos & alios obſcure ſignificat. Poßimus autem eos quoque defendere. Dicere enim poſſent, quòd in humana anima omnis animalis conſideratur facultas. Si itaque de ea diſſeruerimus, de omni quoque diſſeruiſſe dici poſſumus.

8 Cauendum eſt autem ne nos lateat, vtrum vna eſt eius ratio, quemadmodum animalis, vel ſecundum vnumquodq; alia, quemadmodum equi: canis: hominis: Dei.

Cùm dixiſſet utrum eiuſdem uel diuerſi ſunt generis animæ, rurſus de earum genere, inquit, ſi quidem eſt genus, quòd cauere oportet, & quærere, utrum fieri poteſt, ut omnis animæ una aßignetur definitio, an non. Vna autem definitio aßignari poteſt, ſi commune genus habeant: quemadmodum, cùm animal ſit genus equi, & hominis, & reliquarum ſpecierum, una definitio aßignatur, ſubſtantia animata, ſenſitiua, quæ particularibus conuenit animalibus propter commune genus. Si autem unum commune genus non habeant, non una earum definitio aſſignari poßit. Non habent autem. Quomodo? Quòd in ijs eſt aliud quidem prius natura, aliud poſterius. In quibus autem eſt prius & poſterius, eorum non eſt, quod communiter prædicatur, genus. Eſt autem natura prius, quod ſimul quidem perimit, ſed non una perimitur, & quod ſimul quidem infertur, ſed non ſimul infert. Eſt igitur in animabus prius & poſterius natura. Vbi enim eſt rationalis, illic & irrationalis, & uegetatiua. At non ubi uegetatiua, illic & reliquæ: uel ubi irrationalis, illic & uegetatiua. Et ſublata uegetatiua reliquas etiam ex ſubiecto ſuſtulerit. Eſt itaq; in ijs quod natura prius eſt, & quod poſterius. Prior enim eſt uegetatiua non dignitate, ſed quòd ſine ea aliæ nõ ſint. Et rationali irrationalis, ſimiliter prior eſt. Si autẽ in eis eſt prius & poſterius, non eſt ergo, quod de eis communiter prædicatur genus. dico autem anima: ſed uox æquiuoca, ut quæ ab uno, & ad unum ſunt. Quapropter eorum non ulla fuerit definitio, quoniam neq; æquiuocorum ullius: ſed diuerſæ ſunt animarum definitiones: ut hominis, & equi, & canis alia. Quare & ipſe communem aliquam de anima definitionem traditurus, non ad definitionem, ſed ex quadam analogia, ut intelligemus, dixit, Si quidem commune quidpiam in omni anima oportet dicere, uidelicet quòd non eſſet propria definitio.

Animal autem quod eſt in vniuerſum, vel nullum eſt, vel poſterius. Similiter autem, & ſi quid aliud commune prædicetur.

Exiſtimauerunt nonnulli eum de ideis hoc dicere Platonem ſignificare uolentem: ſed non ſic habet. Si quidem & ipſi quoque uidentur eſſe, quæ ante multa ſunt, genera & ſpecies. In Metaphyſicis itaque ait, quòd quemadmodum ordo duplex eſt: alius quidem in imperatore: alius autem in militibus: &, quòd ex eo, qui in imperatore eſt, ordine fit, qui eſt in militibus. Et duplex ſanitas. Hæc quidem in medico: illa uerò in eo, quod ſanatur, corpore. Et ea quidem, quæ eſt in medico, eſt effectiua eius, quæ eſt in corpore. Sic &, qui in mundo ordo eſt, ex eo, qui eſt in rerum opifice, ordine proceßit. Nouit itaque & ipſe ſeparatas rerum rationes. In eodem quoque tractatu ait. Qui autem intellectus eſt ſecundum actum res ipſæ eſt. Recte autem & ij dixerunt, qui animam formarum eſſe locum dixere. Et rurſus in metaphyſicis de mente diuina diſſerens, inquit, Omnium formas in ea eſſe. Dicit itaque, quòd ſeipſum uidens res uidet: & res uidens, ſeipſum uidet. Et infinita ipſius alia, quæ afferre licet in hanc ſententiam. Quare non de eis, quæ ante multas ſunt, ſpeciebus loquitur, ſed de poſterius genitis. Quamobrem non ſimpliciter dixit, quòd animal nihil eſt, ſed addidit quòd in uniuerſum, ſignificans quòd ut ſubſtantia quidem animal eſt, & definiri poteſt. Quod in uniuerſum autem eſt, in ſubſiſtentia non eſt. Neque enim ſimpliciter in uniuerſum animal eſt, quod non particularium aliquid eſt. Quare ut in uniuerſum, & ut genus aliquod animal, uel nihil eſt, uel poſterius eſt, id eſt, quod mente cogitari poteſt. Suam enim in eo, quòd mente comprehendatur, habet ſubſiſtentiam. ut autem per ſe, nihil eſt quod ſubſiſtat. Et qui hominem definit, & equum, non quatenus commune eſt quod in pluribus uidetur ſingularibus definit, ſed quatenus natura quædam eſt & ſubſtantia. Eorum enim multitudo eſt ſecundum materiam, non ſecundum formam. Et quòd & animal & homo, quatenus ſubſtantia eſt, definiuntur, non quatenus de pluribus prædicãtur, eſt apertum. Quamuis enim unus ſit homo, ſimiliter hominis conueniet definitio. Præterea autem & animalis. Sic quidem Alexander. Ariſtoteles autem poſtquam omnino de animali mentionem feciſſet dicens, nunquid una eſt omnis animæ definitio, quemadmodũ animalis, propterea addidit, Quod in uniuerſum eſt animal uel nullum eſt, uel poſterius. Si uult igitur animalis omnino eſſe definitionem, eorum autem, quæ ante multa ſunt, generum definitiones nullæ ſunt, neq; enim fieri poteſt ut ea uideantur, cùm rationes ſint opificiales: definimus autem, quæ mente cogitari & intellectu comprehendi poſſunt: quàm enim habemus mentis de rebus conceptum definimus: ea autem poſterius genita ſunt: recte igitur diximus, quòd de poſterius genitis hæc dicit.

Præterea autem ſi non multæ animæ, ſed 9
partes, vtrum prius de tota anima, an de partibus quærere oportet. Earum autem & defi-
nire difficile quænam ſint à ſe inuicem aliæ, & 10
vtrum partes primum, an earum opera quærere oportet, vt intelligere, an intellectum, & ſentire an ſenſitiuum. Similiter autem & in alijs. Si autem opera prius, rurſus dubitauerit quiſpiam, an & eorũ oppoſita prius quærere oporteat, vt ſenſile quàm ſenſitiuum, & intelligibile quàm intellectiuum.

Poſtquam dixit, utrum una an multæ, & quòd ſi multæ, utrum ſpecie tantum, an & genere ſint aliæ: nunc alteram diuiſionis partem examinat. Si enim non multæ, inquit, ſunt animæ, ſed partes. Illud autem, non multæ, rurſus dupliciter exponemus, ut ei quod eſt ſuperius conueniat. Vel enim in unoquoque noſtrum, & omnium, ut ſummatim dicam, animatorum non

multæ

multæ ſunt animæ, ut in homine uegetatiua, irrationalis, & rationalis, & earum partes, ſed una quidem anima: Hæ autem ſunt eius partes, id eſt diuerſæ facultates: Vel, quòd, quæ eſt, ut ſemel dicã, ſimpliciter anima, non diuiditur, ut genus in multas animarũ species, in rationem, in animũ, in cupiditatem, & reliquas, ut ſit unumquodq; eorum anima, quod ſuperius dicebat, Vtrum diuiſibilis, uel indiuiſibilis. Genus enim in ſpecies diuiditur, ut ſit in unoquoque animatorum non anima, ſed pars uel partes animæ, quæ, ut ſummatim dicam, totum & integrum eſt, non genus. Si itaque, inquit, non multæ ſunt animæ, ſed partes animarum, id eſt facultates ſunt multæ, ſiue hoc modo, ſiue illo accipias, multas, inquit, dubitationes habet oratio. Quærendum eſt enim unde à doctrina, uel ſpeculatione eſt incipiendum: utrum à partibus, an à toto. Vtrunque enim uidebitur rationi conſentaneum. Exiſtimauerit enim quiſpiam à toto, utpote apertiori, eſſe incipiendum. Eſt enim totum apertius partibus. Rurſus autem uideri poſſet à partibus, tanquã ſimplicioribus, eſſe incipiendum. Oportet enim eum, qui aliquod compoſitum eſt cogniturus, ea prius noſſe, ex quibus conſtitutum eſt. Rurſus quoniam potentiæ ſiue facultates habent quædam opera, Dico autem operationes: omnis enim operatio ex facultate eſt: rurſus quærendum eſt, utrum ab operationibus, an ab ipſis facultatibus ſit primum incipiendum. Quoniam ergo obſcuræ ſunt rerum ſubſtantiæ, claræ autẽ operationes, propterea oportet à manifeſtis incipere. Ex operationibus enim habitus ponderamus, cùm ſint obſcuri habitus. Cùm autem habitus didicerimus, idem eſt autem dicere facultates, ex eis etiam ſubſtantias ponderamus. Omnis enim facultas ex ſubſtantia: & omnis operatio ex facultate. Sed poſtquam, inquit, hoc inuenerimus, quòd ab operationibus oporteat incipere, Quandoquidem operationes ſunt eorum quæ ſunt ad aliquid, ut intellectus intelligibilis, & ſenſus ſenſilis, & imaginatio imaginabilis, & cogitatio cogitabilis, & reliquæ ſimiliter, ſunt autem hæc, ex ijs quæ ſunt ad aliquid. Oportet autem eum, qui ſcit, ea, quæ ſunt ad aliquid, ſcire etiam ad quid eſt, neceſſe eſt, inquit, rurſus quærere utrum ab operationibus incipere oporteat, an ab ijs, circa quæ uerſantur: & quandoquidem operationibus manifeſtiora ſunt ea, circa quæ uerſantur: eſt enim ſenſile ſenſu manifeſtius: & opinabile opinione: & reliqua ſimiliter: ab ab illis ergo eſt incipiendum. In intellectu autem & intelligibili tantum aliquid eſt diſcriminis. Hic enim intelligibile intellectu eſt obſcurius. Intellectus enim noſter eſt, at intelligibile ſupra nos. Propterea ergo oportet eum, qui intelligibilia eſt cogniturus, prius ſcire quid ſit intellectus. ſic ergo & Ariſtoteles in hoc ſolo facit, prius de intellectu, deinde de intelligibilibus docens. Eſt autem & in ijs definire difficile quænam ſint à ſe inuicem aliæ. Incertum enim eſt, an ſenſus & imaginatio idem ſit, uel alterum: an imaginatiuum, & id quod eſt ſecundum locum motiuum, & in reliquis itidem. Et utrum prius partes quærere oportet, an opera ipſarum. partes quidem facultates, earum autem opera operationes. Vt intelligere, an intellectum. Intellectum quidem facultatem, intelligere autem operationem. Et ſentire, an ſenſitiuum. ſentire rurſus operationem, ſenſitiuum autem facultatem. Similiter autem & in alijs, facultatibus uidelicet, & operationibus: intellectu & intelligibili, opinione & opinabili, & reliquis. Si autem opera prius, rurſus dubitauerit quiſpiam, an eorum oppoſita prius quærenda ſint quàm opera, id eſt quàm operationes. Operationibus autem oppoſita dicebamus ſenſile ſenſui, & reliqua ſimiliter. Opponuntur autem ea, ut quæ ſunt ad aliquid. Senſus enim ſenſilis ſenſus eſt, & ſenſile ſenſitiui, & intelligibile intellectiui. Oportebat dicere ſenſile ſenſus, & intelligibile intellectus. Hæc enim ſunt operationum ſignificatiua. Nunc autem improprie utens dixit, ſenſitiui, & intellectiui, quæ quidem erant facultatum ſignificatiua.

Videtur autem non ſolũ ſcire quid eſt, vtile eſſe ad conſiderandas cauſas eorum, quæ ſubſtantijs accidunt.

Expoſitis ijs, quæ quæri debent & communiter in omni definitione, & ſeorſum in animæ, nunc uult nobis per hæc compendiariam quandam rationem, & facultatem inueniendarum definitionum tradere. Eſt autem hæc methodus. Non ſolum, inquit, rerum definitio nobis confert ad ea cognoſcenda, quæ rebus ſubſtantialiter inſunt: ut quando diximus, quòd anima eſt ſubſtantia per ſe mobilis, per eam enim ratiocinamur, quòd eſt immortalis, &, quod per ſe animæ ineſt, nempe immortalitatem, dabimus ex definitione. Et rurſus cùm cognouerimus, quid eſt triangulus, ex ea inuenimus, quòd duo latera reliquo habet maiora, & tres angulos duobus rectis habet æquales, Non ſolum igitur, inquit, ad eorum, quæ per ſe rebus inſunt inuentionem nobis conferunt definitiones, ſed nonnunquam & contra ad cognoſcendum, quæ eſt definitio rei propoſitæ, nobis multum confert cognitio eorum, quæ per ſe, & primum rebus inſunt. Hæc enim hic dicit accidentia, ut ſuperius etiam diximus. Sed ſi hoc ita ſe habet, uideri poßit mutua eſſe, & unius uicißim per alterum fieri demonſtratio. Si enim per definitiones accidentia cognoſcimus, & per ea rurſus definitiones, mutua eſt demonſtratio. Dico itaque, quòd non eſt mutua: non enim in eiſdem accidentibus utraque dicit: ſed alia quidem, quæ per definitiones cognoſcimus, & alia, per quæ ad inueniendæ definitionis facultatem peruenimus. Quæ enim aperta, & ex euidentia accepta ſunt accidentia, conferunt nobis ad definitiones nondum cognitas. Definitiones autem ad aſſumptionem eorum, quæ non aperta ſunt, ex euidentia accidentium. Vt ſæpe & ipſe fecit, cùm uellet loci definitionem tradere, quandoquidem ea erat incerta. Aſſumamus, inquit, prius tanquam ad indicandam, quæ traditur, definitionem ea, quæ loco ſecundum communem animi conceptum inſunt: ut continere id quod eſt in loco, ei æquale eſſe, & quæcunque illic alia enumerauit. Et ſi, inquit, aßignata definitio talis ſit, ut omnibus conueniat, quæ ſecundum communem animi conceptum loco inſunt, bona erit: Sin minus, non. Sic autem in infinito, inani, & tempore. Sic & in Meteoris grandinis cauſam quærens, ea quæſiuit, quæ ei communiter ineſſe in confeſſo eſt, ut in autumno & uere fieri, & hyeme in calidioribus regionibus. Deinde, inquit, talem de ea tradamus cauſam, quæ his omnibus congruat. Sic itaque ait & nunc, quoniam animæ definitionem quærimus, ea autem incerta eſt, aſſumamus ea, quæ ex euidentia per ſeſe animam primum conſequũtur: ut ex ijs & ad eius definitionis aſſumptionem deducamur, ut imaginatiuam, ſecundum locum motiuum, uitæ effectiuam, & quæcunque eiuſmodi. Hæc ſunt animæ propria. Et ideo poſtquam è corpore exceſſerit, hæc & eiuſmodi corpus non amplius operatur.

Quemadmodum in diſciplinis, vt quid rectum, & quid inflexum, vel quid linea & ſuperficies ad videndum quot rectis trianguli, anguli æquales ſint: ſed & contra accidentia magna ex parte conferunt ad cognoſcendum quid eſt.

Hoc eſt illius exemplũ, quòd ex definitionibus ea quæ per ſe rebus inſunt, inuenimus. Ex definitionibus enim, quæ cõſequuntur, in mathematicis omnino eſt ſcire neceſſarium, quandoquidẽ in ijs nihil eorum, quæ inſunt, ſenſu poſſumus deprehẽdere. Sed

oportet primum ſcire quid eſt triangulus: Deinde ſic ex eo ratiocinari, quid illum conſequitur. Per exemplū autem demōſtrauit, quòd accidentia nunc dicit, quæ per ſe primo inſunt. Triangulo enim primo, & per ſe ineſt tres angulos duobus rectis æquales habere. Soli enim, & omni triāgulo hoc ineſt. Ad talium igitur cognitionē cōfert, ait, ſcire quid eſt linea, uel quid ſuperficies, ſeu planū, uel rectum, uel incuruū. Hæc autē exempli gratia tanquā in ſuppoſitione dixit: non tanquā uel hæc ſola, uel ſolum cōferant ad diſcendū, quòd duobus rectis æquales ſunt tres anguli. Neq; enim incurui definitio, neq; plani quidquā confert. Oportet autem & aliorum quorundam definitiones aſſumere. In iis igitur ad accipienda accidentia definitionis aſſumptione opus eſt, quandoquidē nihil poſſumus ex euidētia de iis dicere. Quemadmodū autē in aliis quoq; rebus ad accipiendā definitionem accidentium cognitione opus eſt, ut & in loco, & tempore, & inani, & infinito ſe habet. & nunc in anima, eo quòd incerta quidem ſit definitio, ea autem ſunt ex ſenſu manifeſta.

Poſtquam enim de iis, quæ in imaginatione accidunt vel omnibus, vel plurimis tradere potuerimus, tunc & de ſubſtantia aliquid dicere quàm maxime poterimus.

Imaginationem ait uel planiorem, & craßiorem cognitionē, uel ea, quæ apparent, & manifeſta ſunt, phantaſiam Græce appellans, eo quòd φανερὰ, id eſt apparentia & manifeſta ſint. Tunc & de ſubſtantia pulcherrime dicere poterimus. Si enim multa eorū, quæ per ſe & primo rebus inſunt cognoſcere poſſumus, ueluti ueſtigia ſequentes per ea rei definitionem inuenire poterimus. Subſtantiam autem omnia, ut ſemel dicā, dicit, & definitionem, & quæcunq; ſubſtantiæ accidunt. Inuenta enim definitione, & omnia, quæ ſubſtantiæ inſunt, inueniemus. & hoc uolens declarare intulit.

Omnis enim demonſtrationis principium eſt, quid eſt.

Hoc uidelicet, etſi ex euidētia eorum, quæ ſubſtantiis inſunt, cognitionē aliquam habemus: ſed eam cognitionē ex ſenſu habemus, & non demonſtratiuam. Si autē definitionē cognouerimus, tunc eorū cognitionē ex ſcientia aſſequi poterimus principiis utentes definitionibus. Vel nō ad omnia, quæ ſubſtantiis ut ſummatim dicam, ſunt accidentia, hoc accipiendū eſt: accidentia autem, ut iam dicebā, quæ primo, & per ſe inſunt, ne mutua uideatur eſſe demonſtratio, ſi per accidentia definitionē, & per eam illa rurſus cognoſcimus, ſed alia quidem per quæ definitiones cognoſcimus, quorum cognitionem ex ſenſu habemus. ut quòd ſimul ac adſit, corporibus uitam afferat: hoc enim eſt animæ proprium, quod cauſa ſit nutritionis: auctionis: generationis: quòd animalibus motus ad obliqua cauſa ſit. Hæc enim ſenſu cognoſci poſſunt. Alia autem, quæ cum incerta, & obſcura ſint, ex definitionibus ratiocinatione colligimus, ut eſſe immortalem, rationalem animā. poſtquā enim in eius definitione inuenimus, quòd eſt ſubſtātia per ſe mobilis, ex ea per ſe mobilitate immortalitatem collegimus. Definitio enim ex iis, quæ per ſe rebus inſunt, accipitur: non autē omnia, quæ per ſe inſunt, comprehēdit, ſed quæcunq; ad ſubiectam aliorū naturā ſubſtantialiter diſcernendā ſatis ſunt. Vel ſic igitur illud eſt accipiendū. Omnis enim demōſtrationis principiū eſt qd eſt: Vel quod dicebā, & magis uerū eſt, & Alexandro quoq; uidetur, Omniū omnino, quæ per ſe rebus inſunt, principiū eſſe definitionē dicit. Quomodo enim uſu uenire poteſt, ut quis demonſtratiue ſciat, quæ ſecundū ſubſtantiam rei inſunt, qui non eius ſubſtantiam cognouerit? Quædam enim ex iis, quæ rebus inſunt, ex ſenſu licet apprehendere: ex quibus ad definitionem quoq; oportunitatem & facultatem inuenimus. Quæ autē ex ſcientia cognitio eſt, haberi non poteſt ab eo, qui rei ſubſtantiam ignorat: Id autem eſt definitio. Vnum enim eſt reuera principium ei, qui recte eſt cōſultaturus, id ſcire, de quo capiendum eſt conſiliū, uel à toto aberret neceſſe eſt. Quòd enim animæ ineſt imaginari, ſentire, cogitare, & eiuſmodi, ſcimus ex ſenſu. Quænam eſt autē eorum natura, & utrū eadem inuicem ſunt, an alia, & quæcunq; de iis quæruntur, neſcimus: ſed tunc certam, & ex ſciētia eorum cognitionē habemus, quādo animæ ſubſtantiā cognouerimus. Mutua autē non eſt demonſtratio. Cùm enim in omni re quæſtiones quatuor ſint, An eſt, Quid eſt, & Quale eſt, et Propter quid eſt. Quòd ſunt quidem, ex euidentia accidētia accipimus. & quid eſt, quod eſt definitionis, ex eis coniicimus. ex definitione autem, non quòd ſunt accidētia cognoſcimus, ſed quid eſt, & quale, & propter quid. Quare per quæſtionem quidem Quòd eſt, quæ eſt accidentium, Quid eſt, quod eſt definitionis, cognoſcimus. Per quæſtionē autem Quid eſt definitionis reliquas quæſtiones accidētiū. Quare non ſecundum idem mutua eſt demonſtratio. Hoc autem non eſt abſurdum inuicem quædam demonſtrare non ſecundum idē, ſed ſecundum aliud & aliud. & quòd in hac eſt ſententia Ariſtoteles, demonſtrant quæ ſequuntur.

Quare in quibuſcunq; definitionibus non contingit accidentia cognoſcere, ſed ne de iis quidem cōiicere eſt facile, manifeſtū eſt quòd dialectice dicta ſunt, & inaniter omnia.

Hæc iis quæ dicta ſunt cōſentiunt. Si enim omnis demonſtrationis principium eſt, Quid eſt, omnino neceſſe eſt, ſi talis nō ſit aßignata rei definitio, ut per eam de omnibus, quæ per ſe rei inſunt, tanquā per principiū, ſciētia acquiratur, uel ueriſimilis aliqua cōiectura accipiatur. quādoquidē non omnia, quæ per ſe rei inſunt in definitione apparēt, neceſſe eſt, inquit, talē definitionē eſſe dialecticā, & inaniter dictā eſſe, id eſt per inane ferri. et rei naturam nō attingere, neq; mentis, ut ita dicā, pedē rei infigere, ſed leuem & in aëre ſuſpēſam eſſe. Dialecticam autē, id eſt non phyſicā, ſed ad exiſtimationem plane reſpiciētē, & ut uideatur aliquid dicere. Cuius modi & ipſe paulopoſt mentionem faciet eius, inquā, quæ iram eſſe dicit, referendæ moleſtiæ deſiderium. Non enim naturalis hæc eſt definitio. nam iræ ſubſtantiā nō declarauit: ſed cùm ab ea aliquid, quod in illa eſſe iuum habet, abſcidiſſet, per ipſum definiuit, ex quo neq; ea, quæ irā conſequuntur, cognouerimus, quemadmodum ex ea, quæ dicit, iram eſſe ebullitionē ſanguinis, qui eſt circa cor, propter referendi doloris cupiditatem. Ea enim facit, ut quæ conſequuntur, cognoſcantur, quòd cordis quædam palpitatio iraſcentes conſequitur: & quòd calòr eſt circa eas, quæ illic ſunt partes: et quòd rubeſcūt, qui iraſcuntur. Hoc autē fit propter ſanguinis motum. Talis eſt & quæ à Xenocrate tradita eſt animæ definitio. Numerus enim eſt, inquit, ſeipſum mouēs. Qui enim eam audiuerit, nihil coniicere, uel ex ea accipere poterit eorum, quæ animæ, uel animali inſunt. Regulam autem nobis per hæc tradit Ariſtoteles definitionum traditionis, quòd eas oportet tales eſſe, ut omnia, quæ per ſe rebus inſunt, per eas tanquam ex aliquo principio poſſint ratiocinatione colligi.

Dubitationem autem habent & animæ affe- 12
ctiones, vtrum omnes ſunt eius quoq;, quod illam habet communes, an eſt etiam aliqua ipſius animæ propria. Hoc enim accipere neceſſarium quidem, non autem facile. Videtur autem ex plurimis nulla ſine corpore pati, nec facere, vt iraſci, confidere, cupere, & omnino ſentire.

Poſtquam dixit quæſtiones, quæ in tractatu de anima quæri debent,

debẽt, deinde facultatem quandã & rationẽ ad inueniendã definitionẽ eſſe dixit, illã, quæ eſt ex ſenſu eorũ, quæ animæ inſunt, cognitionẽ. & hoc ipſum, inquit, longe difficilimũ fuerit de animæ affectionibus contemplationẽ aliquã accipere, tanquam uiaticum ad definitionẽ. nõ enim ex ſenſu diſcernere poſſumus, inquit, nunquid animæ affectiones omnes utriuſq; ſunt ſimul, animalis dico, cõmunes, an habet cõmunes quaſdã ipſa, & proprias affectiones. Neceſſe eſt enim, inquit, hoc prius omnino aſſumere ad cognoſcẽdã animæ ſubſtantiã. Eſt autẽ aſſequi difficilimũ. Si itaq; tanquã inſtrumẽto utitur corpore, cùm ſeorſum habeat operationes, ad definitionẽ non opus eſt corpus adſciſcere. Neq; enim fabri ſubſtantiã cõplet ſecuris. Si autẽ in corpore eſſe ſuũ habet, ut utriuſq; ſimul ſint operationes, in definitione corpus adhibere neceſſe eſt. ſicut de ira diximus. Neceſſaria ergo eſt eorum adſumptio, ſed nõ facilis. Affectiones autẽ cõmunis animæ operationes appellauit. Videtur autẽ ex plurimis nulla ſine corpore pati, nec facere. Ex affectionibus enim plurimæ & cũ corpore fiunt, & circa corpus. In iis enim, qui iraſcuntur, & dolẽt, cupiunt, cõfidũt, & metuũt, & in omnibus eiuſmodi ſimul afficitur, & commouetur corpus: ſed & ipſæ harum affectionum operationes circa corpora ſunt. Quare utriuſq; ſimul, & non animæ propriæ ſunt eiuſmodi.

Maxime autem videtur proprie intelligere.

Ecce rurſus affectionẽ intelligere appellauit. Hoc autẽ tanquam aduerſus Andronicũ Rhodium, qui peri hermenias opus adulterauit, eo quòd illic Ariſtoteles quidẽ dixit mentis conceptus animæ affectiones, ut in lib. de anima dictũ eſt, nuſquã autẽ uideri in lib. de anima, ut arbitratus eſt Andronicus, mentis conceptus affectiones dixiſſe. Ecce autem & hic quoq; ait. Maxime autem uidetur propria intelligere, propria ſcilicet affectio.

Si eſt autem & hoc imaginatio quædã, vel non ſine imaginatione, hoc non cõtingat eſſe ſine corpore.

Si intellectus, inquit, uel imaginatio quædã eſt, uel nõ eſt ſine imaginatione, neceſſe eſt omnino neq; intellectũ eſſe animæ propriũ, ſed utriuſq; ſimul. ſi quidẽ imaginatio ex ſenſu dependet: ab eo enim typos habet. Senſus autẽ utriuſq; ſimul. Et hic quidẽ, utpote in quæſtionibus, ſic ait. Aperte autem in tertio libro intellectũ ait eſſe ſine imaginatione. Sic autẽ dicit. Primæ autem intelligẽtiæ quid differunt, quo minus imaginationes ſeu uiſa ſint, uel nec alia quidẽ uiſa, ſed non ſine uiſis. Primas intelligentias appellans, quæ ſunt de intelligibilibus, quas nõ eſſe imaginabiles pronunciauit. Illud autẽ, Non ſine, tribus modis dicitur. Vel id enim, quod neq; iuuat, neq; nocet. ut dicimus. Nõ ſine umbra, quod in lumine corpus eſt. Neque enim corpori umbra uel prodeſt, uel nocet. Vel quod eſt ex neceſſitate, ut inſtrumentum, uel quid tale, ut dicimus quòd fortiter ſe geſſit Achilles, ſed non ſine haſta. Ad ſe enim fortiter gerẽdũ neceſſariò haſta opus habuit. Neq; enim nudus ſe fortiter gerere poterat. Vel id quod eſt impedimento, ut dicimus, quòd hyeme nauigans ſaluus euaſit, ſed non ſine periculo. hic enim illud, Non ſine, tanquam quod impedimẽto fuerit accipimus. In eo igitur loco, Vel nec alia quidem uiſa, ſed non ſine uiſis, tanquã quod impedimento ſit, illud, non ſine, accepit. In propoſito autẽ loco illud, Si autẽ eſt & hoc imaginatio quædam, uel non ſine imaginatione, illud, Non ſine, tanquam quod eſt ex neceſſitate dicit, ut ſi inſtrumẽti loco imaginatione mens opus habeat ad proprias implẽdas operationes. Quamobrem illud intulit, Non contingit eſſe ſine corpore. Hoc autem ab eo dicitur, tanquam in ſuppoſitione.

13 Si itaq; eſt animæ operum, vel affectionum aliquid propriũ, contingat eam ſeparari. Si autẽ nihil eſt eius propriũ, nõ fuerit ſeparabilis.

Magna interpretibus de hoc loco fuit cõtentio & ambiguitas. Cùm enim philoſophum antiſtrophe, quæ reuerſio dicitur, & cum antitheſi, id eſt cõtrapoſitione ſic, uſum eſſe exiſtimarent, meritò dubitabant tanquã ex antecedenti antiſtrophe philoſophus male eſſet uſus, cùm oporteret ex conſequenti facere antiſtrophen. Sic enim, inquiunt, ait. Si quidẽ eſt aliqua animæ propria affectio, eſt ſeparabilis. Deinde accepit oppoſitum antecedentis, & confirmauit oppoſitũ conſequẽtis. Si autem nulla eſt animæ propria affectio, nec ipſa erit ſeparabilis, cùm oporteret ex cõſequenti conuertere. Si autẽ non eſt ſeparabilis, non habet aliquam propriã affectionẽ. Attici autẽ interpretes recte inquiunt, quòd neq; antiſtrophe hic omnino uſus eſt, ſed duo quædã coniuncta accepit, duas quaſdam per ea nobis tradẽs regulas, quas hinc iam acceptas prius diximus. Quòd, quorũ operationes à corporibus ſunt ſeparabiles, eorũ etiã ſubſtantiæ ſunt omnino ſeparabiles. Et quorũ inſeparabiles ſunt operationes, eorum etiã ſubſtantiæ ſunt inſeparabiles. Si enim operatio quidem ſit ſeparabilis, inſeparabilis autẽ ſubſtantia, Quandoquidẽ operationes quidẽ ex facultatibus, facultates autẽ ex ſubſtantiis, quoniã ſeparabilis eſt operatio, ſiquidẽ eſt ſeparabilis, neceſſe eſt aliquam eſſe operationem, quæ citra ſubſtantiam, & facultatem ſit, quod fieri non poteſt. Omnis enim ex facultate eſt operatio. Omnis autem facultas eſt ex ſubſtantia. Neceſſe eſt ergo omnino, cùm ſit ſeparabilis operatio, ſubſtantiã quoq; eſſe ſeparabilem, quod ſi hoc, neceſſe eſt eſſe immortalẽ, & incorruptibilem. Quomodo? Omne enim quod corrumpitur duobus modis corrumpitur. uel quòd in ſua elementa reſoluatur, ut noſtra corpora: uel quòd in ſubiecto extinguatur, eo quòd ipſum nõ aptũ efficitur. Quemadmodum harmonia laxatis fidibus, & chordis extinguitur. Cùm ergo duplex ſit differentia, uel ut in corporibus, uel ut in incorporeis, quæ in ſubiecto corpore eſſe habeat, ſi demonſtrata eſt anima & incorporea, & à corpore ſeparabilis, nullo modo corrumpitur. Rurſus cùm operationes ſunt inſeparabiles, neceſſe eſt & ſubſtantias eſſe inſeparabiles. Si autẽ ſeparatæ fuerint ſubſtãtiæ, erũt ſine operatione, et fruſtra. Nihil autem deus fruſtra facit, nec natura. Quare omnino neceſſe eſt, cùm inſeparabiles ſunt operationes, ſubſtantias quoq; ſeparari nõ poſſe. Hæ ſunt ergo regulæ, quas omnes cõmuniter admittũt, & qui mortalẽ eſſe animã, & qui immortalem dicunt. Inſtantiæ autem afferuntur aduerſus has regulas: aduerſus utrãq; una: & aduerſus priorem quidẽ ſic. Quomodo, inquiũt, ait Ariſtoteles, quòd ſi eſt aliqua propria animæ affectio, idem eſt autẽ dicere operatio, ſeparabilẽ habet & ſubſtantiã: Ecce enim, ait, oculus propriã habet operationẽ uidere, & tamen ſubſtantiã nõ habet ſeparabilem. Fieri enim poteſt, ut oculus à corpore ſeparetur. Quid ergo ad hoc dicimus? Quòd duplex eſt propriũ. uel quod eſt tanquã partis propriũ, ut pedis propriũ eſſe dicimus ambulare. Neq; enim pedis propriũ eſſe dicimus ambulare, tanquam toto opus non habeat. Toto enim corpore opus habet. ſed tanquam huius partis præter alias partes ſit proprium. Vel, quod toto non opus habet, ut ſubſiſtat. ut ſi quis dicat, quòd, quæ in oleo eſt aqua permixto, lubricitas olei propria eſt. uel dulcedo, quæ eſt in œnomele, mellis, is igitur dicit proprium nõ tanquam partis ſimpliciter, ſed tanquam toto non egens ut ſubſiſtat. Neque enim œnomele opus habet dulcedo, ut ſubſiſtat, ſed à toto eſt ſeparabilis. Eſt enim in ſolo melle. Tale igitur proprium dicit Ariſtoteles, quod & re uera eſt ſeparabile. Separabilis enim eſt mellis dulcedo, cùm in utroq; ſimul ſit mellis propria. Oculus quidem certe propriam dicitur habere operationẽ, non ut quæ toto non egeat, ſed ut ab aliis partibus oppoſitis diſcernatur. Toto enim ut ſubſiſtat opus habet. Et cerebro enim, & neruis opticis ſeu uiſoriis, & ſpiritu, & eiuſmodi rebus opus habet. Quare propria quidẽ eſt oculi operatio, ut ſi ad alias partes

tes:non propris autem,ut ſi ad totum cõferatur.Toto enim ad hoc, ut conſiſtat, opus habet. Hæc eſt autem aduerſus alteram regulam inſtantia.Quomodo ait, quòd quorũ ſunt operationes non proprie,ſed utriuſq; ſimul, idem eſt autem dicere inſeparabiles,eorum ne ſubſtantia quidem eſt ſeparabilis? Ecce enim,inquiunt,Gubernatoris quidem operatio à naue eſt inſeparabilis, ſubſtantia autem eſt ſeparabilis, A' naue enim ſeparatur gubernator.Dicimus ergo,quòd gubernator operatur,& homo. &, quæ,ut gubernatoris quidem,ſunt operationes,eæ à naue ſeparari non poſſunt,non ſunt autem propriæ gubernatoris. Quæ autem ut hominis,gubernatoris ſunt propriæ, ut hominis. Quare & ſeparabilis eſt ſubſtantia.Neq; enim hoc dicimus,quòd oportet ſeparabilem ſubſtantiã omnes habere operationes proprias, & ſi non habeat,non erit ſeparabilis: ſed ſi omnino habeat aliquam ſeparabilem operationem, omni quoq; ratione oportet ſubſtantiam eſſe ſeparabilem. In inſeparabili autem ſubſtantia oportet omnino omnes operationes eſſe cõmunes,& própterea inſeparabiles. Propterea ergo & gubernator, poſtquam in naue operatus fuerit,& ut homo mente agitans,diſſerens,comedens & bibens, & omnia deniq; quæ animalis ſunt affectiones faciẽs,propterea & ipſa ſubſtãtia eſt à naue ſeparabilis.Quandoquidẽ & ipſa rationalis anima,cùm eſt in corpòre,habet & ipſa duplices operationes:has quidẽ ut in corpore: eſt enim & ipſa quædam ueluti gubernatrix corporis: illas autem ut rationalis animæ proprias.Quæ itaq; eius operationes ſunt ut in corpore,ſunt ab utroq; ſimul inſeparabiles . cuiuſmodi eſt mouere corpus:uiuificare.eſt enim clarum,quòd eas habet operationes, quandiu eſt in corpore. Si enim ab omni corpore ſeparata fuerit, quid mouebit, quid uiuificabit? Quæ autem ſunt rationalis ſubſtantiæ operationes,ut mẽte agitare,intelligere,ipſæ quidẽ, ut,quæ corpore nihil penitus indigent,& eius ſunt propriæ,& propterea ſeparabilem eius ſubſtantiam demonſtrant. Qua de cauſa & Ariſtoteles cùm communem animæ definitionem, uel potius rationem analogia & proportione definitioni cõuenientem tradidiſſet,& dixiſſet quòd eſt entelechia, ſiue perfectiuus actus corporis naturalis,organici, potentia uitam habẽtis,quærit.Quomodo,inquit,actum eſſe diximus?utrum ut inſeparabilis actus eſt animæ,uel ſicut uector nauis? Quare intellexit & ipſe actum aliquem eſſe ſeparabilem, quatenus uult animã eſſe actum.Rurſus quærunt,cur cùm dixiſſet,quòd ſi quid eſt animæ operum uel affectionum proprium,intulit,cõtingat eam ſeparari.Oportebat enim dicere,qòud neceſſe eſt eam ſeparari. Dicimus ergo,quòd tanquam ad totum eius ad corpus,uel corpora habitum, ſic dixit.Quoniã enim quãdiu in corpore fuerit,à corpore eſt inſeparabilis,propterea,inquit,fieri poteſt,ut à corpore ſeparetur.Et ſi rurſus erit in corpore,& non omnino in infinitum tempus manet ſine hoc craſſo corpore.Quod autẽ in aliquo eſt,& ab eo abeſt,id contingentis eſt naturæ, ut caleſcere, & deferuere, ſedere, & ſurgere, ideo,ut dixi, ad totũ, qui ad corpus eſt,habitum ſic dixit.Fortaßis autem & ultra hæc orationem extendens,etiam uſq; ad id quod αὐτοειδές, id eſt idea uel forma per ſe exiſtens corpus dicitur, quod ab ea perenniter dependere dicunt : quod quantum,inquit, in ſua ipſius natura ab ea ſeparari poßit:& ſi non ſit neceſſarium eam ab illo ſeparari.Tale eſt autem contingens. quod cum non ſit neceſſarium, ſi poſitũ fuerit, nihil ſequitur,quod non poßit fieri. Quantum igitur & in ſua eſt natura, ab eo quoq; poßit ſeparari. Ad hæc accedit,quòd contingens,ut ipſe in libro peri hermenias inquit, de neceſſario etiam dicitur. Dicimus enim cõtingere ſolem eſſe in ariete,& ſi id neceſſario futurum fuerit.Poſſumus igitur & hoc in loco contingens accipere pro neceſſario.

Sed quemadmodũ,recto quatenus rectum, multa accidũt, vt æneum globum ſecundum punctum attingere, non vtiq; autem eum attinget ſeparatum rectum. Inſeparabile enim eſt,ſiquidem cum corpore ſemper eſt.

Obſcuram ſententiam reddidit,quòd æquiuocatione uſus ſit, & diuerſa ſignificata non diſtinxerit. Rectum enim aliquando quidẽ accipit pro eo,quod ineſt,& ſuſcipitur, id eſt pro rectitudine. Aliquando autem pro eo, quod ſuſcipit & continet, eſt pro utroq; ſimul.Dico autem de corpore directo,ut regula. Hoc autem exemplum eius eſt quòd,cùm operatio eſt inſeparabilis,neceſſe eſt & ſubſtantiam eſſe inſeparabilem. Quid ergo dicit? Quòd,quemadmodũ dicimus,quòd ſecundum ſignũ rectũ attingit æneum globum: Demõſtratum eſt enim in Geometria, quòd ſuperficies ſecundum ſignum attingit globum,& circulũ recta ſimiliter:& non quandoquidem rectam dicimus hanc paſſionem pati, eam ſecundum ſe pati dicimus : ſed eam ſcilicet, quæ eſt in auro uel lapide,uel aliquo eiuſmodi:nunquid & animam,cùm ſit talis ut patiatur,dicemus eam non ſecundũ ſe pati, ſed utrunq;? Propterea autẽ addidit æneum globum, ne eandem recte rationẽ accipiamus,ut ij faciunt, qui mathemata tradunt. Demonſtrans enim Geometer,quòd globus ſuperficiem ſecundum ſignum attingit,nullam materiã accepit : ſed per ſe rationes demonſtrat.Cum ergo dicit,Quemadmodum rectũ, quatenus rectum,id accipit,quod eſt in materia.Cùm autem dicit,non utiq; autem eum attinget ſeparatum rectum,rectitudinẽ ipſam. Ipſa itaq;,inquit,a ſubiecto ſeparata,hoc amplius non patietur, neq; æneum globum attinget.quandoquidẽ neq; ſubſiſtit. Accipit autem per analogiam ſimilem animæ quidem rectitudinem, utriq; autẽ ſimul rectũ corpus. Senſilibus autẽ,& ijs,quæ anima apprehendit,æneum globum.Si itaq; anima ſic apprehendit ſenſilia,ut rectum æneam attingit,manifeſtum quòd à corpore ſeparati ſenſilia non amplius apprehendet, ſed recta euaneſcet. Dicimus ergo,quòd quemadmodum ſenſile rectum ſenſilẽ globum attingit,ſic & intelligibile intelligibilem.Et anima itaq; à corpore ſeparata,& ſi ſenſiles formas non apprehendat, at intelligibiles quidem,& immateriales apprehendet.Illud autem, Multa accidunt,ut,uerbi gratia,dicamus omnia puncta per ſeriem habere poſita,alteri rectæ conuenire,& ſimilia.

Videntur autem & animæ affectiones om- 14
nes eſſe cum corpore,ira,lenitas, timor, miſe-
ricordia,fidentia: præterea lætitia:& amare,&
odio habere. ſimul enim cum ijs corpus ali-
quid patitur.

Duabus rationibus demonſtrat,quòd animæ affectiones non ſunt eius propriæ,ſed utriuſq; ſimul, quòd & unà cum ijs corpus omnino commouetur:ira enim cõmouetur ſanguis, qui eſt circa cor:cupiditate autem una iecur afficitur: & a pudore facies rubore perfunditur diffuſo ſanguine circa ſuperficiẽ : à timore autem pallor fit,dum in profundum ſanguis contrahitur. & in unoquoq;,ut ſemel dicam,affectu,corpus quoq; quodammodo una cum eo afficitur.Si autem una cum animæ affectionibus corpus commouetur,manifeſtum eſt,quòd non animæ propriæ,ſed utriuſq; ſimul ſunt.Secundum unum quidem ex hoc eſt apertum.Secundum alterum autem,eo quòd, qui ex natura ſic ſunt temperati,qualem corporis habent temperaturam,in affectuum motu tales ſunt natura. Videmus enim quoſdam ad iram eſſe procliuiores,qui tali ſunt temperatura: quoſdam autem impelli non poſſe,qui contrariam habent temperaturam. Et in reliquis ſimiliter uidemus quoſdam eſſe ebrioſos,uel iracũdiores, uel timidiores,uel audaciores, uel impudentiores. Et ex morbo quidem euadat aliquis ad iram facilior.Et tales porrò cibi libidinem, & coeũdi appetitum magis excitant : hi uerò extinguunt.Vnde & medici corporis temperaturas animæ facultates

ſequi

ſequi dicunt. Quamobrem etiã dicunt, quòd qui tali ſunt temperatura, ſunt iracundiores, ut qui atrabile plus æquo abundãt. Qui autem ad calidius & humidius uergunt, libidinoſiores, & coitus ſunt appetentiores. Et in uno quoq;, ut ſemel dicam, affectu temperaturæ qualitati cauſam attribuunt. Et altius etiam ad myſticas facultates aſcendunt, & meliori memoria præditos eſſe aiunt: quibus eſt ſiccioris temperaturæ cerebrum, ad intelligendum autem eſſe tardiores: Qui autem contra ſe habent, contrarium quoq; affectũ ſuſtinere. Similiter autem & in imaginatione, & reliquis quoq; affectionibus. Et quod à principio temperatura fecit, hoc ad illam quoq; temperaturam deducens uictus ratio facit. Quare & cibi, & potus moderati curã gerũt, qui ſcientiam & rerum cognitionem ſibi uendicant, unde & illud, Non tenuem craſſus uenter mentem procreat, dictum eſt. Quam ob cauſam & in ebrietate ea non intellexerimus, quæ ſobria mente perceperimus. Similiter autem & qui moderate & immoderate in alimentis ſe gerunt, & omnino ingenioſiores, & acriores: & contra tardiores & hebetiores iuxta talem temperaturam fiunt. Vnde & medici corporis temperaturas animi quoq; facultates ſequi dixere. Ad hæc igitur attici dicunt interpretes, quòd quemadmodum ipſi, eo quòd temperaturas corporis tales quoq; animæ impetus ſequantur, propterea in ſubiecto eam dicunt eſſe corpore, ſic & nos ex contrario contrariũ confirmabimus. Si enim, quoniam temperaturam ſequentes habet motum impetus, propterea eſt & inſeparabilis, ſi ergo temperaturas non ſequatur, erit ſeparabilis. Videmus itaq;, quòd nonnulli male temperati corporis temperaturã ſequentes, affectus, & impetus non habuere propter philoſophiam: ſed eis potẽtiores euaſere. Quod quidem non fieret, ſi, ut in ſubiecto, in temperatura potentia & facultas ineſſet: Quemadmodum albũ eſſe uel pallidum uel nigrum quæ ex tali quidem temperatura fiunt, etiam ſi millies autem quis philoſophetur, eorum aliqua reprimere non poteſt, donec rurſus temperatura immutata fuerit: Sic omnino neceſſe erat, ſi tanquã temperaturæ effectus talis animæ motus & impetus eſſet, ut, qui propter temperaturam ad iram eſſet pronior, animum non poſſet cohibere. Similiter autẽ & in alijs. Nunc autẽ hoc non fit. nõ ergo animæ motus corporis temperaturas ex neceſsitate ſequuntur. Et hoc ipſi quoq; dicunt medici. Poſtquam enim dixerunt corporis temperaturas animæ facultates ſequi, adiũxere, abſq; in philoſophia exercitatione. Quare ſi in philoſophia exercitatio poteſt efficere, ne corporis temperaturas animæ motus ſequatur, eſt ergo aliquid, quod in nobis eſt, & non neceſſariò ſequuntur. Quare nõ in temperatura habent ſuum eſſe. Si enim hoc eſſet, Quomodo aduerſus affectus contenderet? Vnde perpetuũ rationis cum affectibus certamen exiſtit? Nihil enim cum corpore, quod ſui eſt conſeruatiuũ, pugnat, neq; eum cauſa pugnare inſolenter deſiderat. Quare ſi omnibus animæ motibus temperatura cauſa eſſet, ipſa nunquam aduerſus ſeipſam pugnaret. Quæ enim pugnant, ea ſunt contraria. Quòd itaq; anima rationalis ſit à corpore ſeparabilis, ſatis demõſtrant, qui bene uiuunt, cùm ita affecti ſunt, ut corpus ſuũ contemnant. At proprium ſubiectũ nihil deſpicit, ſed & id ſeruare uult. Videtur autem anima contrarium facere. Affectus autem, & paſsiones poſtquam animæ ad generationẽ deſcendenti dati ſunt, propter eas, quas diximus, cauſas, in ſubiecto ſpiritu eſſe habentes, & ad hoc craſſum, ut diximus, corpus peruenientes, non ſine tali tamẽ temperatura fiunt: quemadmodũ non ſine chordis eſt harmonia, non tamẽ temperaturarum ſunt, ut plane dicam, effectus. Sed quemadmodum talibus quidem chordis omnino opus habet muſicus: Harmonia autem ex proportionibus, quæ in muſico ſunt, in tali chordarũ aptitudine efficitur: ſic dicimus & affectus non ſine tali quidẽ temperatura fieri, non tamen eſſe temperaturam, uel effectum temperaturæ. Sed quẽadmodũ, quæ ſponte creſcunt, omnino quidẽ tali terra opus habẽt: opus autẽ habẽt & pluuia: neq; hoc tamen ad eorũ generationẽ ſatis eſt: ſed eorũ rationes ex uniuerſo opificio procedunt: Sic dicimus eas, quæ ſunt ex uniuerſo opificio rationes, horum affectuum rationes in tali temperatura immittere, ſecundum dignitatem uniuſcuiuſq; rationalis animæ. & quemadmodum forma, quæ in iis fit, quæ ſponte naſcuntur, neq; ex terræ & aquæ commixtione ſimpliciter efficitur, neq; exterius, cùm ſua per ſe hypoſtaſi præextitiſſet, imponitur: ſed opificiales rationes in tali elementorum aptitudine affectuum ſpecies ingenerãt & fabricãt. Neq; enim oportet cauſas effectis deteriores facere. Si enim, ut iam dicebamus, temperatura, iræ, & cupiditatis, & ſenſus, & imaginationis cauſa eſſet, id quod non eſt, uitale uitæ cauſa erit: uitæ enim quædam ſunt & ipſæ: & inanimatum animæ, inſenſibile cognitionis, quod eſt abſurdum. Et illud quoq; fortaſſe operæpretium fuerit quærere, an irrationalis anima & plantalis, quæ & uegetatiua, in ſubiecto corpore habent ſuũ eſſe. Melius eſt autẽ, quod per ſe ſubſiſtit, quàm quod in alio habet ſuũ eſſe. Per ſe autem corpus ſubſiſtit. Talibus igitur animabus melius eſt corpus. Quid igitur dicimus? quòd non ſunt tanquam in ſubiecto eiuſmodi animæ, ſed ut forma in materia. Animalis enim forma eſt anima. Eſt autem omnino forma melior materia. Non enim carnis forma, uel ignis, uel alicuius alius corporis, quoniam per ſe ſubſiſtere non poteſt, iam eſt materia deterior. Quandoquidẽ neq; ipſa formæ expers materia ipſa per ſe ſubſiſtit, ſed cum aliqua forma cõſideratur. Quæ autem cohæret, & ſi per ſe ſubſiſtit, uelut Abaci ligna, non ut ſimpliciter materia, ſed ut aliqua ligni forma ſubſiſtit. Quando autem abaci materia ligna ſunt, tunc deteriora ſcilicet ſunt ligna ipſa abaci forma. Quando quidem illa propter aliquid: hic autẽ eſt propter quod. Quid ergo differt illud, ut forma in materia, ab eo, quod eſt in ſubiecto? quòd forma quidem materiæ coniuncta unius rei perficit ſubſtantiam, ut abaci forma cum lignis coniuncta, abacum perficit. Similiter & carnis cum elementis uel ſuccis, carnem. & in alijs ſimiliter. Id autem quod eſt in ſubiecto non eandem facit ſubſtantiã cum ſubiecto. Vt album cum corpore non aliquam aliam ſpeciem effecerit. Album enim nihil confert corpori ad hoc ut ſit, ſiue adſit, ſiue abſit.

Indicat autem, & quòd aliquãdo quidem à vehemẽtibus, & manifeſtis, quæ accidũt, calamitatibus nihil cõcitetur, vel terreatur: aliquãdo autem ab exiguis & exilibus moueatur.

Quòd, inquit, non propriæ ſunt hæ animi affectiones, ſed utriuſq;, manifeſtum eſt ex eo, quòd aliqua qualitate prædita & certa corporis diſpoſitione intenduntur, & remittuntur. Sunt enim nonnulli, qui ita ſecundum temperaturam ſe habent, ut & ſi innumerabilia accidant, quæ incitare ſoleant, ad iram nõ commoueãtur, cùm refrigeratum circa cor, & motu difficilem ſanguinem habeant. Sunt alij, qui facilime in hunc affectum incidunt, adeo ut quamuis ualde exigua & uilia ſint, quæ incitant, ſtatim ad iram prouocentur, eo quòd ſemper ebullientem circa cor ſanguinem habeant. Vnde &, qui ad furorem ſua corporis conſtitutione proni ſunt, cùm is ſupra modum ebullierit, in eum morbum incidunt. Rurſus ad timorem, & audaciam ſimiliter. Alij enim nec a magnis terroribus perturbantur: ſed intrepidi, & cõſtantes permanẽt. Alij uerò ſæpe, et ſi nihil adſit terribile, ad timorẽ & pauorẽ facile cõmouentur, quando talẽ habuerint tẽperaturã, qualis eſt ijs, qui in metu uerſantur. Eiuſmodi enim hominũ calidũ in profundũ contrahitur, unde & pallidi fiunt. Atq; gena hũc pallida cœpit. Quãdo igitur quiſpiã talis à principio tẽperaturæ fuerit, ad eũ affectũ facile incitatur. Quare ſi hæ eſſẽt propriæ animæ affectiones, nõ oporteret eas à corpore

depend

*dependere, nec ex eius diſpoſitione initium ſumere, ſed quomodocunq; ſe corpus habeat, ipſam ſimiliter ad effectus moueri, uel non moueri. Iam uerò & ætates quoq; affectuum ſpecies commutant, commutata ſcilicet tempore temperatura. Sunt hi ergo utriuſq;. Si enim tanquam inſtrumento uteretur corpore irrationalis, & uegetatiua anima, non ab ipſo moueretur. Neq; mutata inſtrumenta artificum deſideria commutant. Corpus autem taliter uel taliter temperatū unà tales cōmutat facultates.*

Quando feruet & intumeſcit corpus: & ſic ſe habet, quemadmodum quando iraſcitur.

*Id eſt, ſi ad iram procliue temperatum fuerit corpus. Sic autem erit, ſi talem temperaturam habeat, qualis eſt eorum, qui iraſcuntur. Tunc enim talis ad iram facile impelli poterit.*

Præterea autem hoc eſt magis apertum. Cùm enim nihil terribile accidit, in ijſdē ſunt affectibus, in quibus, qui timet.

*Re uera manifeſtæ ſunt demonſtrationes, quòd hæ non ſint propriæ affectiones animæ: quando etiā nullo exterius mouēte, propter multam ad hunc affectum corporis habitudinem, idipſum quis patiatur, quod alius à magnis terroribus patietur.*

Si autem ſic ſe habet, manifeſtum, quòd & affectiones materiales ſunt rationes. quare & definitiones tales: ut, iraſci, motus quidam talis corporis, vel partis, vel facultatis ab hoc, propter hoc.

*Si ita ſe habet, inquit, id eſt, ſi hæ non ſint propriæ animi affectiones, ſed utriuſq; rationes ſunt materiales, id eſt, formæ ſunt in materia eſſe ſuū habentes, & non ſeparabiles. Quare & definitiones tales. ut iraſci motus aliquis talis corporis, uel partis, uel facultatis, ab hoc, propter hoc. Si enim naturalis eſt philoſophi opus de formis, quæ in materia ſunt, diſſerere: aliæ autem in alia materia formæ ſunt: neceſſe eſt utiq; phyſico definitiones tradere & ex materia & forma, & ex cauſa per quam forma in materia gignitur. De forma enim diſſerens, neceſſariò & de materia diſſeret. Eorū enim, quæ ſunt ad aliquid, hæc ſunt. Neceſſariò autem & de cauſa, per quam eſt forma in materia, diſſeret, ſi quidem eſt phyſicus artifex. Si autem ars, rationes ſcire debet earum rerum, quarū eſt ars. Ego enim, inquit Plato, artē non uoco rem, quæ ſine ratione fuerit. Tanquam igitur in typo tradit formam naturalium definitionum. Motus, inquit, ut dicimus, in ira ebullitio. Motus enim ebullitio. Talis corporis, id eſt naturalis inſtrumentarij, uel partis. Sæpe enim circa uniuerſum corpus fit affectio, quam uolumus definire, ut ſi tactum definiamus. Totius enim corporis motum eſſe dicemus. Partis autē, ut in ira, cùm dicimus eſſe ebullitionem ſanguis circa cor: Vel facultatis, ut ſi non dicamus ebullitionē ſanguinis circa cor, ſed ebullitionem calidi, quod eſt circa cor. Eſt autem manifeſtum, quòd & per ſanguinem calidum, & per calidum ſanguis ſignificabitur. Ab hoc, propter hoc. Ab eo ſcilicet, qui dolore affecit, ut ei par pari reddamus. Cùm itaq; dixiſſet propter referendæ moleſtiæ deſyderium, utraq; ſignificauit. Moleſtiæ enim relatio & eum, qui moleſtia affecit, ſignificat, & ipſam ultionem.*

Et propter hæc iam eſt phyſici de anima cōſiderare vel omni, vel tali.

*Quoniam enim naturales tales ſunt formæ, de quibus conſiderat Phyſicus, tales autem & naturales definitiones, & materiam accipiētes, eſt itaq; phyſici de eiuſmodi animabus diſſerere, quæ ſine materia non ſunt. De immaterialibus enim, & intellectiuis animis diſſerere, ut ipſe in tractatu de partibus animalium dixit, Primi philoſophi fuerit. Neceſſe eſt enim, ut qui de intellectu diſſerit, de intelligibilibus quoq; diſſerat. Hoc autem eſt Theologiæ opus. Sed iam perfectus, ut dicebamus, phyſicus extollet ſeipſum, & ad ſeparatas naturalium cauſas, ut & ipſe in phyſica poſt ea, quæ de motu dixerat, de immobili cauſa diſſerens, inquit. Ex tali ergo principio dependet cœlū & mundus. Similiter & in libro de Generatione, & hic. Poſtquā itaq; & de his, ut naturalibus cauſis, diſſeruerit, de rationali quoque anima dixit, quòd eſt ueluti principium animalium. Propterea dicit hoc in loco illud, Vel omnis.* Cap 2

Diuerſo autē modo definierit & phyſicus, & dialecticus eorum vnūquodq;, vt ira quid eſt. Hic enim referēdæ moleſtiæ deſyderium, vel aliquid tale: ille autem ebullitionē, qui circa cor eſt, ſanguinis, vel calidi. 16

*Poſtquam dixit animæ affectiones eſſe materiales: & quòd propterea phyſici eſt de anima conſiderare uel omni, uel quæcunq; eſt non ſine materia, uult deinceps per hæc phyſico oſtendere qualis ei cōueniat animæ definitio. Cùm enim in rebus naturalibus hæc tria ſint, Materia, Forma, & Cauſa, propter quam forma eſt in materia, circa hæc quinq; methodi uerſantur. Phyſica, Ars particularis, Dialectica, Mathematica, Prima philoſophia. Quærit ergo quomodo harū methodorū unaquæq; propoſita definiet. Primum autē dicamus circa quod ſubiectū earum unaquæq; uerſatur. Phyſici itaq; opus eſt de his omnibus diſſerere, & de rerū naturaliū materia, & forma, & de cauſa propter quam forma eſt in materia. Quemadmodum, quæ eſt cœleſtium materia? quòd non quatuor elementa, ſed diuerſum ab illis aliud quintū corpus. Quæ forma? quòd ſphærica. Cur autē ſphærica rationem reddet & rei conditioni conuenientem, & ex habitu, quem habent ad ea, quæ ante ſe ſunt. Vt Plato in Timæo quæſiuit, Cur rotundum cœlum. Quoniam, inquit, oportebat id, quod omnium futurum erat ſuſceptiuum, & omnia contenturum, capaciſſimam omnium figuram habere. Eſt autem capaciſſima in planis quidem circulus, in ſolidis autem globus. Demonſtratur enim, quòd figurarum, quæ in æquali ſunt menſura ambitu, quod multos habet angulos eſt capacius, & propterea, quod nullos habet eſt capaciſſimum. ut ſi quadrangulum ſit ſpatium, & quæuis alia multangularum figurarū, ut ſexangula. Habet autem utraq; ambitum cubitorum quatuor: ſit autem & aliud ſpatium in circunferentia rotundum, id eſt, circulus eorum habens quatuor cubitorum ambitum: baſis quidē maior eſt ſexanguli quàm trianguli, & circuli quàm ſexanguli. Similiter & in ſolidis, Cubo dico, & eo quod octo, & illo quod duodecim ſeſſus habet, globo, & reliquis. Quod multos quidem habet angulos, plus ſpatij cōtinebit quàm cubus in baſi: Globus autem quam multangulum. Tradit autem & Ariſtoteles naturalem figuræ cauſam. Aeterno enim futuro orbiculatam ait figuram eſſe conuenientem, quæ neq; principium habet, neq; finem, ſed in ſeipſum conuertitur. Et Plotinus naturalem hanc cœli figuræ cauſam ex habitudine, quam habet ad ea, quæ ante ſe ſunt. Cohærēter autem, & in continenti ſunt ſupra cœleſtia intelligibiles ſubſtantiæ. Oportet autem effectum cohærenti quàm maxime cauſæ aſſimilari, & eius imaginem quàm proxime imitari. Propterea ergo, inquit, in orbem cœlum mouetur, quòd mentem imitatur. Mentis enim proprium eſt ad ſeipſam conuerti. Ipſa enim uidens, ipſa eſt quæ uidetur. formas enim uidens ſeipſam uidet. & ſeipſam uidens, formas cōtemplatur. formarum enim eſt implementum, & forma formarum. Habet itaq; cœlum ſphæricam figuram, ut in circulū moueatur. Ideo autem ita mouetur, ut menti ſimilis reddatur. Et alioqui imitatur mentē, quæ indiuiſibiliter ubiq; eſt. Vt ea igitur ſimul ubiq; eſt, ita & cœlum ubiq; fit. Eo itaq;, quòd ubiq; fiat, id quod ubiq; eſt imitatur. Deteriorum enim perfectio eſt ad ſuperiora conuerſio, & aſſimilatio.*

aſſimilatio. Tradit autem & Ariſtoteles naturalem hanc huius figuræ cauſam. Aeterno enim futuro inquit orbiculatam conuenire figuram, quæ neq; principium, neq; finem habet, ſed in ſeipſam conuertitur. Sic itaq; phyſicus omnium naturalium tradit materiam, formam, & cauſam. Et propterea definitionem tradit ex materia, & forma, & cauſa propter quam forma eſt in materia. Particularis autem artifex uerſatur & ipſe circa hæc omnia. In hoc autem à Phyſico differt, quòd circa rem aliquam particularē uerſatur. Vt medicus circa humana corpora: faber autem circa lapides, & ligna. Tradet autem & ipſe definitionem, & formam, & materiam, & cauſam comprehendens. In hoc autem à Phyſico differt, quòd particularis quidem artifex cohærentes ſolas tradit cauſas: Phyſicus autem & primas ueluti cauſas, quæ ſunt generationis & corruptionis. Medicus ſuccorum commoderationem, & eorum commoderationis cauſas. Phyſicus autem ulterius & ad materiam, & formā procedet. Oportet enim particularem quoque artificem noſſe etiam cauſam. Ego enim, inquit Plato, artem nō uoco rem, quæ ſine ratione fuerit. Dialecticus autem tradet definitiones ex forma & cauſa: Circa ea enim uerſatur: Et eam non ut cauſam conſyderans, ſed ſimpliciter ut rem aliquā, uel formā, ut quòd, ira eſt referendæ moleſtiæ deſyderium. Hic nullo modo iræ ſubſtantiæ conceptionē nobis tradidit, ſed ſolam dixit cauſam, propter quam eſt. Vt enim moleſtia uiciſſim afficiat eum, qui prius moleſtia affecit. Et propterea eam manem eſſe dicit, eo quòd rem non attingit. Quòd autem cauſam dicens, non ut cauſam eam tradit, ſed ſimpliciter ut rem aliquam, ex eo manifeſtum eſt, quòd effectus non meminit. Effectus autem eſt deſiderij, ebullitio eius, qui circa cor eſt, ſanguinis. Quia enim uult moleſtiam referre, propterea mouet, qui circa cor eſt, ſanguinem. Quare ſi dialectica quidem definitio cauſam dicens, effectus nō meminit, neceſſe eſt autem eum, qui de cauſa diſſerit, de effectu quoq; meminiſſe, ea enim ſunt ad aliquid, manifeſtū eſt ergo, quòd non tanquam cauſæ meminit, ſed tanquam, ut dicebam, rei. Mathematicus autem uerſatur & ipſe circa formas à materia ſeparabiles: non omnes, ſed quæcunq; cogitatione ſeparari poſſunt. Ea autem ſunt, quæ ſenſibilia communia appellantur. Vt magnitudines, & figuræ. Carnis enim forma & oſſis & eiuſmodi ne cogitatione quidem à materia poteſt ſeparari. Molle enim, & humidum, & rubrum, & ex quibuſcunq; alijs caro formatur, ſimul ac mēte cogitatur, ſimul cogitatam quoq; propriam habet materiam. Ablata autem materia, & ipſa quoque ſimul ſublata ſunt. Tradit itaq; Mathematicus earum, quæ per ſe ſunt ex ablatione, formarum definitiones, materiam non ſupputans, ſed ipſas per ſe tradens. Quapropter neq; cauſæ in definitione meminit. Si enim cauſam definiret, materiam quoq; omnino acciperet. Quoniam igitur de materia non diſſerit, propterea ne cauſæ quidem meminerit. ut, Quid eſt triangulus? figura, quæ à tribus rectis continetur. Quid eſt circulus? figura quæ ab una linea continetur. In his neq; materiæ meminit, & propterea neq; cauſæ, propter quam in hac materia hæc ineſt forma. Sed eorum tamen, quæ per ſe figuris accidunt, cauſas tradet. Vt, Quare triangulus duas rectas habet æquales. Primus autem Philoſophus de formis à materia penitus ſeperabilibus diſſeret. Formarum enim materialium ſunt in anima quoq; noſtra rationes, & ſeparatæ in mente opificiali. Et earum quidem, quæ ſunt in anima, aliæ ſunt diuiſibiles, quæ ſunt in imaginatione: aliæ autem partibus carent, & ſunt indiuiſibiles, ut quæ in rationali animæ parte ſunt. Geometer itaq; de ijs, quæ in imaginatione ſunt, diuiſibilibus partibus diſſeret. Tanquam enim abaco imaginatione utitur, diuiſibiliter operans, & interualla dimetiens, & ſcindens: At primus philoſophus diſſeret de formis, quæ ſunt in rationali animæ parte, et opificialibus. Differunt autem hæ, quòd, quæ in anima quidem ſunt, primorum ſunt imagines, & rerum cognitiuæ: aliæ uerò exemplaria ſunt & effectiuæ. De opificialibus itaq; diſſerens, ut contemplatiuus operabitur: De ijs autē, quæ in anima ſunt, ut purgatiuus. Purgatiuus enim operatur, quando ad ſeipſum conuertitur, & animæ ſubſtantiam cognoſcit. Tunc enim re uera ex ſciētia eſt & affectuum & ignorantiæ purgatio. Animæ autem ſubſtantiam cognoſcens, ſciet, quòd ea eſt formarum implementum. & propterea diſciplinas dicit eſſe reminiſcentias. Hic enim appetitum referendæ moleſtiæ, Dialecticus ſcilicet. Hoc autem motus iræ & cauſa eſt, & finis. Ille autem ebullitionem eius, qui circa cor eſt, ſanguinis uel calidi, Phyſicus. Ille autem ex materia. Materia enim eſt ſanguis, qui eſt circa cor, uel calidum ſimpliciter. Quomodo autem dicimus hanc eſſe ex materia? Atqui ea uideri poſſit ex materia & forma. Dicit enim eſſe ebullitionem. Id autē eſt iræ forma. Materia autē ſanguis qui eſt circa cor. Cauſa autem ueluti finalis eſt illud, Propter deſideriū referendæ moleſtiæ. Sed dico ebullitionē non eſſe ſimpliciter animæ formam. Sic enim quotieſcunq; ebulliret ſanguis, qui eſt circa cor, ex alijs etiam cauſis, ira eſſet, ſed forma eſt, iræ ebullitio, quæ ab hoc fit, ut ipſe ſtatim dixit. Dico autem ab eo, qui moleſtia affecit. Quare ebullitio ſanguinis ſimpliciter fuerit ut cohærens materia ſubiecta ei, quæ fit propter eum, qui moleſtia affecit. Quando igitur formæ meminimus? Quando addiderimus, quòd referendæ moleſtiæ eſt appetitus. Dum enim dicit, referendæ moleſtiæ, tūc meminit ab eo, qui moleſtia affecit, commotam eſſe, & per illud ei moleſtiā referre. Referre enim moleſtiam & eam ſignificat qui prius intulit moleſtiam.

Eorum autem hic quidem materiam: ille verò formam, & rationem.

Phyſicus enim materiam tradidit. Dialecticus autem formā ſiue cauſam. Eſt enim & cauſa ueluti formam imprimens ſeparabilem iræ affectionē. Mouebitur enim, ut dixi, & ſanguis circa cor propter alias cauſas: non autem ad referendam moleſtiam. Hoc enim eſt, quod iræ ſuam imprimit figuram. Quapropter eadem eſt & cauſa, & forma. Et hic quidem planius & craſſius dicit phyſicum ex materia definitionem tradere: Deinde autem hoc ipſum exactius quærens, Quæ ſit Phyſici definitio, dijudicat, & dicit, quòd ea, quæ cum materia etiam formam tradit, quæ eſt cum cauſa.

Illa enim ratio: hæc verò rei:

Subdiſtinguendam eſt ad coniunctionem enim: & ad coniunctionem uerò, ut ſit hoc modo. Definitionū altera quidem eſt ratio, & cauſa, ſiue forma iræ. Altera uerò, rei eſt, id eſt ſubſtantiæ, & materiæ.

Neceſſe autē eam in materia tali eſſe, ſi erit.

Eam, inquit, quæ ex forma eſt definitionem, ſi in hypoſtaſi, & non inanis, & de re nulla futura eſt, in materia eſſe neceſſe eſt. Eum itaq;, qui perfecte definiturus eſt, materiæ quoq; meminiſſe oportet.

Qemadmodum domus ratio quidem fuerit, quòd, eſt tegumentum incommodi à ventis, imbribus, & caloribus prohibitiuum. Illa verò lapides dicit, & lateres, & ligna.

Ea itaq;, inquit, definitio, quæ dicit tegumentum eſſe prohibitiuum, & cætera, eſt dialectica, quæ finalem domus cauſam tradidit. Quæ autem dicit definitio, quòd lapis eſt, & later, & ligna, materiam aſſignabit. Quæ eſt igitur domus forma? Eſt quidem, ut iam dixi, & cauſa forma. Sed dixeris cohærentem & propinquam domus formam, talem eorum, quæ dicta ſunt, compoſitionem. Materiam autem talia ligna, & lapides, & lateres. Neq; enim quælibet.

Alia autem eſt in his forma propter hæc.

*Duabus traditis definitionibus, & ea, quæ eſt ex materia, et ea, quæ ex forma, nūc dicit, quòd alia quædam eſt definitio, quæ & materiā, & formam, & cauſam aſſumet, ut, quòd domus eſt tegumentum in tali lignorum, laterum, & lapidum compoſitione. Deinde & cauſa, ea eſt autem forma, in tali materia eſſe prohibitiuum incommodi à uentis, imbribus & caloribus. Neq; enim ſatis eſt dicere, quòd eſt tegumentum incommodi prohibitiuum & cætera, ad domus cōſtitutionem. Secundū hoc enim domus erit & ſpelunca & tentorium. Sed addenda eſt materiæ & compoſitionis qualitas.*

Quæ igitur harum trium definitionum eſt naturalis? Qualem eſſe phyſici dicemus. Eane, quæ circa materiam, rationem ignorans: vel ea, quæ circa rationem tantum: vel potius quæ ex ambobus:

*Cum dixit, uel potius, quæ ex ambobus, ſimul cum diuiſione prætermiſſam diuiſionis ſectionem addidit, uel potius ex ambobus, & ſimul etiam iudicium coniunxit. Ex ambobus autem dixit, & ſi in naturali definitione tria ſint materia, forma, & cauſa: quòd, ut ſæpe dixi, forma etiam cauſa eſt.*

17 Illarum autem vtiq; vtraq; / vel non eſt aliqua, quæ circa materiæ affectiones non ſeparabiles, neq; quatenus ſeparabiles.

*Poſtquam in principio dixit Dialectici quidē eſſe eam, quæ ex forma eſt, definitionem: Phyſici autem, eam quæ eſt ex materia, & deinde proceſſiſſet, & orationem correxiſſet, dixiſſetq;, quòd Phyſici eſt ex utroq; aſſignata definitio, merito quærit de reliquis duabus definitionibus: & ea quæ eſt ex materia ſola: & ea quæ ex forma, cuius ſit artificis utraq; definitio. Et de ea quidem, quæ eſt ex forma ſola, quòd ſit dialectici, nihil dicit. Iam enim dixit. De ea autem, quæ ex ſola eſt materia, dicit, quòd nulla eſt ars, quæ circa ſolam materiam uerſatur. Omnis enim ars formā uult imponere ſibi ſubiectæ materiæ. Quare nō eſt ars, quæ ex ſola materia definiet. Non dixit autem ſimpliciter, quòd non eſt ars, quæ circa materiam uerſatur. Sed circa affectiones materiæ ſeparabiles, neq; quatenus ſeparabiles, eo quòd omnis artifex non ſimpliciter de materia diſſerit: Sed de aliqua cui omnino accidunt aliquæ per ſe affectiones. Et Phyſicus autem, & ſi de ea quoq;, quæ ſimpliciter eſt, materia diſſerit: Sed, & de aliqua quoq;, ut, Quæ ſit eorū, quæ in aëre pendent, materia, & in uniuerſum, & in ſingulis. Quæ grandinis, Quæ niuis, & reliquorū, ſimiliter & de iis, quæ in terra ſunt, Quæ animalium, Quæ metallorum, & reliquorum. Quoniam igitur de aliqua materia artifices tractant, ipſa autem ſecundū ſe habet affectiones accidentes, quas artifices curioſe perſcrutantur, propterea addidit, circa affectiones materiæ. Quærit enim faber ad portam conſtruendam recta ligna. Et ſi interrogatus fuerit, Quam obrem, dicet, quòd ea inuicem congruunt, & bene committuntur. Quærit nauis ædificator, uerbi gratia, non ebenum, quòd denſa eſt, & non ſupernatat. Forſitan autem neque quercum, ſed quæ rariora ſunt, ut cupreſſum, & eiuſmodi. Sic & domus ædificator propriæ materiæ affectiones curioſe perquirit. Vt quòd non oportet, uerbi gratia, pumicoſos lapides accipere, quòd ſint molles, & friabiles. Similiter autem & in reliquis omnibus artificibus. Addidit autem illi, non ſeparabiles, neq; quatenus ſeparabiles. Non ſeparabiles quidē, quòd enumeratarum materiarum affectiones, uel omnis potius materiæ, ut materiæ affectiones, ſunt inſeparabiles. ut nauigij materiæ, lignorum raritas affectio eſt inſeparabilis: Vel lapidū materiæ domus denſitas. Illud autem, neque quatenus ſeparabiles, id eſt quatenus neq; ratiōe ſeparari poſſunt. Aliquæ enim affectiones ratione ſunt ſeparabiles. Vt figuræ, & omnia Mathematica. Ea enim cogitatione ſeparare poſſumus. Ligni quidem certe raritatem, uel denſitatem ne cogitatione quidem ſeorſum contemplari poſſumus. Hæ ſunt itaq; materiæ affectiones, quæ ne cogitatione quidem ſeparari poſſunt, quæ & in materiæ ratione accipiuntur. Rarum enim uerbi gratia lignū, hoc totum materia eſt. Figuræ quidem non ſunt materiæ affectiones, ſed corporis. Accidunt enim ad formam deducto corpori, non quatenus eſt naturale. Quare & ratione ſunt ſeparabiles. Quæ enim tanquam naturalium corporum ſunt affectiones, hæ ſunt inſeparabiles, ut rarum: ſiccum: graue. Sic neq; animi ebullitio, quæ eſt in ſanguine, ne cogitatione quidem ſeparari poſſit. Quare illud totum, ſanguinis, qui eſt circa cor ebullitio, iræ materia eſt. Non itaq;, inquit, ars, quæ circa ſolas animæ affectiones uerſatur abſque aliqua ratione, & cauſa. Vnde & Plato pulchre. Ego, inquit, artem non uoco rem, quæ ſine ratione fuerit. Quòd ſi hoc uerum eſt, nemo à ſola materia definitionem reddiderit.*

Sed phyſicus circa omnia, quæ talis ſunt corporis, & talis materiæ opera & affectiones. Quæcunq; autem talia non fuerint, alius, & circa quædam artifex quidem, ſi cōtingat, vt faber, vel medicus.

*Eo itaq;, quòd dicit circa omnia, ſecernit eum ab illo, qui in ſingulis eſt, artifice. Eorum enim unuſquiſq; circa quid particulare uerſatur. Eo autem quòd dixit, Talis corporis, ſeparauit eum à Mathematico. Nō enim conſiderat figuras, quatenus talis corporis. Quamobrem in definitionibus ne materiā quidem accipit. Præterea autem & à dialectico, & à primo Philoſopho eum ſeparauerit. Nullus enim eorum quatenus talis corporis has affectiones cōſiderat, neq; in materia, ut iam dicebamus. De omnibus igitur Phyſici opus eſt dicere, quæcunq; talis corporis. Non enim ſolum de corpore diſſeret, ſed & de hoc corpore. De omnibus ergo, inquit, per quæ unum quodq; corpus hoc quidpiā eſt, & eiuſmodi materiæ: uniuſcuiuſq; enim tradit cohærentē & propinquam materiam, cū proprijs eius affectionibus uel operibus. Omnia enim materialia corpora in agēdo uel patiendo conſiderātur. Vel opera & affectiones, ut ait Alexander pro eo dicit quod eſt, De affectiōibus, quæ ſunt in materia, & corporibus, cum earum ratione, id eſt cauſa. Quæcunq; autem non talia, alius. Nō talia, quæcunq; enumerauit. Si enim particularis artifex circa ea quæ dicta ſunt uerſatur, ſed non circa omnia. Eorum itaq;, quæ præter dicta ſunt, de quibuſdam quidem, qui in ſingulis uerſatur, diſſeret artifex, ut faber de lignorum rectitudine uel ſiccitate: De quibuſdam autem medicus, De corporibus laborantibus.*

Non ſeparabiliū autem, quatenus quidem nō talis corporis affectiones, & ex abſtractione, Mathematicus.

*Mathematicus enim de ſeparabilibus quidē formis diſſerit, ſed nō quatenus talis corporis affectiones, id eſt, nō ut æris affectiones, uel ligni, uel alicuius talis, ſed tanquā eas à materia ſuffuratus. Hoc enim ſignificat illud, ex abſtractione. Sic de iis per ſe conſiderat. Carnis enim forma, & ligni, & eiuſmodi eſt inſeparabilis. Et talis corporis affectio, talis ſcilicet elementorum concurſus, & temperaturæ. Quare nec cogitatione ea poſſunt ſeparari. Mathematicæ quidē certe figuræ ſunt & ipſæ à materia inſeparabiles: ſed non, quatenus tale ſubiectū, ei inſunt. Qua de cauſa & plurimis eædem ſunt, & ligno, & lapidi, & plurimis alijs, carnis uel oſsis forma non ita ſe habente. Qua de re quoniam talis non ſunt corporis affectiones, propterea & cogitatione ſeparari poſſunt, materia, in qua conſiſtunt, nihil impediente.*

Quatenus

Quatenus autem ſeparatæ, primus Philoſophus.

*Qui Philoſophum nolũt ideas noſſe, hanc dictiunculam arripiunt. Ecce inquit, nouit ſeparabiles formas, eorum quæ hic ſunt: De quibus ait primum philoſophum diſſerere. Simul etiã in teſtimonium adducunt ea, quæ ab ipſo alibi dicta ſunt: quòd ipſe eſt, qui duplicem ordinem eſſe dixerit, hunc quidem in imperatore: illum autem in exercitu: & eum qui eſt in imperatore, illius eſſe effectiuum, qui eſt in exercitu. Et rurſus dicit duplicem eſſe ſanitatem, hanc quidem in medico ſecundum rationem effectiuam: Illam autem in ſano corpore. Nouit itaq; formas ſeparabiles. Qui autem nolunt eum ideas dicere, dicunt, quòd ſeparabiles formas diuinas ſubſtantias appellat. Quæ quidem ab omni materia ſunt perfectiſsime ſeparatæ, ut & ipſe alibi dicit eas ſine potentia actus eſſe.*

18 Sed redeundum vnde digreſſa eſt oratio. Dicebamus, quòd animæ affectiones à naturali animalium materia ſunt inſeparabiles, cui quidem tales inſunt, ira, & timor: & nõ quem admodum linea, & ſuperficies.

*Poſtquam dixit, quòd animæ affectiones rationes ſunt immateriales, & propterea nõ eſt de omni anima Phyſici diſſerere, ſed de ea, quæ eſt ſine materia: & propterea coactus dicere quot modis definiantur materialia, & quali definitione utatur phyſicus: Deinde cùm obiter percurriſſet, & dixiſſet, qui reliquis definitionibus utantur, quod ad propoſitum tractatum nihil conferebat, nunc reddit ad inſtitutam de animæ affectionibus orationẽ. & ea quæ dicta ſunt, in memoriam redigit. Quòd animæ affectionibus ad definitionis inuentionem opus habemus. Scimus itaq; inquit, quòd dictæ animi affectiones nõ ſunt ſolius animæ propriæ, ſed utriuſq; ſimul, & ab eo ſunt inſeparabiles, ut, quæ ne cogitatione quidem ſeparari poſsint, ut in linea & ſuperficie. Ea enim & ſi ſubſiſtentiam à corpore habent inſeparabilem, ſed cogitatione quidem certè ſeparantur. Non ſic itaq; ſunt inſeparabiles animæ affectiones, ut linea & figuræ, ſed ut, quæ ne cogitatione quidem à materia ſeparari poſsint. Fieri enim non poteſt, ut iræ ſubſtantiam oratione ſtatuat, qui non materiæ meminerit: Similiter autem & in alijs affectionibus: Hoc enim illud ſignificat, Cui tales inſunt. Ira enim, quatenus ira eſt, à corpore ſeparari non poteſt. Eſt enim ſanguinis, qui eſt circa cor, ebullitio. Similiter autem & in alijs. Atqui linea, & triangulus, & eiuſmodi, quatenus tales ſunt, ſunt ſeparabiles, & ſi ſubſiſtentiam habent inſeparabilem. Et ideo eorum quoq; definitiones ſine materia traduntur. Quoniam itaq; ira eſt & in ratione, & in ſpiritu, eſt & in uiuificato corpore, ut ratione quidem ſpiritui permittente appetitũ: ſpiritu autem eum, qui circa cor eſt, animalis ſanguinem appetitu mouente: quemadmodum in rege, & imperatore, & militibus. Rex enim imperatori permittit nonnullos ulciſci: Imperator autem milites ciet: illi uerò ulciſcuntur: quando quidem triplex eſt ira, ne eum forte dicere putemus de ea, quæ eſt in ratione, quòd ab animali ſit inſeparabilis: ea enim ab omni eſt corpore ſeparabilis: Vel de ea, quæ eſt in ſpiritu: ea enim, & ſi non ab omni, ſed à terreno quidem certe eſt corpore ſeparabilis, propterea dixit. Cui quidem tales ſunt, id eſt ebullitio ſanguinis circa cor. Hæc enim, ira ſcilicet, à uiuificato corpore ſeparari nõ poteſt.*

SVMMA. II. de opinionibus antiquorum circa ...

19 De anima autem conſiderantes, ſimul neceſſe eſt ut de ijs dubitantes, quorum cognitionem aſſequi oportet, & percurrentes priorum opiniones ſimul accipiamus, quotquot de ea aliquid enuntiauerunt: ut, quæ rectè quidem fuerint, aſſumamus, ſi quid autem nõ recte, hoc uitemus.

*Quod dicit tale eſt. Animæ ſubſtantiam inquirentes, & ad eam, quæ de illa eſt. orationẽ prius dubitantes: Quãdo quidem, ut & in ijs, & alibi dicit, alicuius rei copiæ aſſequendæ inopia & hæſitatio . incipiũ eſt: Dubitantes ergo de anima, ut eius cognitionem copioſe aſſequamur, ea, quæ ab antiquis de illa dicta ſunt, percurrere oportet. Et cauſam infert. Vt ſiquid, inquit, recte dictum ſit excipiamus: ſi quid autem non recte, hoc fugiamus. Quæ quidem dicit hæc ſunt. Quoniam uerò obſcuriorem dictionem fecit cõſtructio, oportet ea paululum tranſmutata ſic dicere. Conſiderãtes autem de anima neceſſe eſt percurrentes priorum opiniones, & ſimul dubitantes de ijs, quorum cognitionem nos aſſequi oportet, una quoq; eos accipere quotquot de ea aliquid enuntiauere, & quæ ſequuntur. Scopo enim de anima propoſito oratione prius percurrere oportet, & enumerare priorum opiniones, & una eas oratione comprehendere: & ſi quid nõ recte quidem dictum eſt, id cauere: ſi quid autem recte, excipere.*

Inquiſitionis autem principium eſt ea proponere, quæ illi maxime ſecundum naturam vidẽtur ineſſe. Animatum autem ab inanimato duobus maxime videtur differre, motu, & ſenſu. Accepimus autẽ & ab antiquis hæc ferè de anima.

*Quod facere propoſuerat, hoc & facit, Dico autem ex ijs, quæ per ſe animæ accidunt, eius definitionem inuenire. Dicit enim quòd non ſola per ſe accidentia ex definitione diſcimus: ſed ſæpe etiam contra ex accidẽtibus definitionẽ: quando ea definitione apertiora fuerint. Ea ergo accipit, quæ animæ uidentur ineſſe: id autem eſt Mouere, & ſentire. Eorum autẽ fides fit ex ijs, quæ natura quidem ſunt poſteriora, nobis autẽ apertiora. Prius enim à nobis cognoſcuntur, quæ natura ſunt poſteriora, Dico autem animatũ. Animatum enim anima natura poſterius eſt. Dicit ergo, quòd ut animatũ ab inanimato differens inuentũ fuerit, hoc animæ quoq; erit. Si enim eadem res nunc animata exiſtens inanimata fiat, quæ prius quidem ſentiebat, et ſecundũ locum mouebatur, quando erat animata, ubi inanimata fuerit, neq; mouebitur, neq; ſentiet. Motus igitur, & ſenſus animæ ſunt opera. Et interea hæc quidem ſimpliciter dicit animæ accidere, non quòd ei hoc placeat, ſed, quòd omnes, qui ante eũ fuerunt, in hac fuere ſententia. Eſt autem ſtatim enumeraturus eorũ, qui ante ſe fuerunt, ſententias, dicens, quòd hæc duo de anima accepimus ab antiquioribus. Qua de cauſa non dicit ea, quæ illi maxime inſunt ſecundũ naturã, ſed quæ illi maxime ineſſe uidentur. Quoniam ergo nondum ſuam aperit ſententiam, ſed antiquiorum reuelat, propterea ſenſum, & motum cõmuniter animæ ineſſe dixit. Ea autem non omni animæ in ſunt: neq; plantali ſeu uegetatiuæ, ſed animalibus. Ipſe itaque in ijs, quæ deinceps ſequuntur, dijudicans, & propriam ſententiam exponens, ait in uniuerſum animæ ineſſe uitam. Ea enim uiuere facit, quibus ineſt. Viuunt autem uiuentia dum aluntur, & augẽtur, & ſibi ſimilia generant. In unaquaq; enim harum facultatũ uita conſideratur. Hoc itaq; eſt in uniuerſum omni animæ proprium. Animalium autem dicit eſſe cogitare, & iudicare, & ſentire. Hoc quidẽ in loco antiquiores ſequens, ſenſum & motum ait eſſe animæ. Motum dicens eum, qui eſt ſecundũ locum, & eius ipſius illum, qui ab animæ impetu in ſeipſo fit, cùm id, quod mouetur, in ſeipſo principiũ habet motus. Mouẽtur enim & naturalia quoq; corpora: ſed non natura: neq; in ſeipſis principium motus habentia: ſed exterius ab alio mota. Neque enim glebæ natura ineſt ut deorſum feratur: ſed ad id, quod*

*eſt ſecundum naturam talem habet motum; quando eſt in eo, qui eſt præter naturam, loco. Vnumquodque enim in ſua, ut ita dicam, totitate ſeu uniuerſitate conſiſtit. Rerum enim totitates ſeu uniuerſitates uel ſtare uolunt, uel in circulum moueri. Ignis enim ſphæra, & qui circa eã eſt, ignis una cũ uniuerſo mota, uiolentũ quidem habent hunc motum, ſed qui tamen à natura non recedit. Quæ enim in circulum mouentur, proprium locum ſeruant. Neque enim ſunt in eo, qui eſt præter naturam, Dico autem eo, qui eſt circa terram. Sed & ſuam habent quietem, quæ in circulum mouentur. Particularis ignis, & aër, & aqua ſi ui ab exteriori aliquo ab eo, quod eſt ſecundum naturam, receſſerit, rurſus ad id, quod eſt ſecũdum naturam, recta uia mouetur. Interea autem dum mouetur, ut quod in alieno loco, & extra ſuum totum ſit, eſt præter naturam. Natura igitur motus non eſt, qui eſt ad locum ſecundum naturam: Neque enim uniuerſitates talibus motibus mouẽtur. Oportet autem naturã in ſua magis uniuerſitate uerſari. Non ſunt ergo ij motus natura, qui ſunt in partibus: ſed uiæ quædam ad id, quod eſt ſecundum naturam, Celeſtibus utiq; natura in circulum motus eſt: & idem, quod partes, uniuerſum ſuſtinet: & in toto, magis quàm in partibus, in circulum motus apparet. Eſt enim uelociſſima totius circunferentia. Sic itaq; non ſunt ij motus ſecundum naturam: ſed uiæ quædam ad id, quod eſt ſecundum naturam. Poſſunt autem aliter dici ſecundum naturam: quemadmodum dicimus & ſanationem ſecundum naturam: præter naturam autem ægrotationem, quòd illa quidẽ ducit ad id, quod eſt ſecundum naturam: hæc uerò ad id, quod eſt præter naturã. Sic itaque, inquit, antiquiores, qui ſenſum & motum animæ eſſe enunciauerunt. Et hoc quidem recte, etiam ſi nõ omnis: male autem deinceps concluſerunt. Quoniam enim exiſtimauerunt omne, quod mouet, moueri: Si mouet, inquiunt, anima: omne autem, quod mouet, & ipſum mouetur: & ipſa ergo mouebitur, Motum, qui eſt ſecundum locum, male dicentes. Si enim eſt corpus, quod mouet, re uera motum mouebit, ut portam baculus, & eum manus, & manum totum corpus, & illud anima Si quidem incorporeum fuerit quod primum mouet, non neceſſe eſt & ipſum moueri, ſecundum locum dico. Quandoquidem & diuinum, quod mouet uniuerſum, eſt immobile, ſtantem habens & ſubſtantiam, & potentiam, & operationem. Alioqui neq; appetendorum quicquam mouens mouetur. Fœnum enim aſinum mouet, cùm ipſum non moueatur, & effigies amatorem.*

20 Aiunt enim nonnulli & maxime, & primo animã eſſe, quod mouet, exiſtimãtes id, quod ipſum non mouetur, non contingere alterum mouere. Eorum, quæ mouẽtur, quidpiam ſic animam eſſe exiſtimauere.

*Recte addidit illud primo. Mouet enim & baculus portam: ſed non primo. ſed neq; manus primo. neq; totum corpus: ſed anima. Quod ergo, inquit, maxime mouet, & primo, anima eſt.*

Vnde Democritus quidem ignem quendam, & calidum eam eſſe dicit. Cùm enim infinitæ ſint figuræ, & inſectilia corpuſcula, Quæ orbiculatæ ſunt figuræ, ignem, et animã dicit. Vt, quæ in aëre ramenta uocantur, quæ apparent in ijs, qui per feneſtras ingrediuntur, radijs.

*Cùm dixiſſet, quòd ab antiquioribus hæc duo de anima accepimus, motum, & ſenſum, primam Democriti opinionem exponit. Is enim dicebat naturalium corporum principia eſſe inſectilia corpuſcula, & inane. Eſſe enim in uniuerſo infinita inſectilia corpuſcula infinitis figuris mutata, quorum congreſſionem, & dimotionem generationem & corruptionem efficere. Et naturalium corporũ eſſe differentias iuxta inſectilium corpuſculorum figuras, ex quibus corpora, & præterea iuxta eorum poſitionem & ordinem, ut latius in naturali auſcultatione diximus. Ratus ergo Democritus animæ eſſe motum, propter mobilitatem eam ignem eſſe dixit. Ex orbiculatis autem inſectilibus corpuſculis ignem eſſe dicit, eo quòd ex omnibus figuris ſphæra ſit mobilior, ut quæ ſecũdum ſignum ſuperficiem attingit. Quoniam ergo anima mouet: Quod autem mouet, maxime moueri oportet: Quæcunq; enim magis mouentur, mouent. Propterea ex maxime mobilibus orbiculatis inſectilibus corpuſculis animam eſſe dicit, & ignem. Quare in eo, quòd animam ignem eſſe dicit, in idem recidit Democritus cum Heraclito. Differt autem, quòd ille continuum corpus ignem hunc eſſe dicebat, quem & nos dicimus. Democritus autem non continua eſſe dicit inſectilia corpuſcula, ſed inani arceri, ut, quæ in aëre ramenta appellantur. Quæ in ijs, qui per feneſtras ingrediuntur, apparent radijs. Non dicebat autem Democritus, quòd ex ijs, quæ per feneſtras uidentur, puluerulentis ramentis ignis eſſet uel anima: uel quòd ea omnino eſſent inſectilia illa corpuſcula: ſed ſunt, inquit, tanquam ea in aere. Quia autẽ propter partium tenuitatem non uidentur, ne eſſe quidem putantur, ſed à radijs eſſe arguuntur, quãdo per feneſtras ſubeunt. Sic tenuia & inuiſibilia eſſe inſectilia corpuſcula, quæ naturalium omnium principia eſſe putabat: Quemadmodum compoſitorum medici quatuor elementa, Quorum orbiculata inſectilia corpuſcula animam & ignem efficere.*

Quorum omnis generis ſeminariũ elementa eſſe dicit totius naturæ. Similiter autem & Leucippus.

*πανσπερμίαν, quod omnis generis ſeminariũ uertimus, figurarum multitudinem dicit. Quemadmodum enim in omnis generis ſeminario, in cumulo eſt & frumentum, & ordeum, & reliqua ſemina: ſic & in inſectilibus corpuſculis omnium eſſe figurarum ſeminarium. In hac autem opinione ait eſſe & Leucippum.*

Eorum autem orbiculata, animã: eo, quòd per vniuerſum maxime poſsint ſubire tales Ryſmi ſeu figuræ, & reliqua mouere, quæ & ipſa mouentur. Exiſtimantes animam eſſe id, quod animalibus præbet motum.

*ῥυσμὸς dictio eſt Abderica, & ſignificat figurã. Neq; uerò ferendi ſunt, qui ætymologiam afferre conantur, ut ῥυσμὸς dicatur à ῥυσμκαδι, quod fluere ſignificat. Si enim ſphærica tantum figura ῥυσμὸς diceretur, ſatis probabilem ætymologiã attuliſſe uiderentur. Nunc autem omnem figuram ῥυσμὸν appellant. Non ſunt itaq; ferẽdi, qui ætymologiam afferunt, Quid enim de cubo dicent? Sed & ſi omnino dictionis ætymologia quæretur, ſecundum patriam ſcilicet linguam ætymologia afferetur. Sicut Latinarum dictionum, uel aliarum quarumlibet in proprijs linguis ætymologiæ adducentur. Tribus autem ſuæ regionis uocibus uſi ſunt Democritici. Hæ autẽ ſunt ῥυσμὸς τροπῇ, διαθιγῇ. ſignificat autem ῥυσμὸς figuram. τροπῇ poſitionem. διαθιγῇ ordinem. Dicebat ergo ex orbiculatis eſſe animam, ut quæ ſint facile mobilia. Ea enim magis quàm alia ſubire, & mota totum animal mouere. Atqui magis ſubire poſſent, ſi pyramidalis eſſent figuræ inſectilia corpuſcula, ut quæ acutos angulos habeãt, & magis ſecent, niſi baſes quis impedire dicat: Labi autem orbiculata, quòd nullos angulos habeant.*

Et ideo viuendi quoq; terminum eſſe reſpirationem. Contrahente enim eo, quod corpo 21

ra eo

ra continet, & ex figuris ea exprimente, quæ animalibus motum præbent,

*Conabantur Democritici omnia, quæ animali accidunt, ſuæ opinioni eſſe conuenientia demonſtrare. Dicebãt enim frigidũ eſſe quod continet, & ideo corpora condenſat: condenſatorũ autem accendi orbiculata inſectilia corpuſcula, ex quibus animali & anima, & uita ineſt. Quoniam ergo propter accenſa inſectilia illa orbiculata corpuſcula periculum eſt ne animal corrumpatur, aliquod animali acceſſit auxiliũ, inſpiratio. Alia enim inſectilia orbiculata corpuſcula pro accenſis inſpirans uiuit. Qua de cauſa eo uſq; uiuimus, donec reſpiramus. A' reſpiratione autem ceſſantes, & uiuere deſinimus. Non ſolum autem nobis uiuere accidit, eo quòd per reſpirationem hæc orbiculata corpuſcula intus aggregentur, & pro iis, quæ egreſſa ſunt, immittantur: ſed & quòd, quæ ingrediuntur, maiore impetu excernenda prohibent. & ſic, cum plura ſint, & ſua mobilitate ſubiectum calefaciant, quæ exterius eſt, frigiditatem expellunt. Quæ quidem cauſa eſt, ut ea accendãtur. Si quis autem quærat. Quid ergo, orbiculata ſola corpuſcula inſpiramus? dixerint illi, quòd & ſi non ſola, ſed plura quidem certe, ut quæ ad mouendum ſint facilia. Quemadmodum & ex refrigeratione ea denſitate maxime accendi, eo, quod ſint labilia, propterea quòd nullos angulos habeant, & ideo à natura facile ſint mobilia. Reſpiratio autem dicitur & de inſpiratione, & de expiratione. Nunc eam quidem certe de inſpiratione accipiunt.*

Eo, quòd ipſa nunquã quieſcunt, exterius auxilium venire, aliis eiuſmodi ingredientibus in reſpirando.

*Inſtantiam quandam per hæc, quæ ineſſe uidetur, ſoluit. Non ſufficiunt quæ à principio inſectilia inſunt ad uiuificandũ animal. Quid uerò, ſola ipſa à denſitate exprimuntur? Maxime, quandoquidem nullo quoque exprimente, cùm ipſa ſint per ſe mobilia, & non quieſcant, in uarias partes feruntur. Externo eoq; auxilio indigent.*

Prohibere enim ea, &, quæ in animalibus inſunt, ne excernãtur, id coërcẽtia, quod continet, & condenſat. Viuere autem, donec poſſint hoc facere.

*Ea, inquit, quæ progrediuntur per inſpirationem, nõ ſolum ipſa uitæ cauſa ſunt, ſed & excernenda prohibebunt calore, qui ex motu eſt, exterius arcentia. Sed &, quæ iam exeunt, maiore motu ſimul attrahunt. Cùm enim duo contrariè moueantur, ſi alter motus fuerit ualidior, minorem quoque ſecum attrahit. Sic enim hæc quidem expirantur, illa autem inſpirantur, cùm quæ inſpirantur plura ſunt, reliqua quoque ſecum attrahunt.*

22 Videtur autem &, quod à Pythagoricis dicitur, eandem habere ſententiam. Dixerunt enim eorum nõnulli animam eſſe ea, quæ ſunt in aëre, ramenta. Alii verò id, quod ea mouet.

*Secundam enumerat de anima opinionem Pythagoræorum. Eorum autem nonnulli animam quidem eſſe dicebant, quæ per feneſtras in radiis apparent, puluerulenta ramenta. Alii autem, quod ea mouet: non quòd ea ipſa animam illi dicerent, ridiculum enim, ſed ut ſcimus, ſymbolica erat Pythagoræorum doctrina ſua celantium dogmata, ne ut, ait Plato, ſuam ſapientiam uel cerdonibus manifeſtam facerent. Quemadmodum ergo in poëticis fabulis, ut ipſe rurſus inquit Plato, ſi quis quidem in eo, quod apparet, maneat, ridiculas eas uidebit, Atqui ſi quis occultatũ in eis quærit ſenſum, diuino furore concita animæ opus erit. Idipſum & de Pythagoræorum eſt doctrina dicendum. Si enim, quod apparet, excipiemus, ridiculum erit, & non ſapientum, ſed anuum nugamentum. Si autem illi ſapientes, quærere aliquid oportet iis, quæ apparẽt, grauius. Quemadmodum igitur, qui animam Harmoniam dicunt, nõ eam eſſe dicunt, quæ in chordis eſt, Harmoniam, ridiculum enim, ſed quòd, quemadmodum Harmonia, ut ipſi Pythagoræi definiunt, eſt commixtorum, & eorum, quæ ſeorſum ſentiunt, unio: Graui enim & acuto, qui ſunt contrarii, commixtis, Harmonia concinne & ſonore artificium facit: ſic & anima noſtra eſt uniuerſo Harmoniæ cauſa. Cùm enim ſupra ſint intelligibilia, & à materia undique ſeparabilia, ſint autem &, quæ infra ſunt, à materia inſeparabilia, eaq; inuicem non communicent, & re uera ſeorſum ſentiant, ea per ſe intermedium colligat & unit anima, & unam ex eis Harmoniam efficit. Cum enim ex iis, quæ ſupra ſunt, ſit ſua ſubſtantia, ſit eorum quæ infra ſunt, & ueluti eis commiſcetur, per ſeipſam ea, quæ miſceri non poſſunt, temperans, & inferioribus ſuperiora communicans. Sicut igitur animam Harmoniam dicebant, ſic & nunc ea, quæ ſunt in aëre, ramenta animam dicunt, aliquid aliud per hæc myſtice ſignificantes. Quemadmodum enim ea in radiorum ſolium lumine apparent: ſi autẽ lumen nõ ſit, ne an ſint quidẽ cognoſcitur: ſic & anima in ſua quidẽ luce apparẽs demonſtrat quã habet ſubſtantiam, quòd diuinam, & incorpoream, & affectibus non obnoxiã: Sed ſi in tenebris appareat, id eſt ſi in corpore, & affectibus eam uiderimus, ut Plato ait, Quemadmodum qui marinum glaucum contemplantur non ipſam ſubſtantiam uidentes, ſed quibus circumamictus eſt algas ut ipſe, affectus dico uel corpus, & exiſtimabimus eam illorum eſſe aliquid. Quidam ergo Pythagoræorum hæc ipſa animam eſſe dicebant, ut Democritici atomos. Alii autẽ quod ea mouet. Dixerint omnem in uniuerſum animam tanquam inſtrumentis eis uſam. Vel igitur unam in uniuerſum animam accipiendum eſt eos dicere, tanquam eis inſtrumentis uſam, & per ea animalia mouentem, uel etiam particularem in uno quoq; animam per hæc mouentem, tanquam per inſtrumenta, corpus.*

De his autem dictum eſt, ideo, quód moueri continue apparent, etiam ſi omni ex parte perfecta fuerit aëris tranquillitas.

*Cauſam infert propter quam, quæ in aëre ſunt ramenta animam exiſtimabant Pythagoræi. Dictum eſt enim, inquit, de eis, quòd ſemper mobilia uidentur, etiam ſi fuerit aëris tranquillitas, quòd à ſeipſis, & non à uento motum habent. Quoniam igitur ii exiſtimauerunt maxime eſſe animæ proprium motum: oportet autem id, quod mouet, omnino & ipſum moueri: ea animam eſſe dixerunt, ut quæ ſint ſemper mobilia.*

Ad idem autem feruntur &, qui dicunt animam id, quod ſeipſum mouet. Videntur enim ii omnes exiſtimaſſe motum eſſe animæ maxime proprium. & alia quidem omnia per animam moueri: eam autẽ à ſeipſa: eo, quòd nihil mouens videant, quod non & ipſum moueatur.

*Platonem intelligit, Xenocratem, & Alcmæonem. Et ii, inquit, animæ eſſe maxime proprium exiſtimauerunt mouere. Sed quoniam exiſtimabant non poſſe mouere, quod nõ moueretur, per ſe mobilem dixerunt animam. Quòd autem Plato, cùm per ſe mobilem dicit animam, non eum dicit, qui ſecundum locum motus fit, ipſe aperte in legibus dicit. Ducit autem, inquit, &*

*quæ in cælo, & terra, & mari ſunt, ſuis motibus, quos quidem nominamus uoluntatem, & cogitationem, & opinionem eorũ, quæ recte, & non ita ſe habent. Et Anaxagoras dicens animam numerum ſeipſum mouentem, eam per ſe mobilem dicebat.*

23 Similiter autem & Anaxagoras animam dicit eſſe mouentẽ, & ſi quis alius dixit, quòd vniuerſum mens mouit. Non autem omnino quidem quemadmodum Democritus. Ille enim ſimpliciter idem eſſe animam, & mẽtem. Id enim vere eſſe, quod apparet.

*Quicunq; inquit, dixerunt uniuerſum à mente motũ eſſe, iſ quoq; animæ proprium eſſe dixerunt mouere. Quorum eſt & Archelaus. Quid igitur, ſi mentem dicebant uniuerſum mouiſſe, unde etiam animæ motum eſſe proprium dicebant? Idem enim exiſtimabant eſſe animam, & mentem, quemadmodum & Democritus. Apud eos ne igitur hoc aperte dictum habemus, quòd idem ſit mens & anima? minime. ſed hoc ſyllogiſmo confirmat. Democritus enim, inquit, hoc ſe uelle aperte demõſtrat. Aperte enim dixit, quòd uerũ & id, quod apparet idem eſt, & nihil differre ueritatem, & id quòd ſenſui apparet, ſed quod unicuiq; apparet, & uidetur, hoc etiam uerum eſſe, ſicut dicebat & Prothagoras: cùm ſecundum rectam rationem differant & ſenſus, & imaginatio, quæ circa id, quod appparet, uerſatur: mens autem circa ueritatem. Verum autem idem eſt, quod id, quod apparet, ut Democrito uidetur. Mens ergo idem eſt quod anima. Quemadmodum enim ſe habet mens ad ueritatem, ſic & anima ad id, quod apparet. Sic & econuerſo. Quo modo, quod apparet, ad ueritatem, ſic mens ad animam. Si ergo idem eſt, quod apparet, & quod uerum eſt, & mens utique, & anima idem.*

Et ideo recte feciſſe Homerũ, Emotæ mẽtiſq; Hector iacet. Neq; mẽte vtitur, vt facultate aliqua circa veritatem: ſed idem dicit a-
24 nimam, & mentem. Anaxagoras autem de iis minus aperte dicit. Multis enim in locis cauſam eius, quod bene, & recte eſt, mentem eſſe ait. Alibi autem mentem idem eſſe, quod animam. In omnibus enim eam eſſe animalibus, & magnis, & paruis, pretioſis, & vilioribus. Non uidetur autem, quæ ſecundum prudentiam mens dicitur, omnibus ſimiliter ineſſe animalibus: ſed neq; omnibus hominibus.

*Cùm enim Hector ex uulnere ſenſus expers iaceret, perinde tamen ac ſentiret, ait Poëta, quòd Emotæ mentis iacebat, ſenſum & prudentiam ad idem referens. Perinde ac non ſit alia mentis circa ueritatem facultas, præter eam facultatem, quæ circa id, quod apparet, & ſenſile uerſatur. Qua de cauſa non ſentire, uel non recte ſentire emotæ mentis eſſe appellauit Homerus. Democritus ergo aperte animam, & mentem idem eſſe dicit. Anaxagoras autem aliquando quidem mentem ab anima diſcernere, Aliquando uerò ad idem reducere uidetur. Quando enim dicit, quòd mens eſt facultas, & cauſa eorum, quæ bene & recte habent: eam ab anima diſcernit. Tanquam enim ſint, quæ non bene & recte habent, & circa ea alia uerſetur facultas, animalis ſcilicet: ſic mentem honeſtorum, & rectorum cauſam eſſe dicit: ut pote quòd ſit mens præter animam, diuinior. Sed rurſus in aliis hæc confundere, & ad idem reducere uidetur, Mentem & animam, in quibus dicit, quòd mens eſt in omnibus animalibus & paruis & magnis, & pretioſis, & uilioribus. Quæ autem mens ſecundum prudentiam proprie dicitur, non uidetur in omnibus ineſſe animalibus: & quid dico animalibus? Sed neq; in omnibus hominibus. Quare cùm in omnibus animalibus mentem eſſe dicit, animam quoq; eſſe dixerit. Hi ergo omnes motum animæ proprium exiſtimabant: non autem omnino, ſicut Democritus. Non ut Democritus aperte, & ſemper idem eſſe dicit animam, & mentem: ſic & Anaxagoras: ſed alicubi quidem idem, alibi uerò aliud, ut diximus. Neq; uero mente utitur ut facultate aliqua circa ueritatem: ſed, ipſum animam eſſe, mentem eſſe dicebant Democritus, & Anaxagoras.*

Quicunq; ergo ad id, quòd animatum mouetur, reſpexerunt, hi, quod eſt maxime motiuum, animã exiſtimauere. Quicunq; autem ad id, quòd cognoſcat, & ſentiat ea, quæ ſunt, hi quidem animam principia eſſe dicunt. Alii quidem plura eam principia facientes: alii verò unũ, ut Empedocles ex elementis quidem omnibus, eſſe autem unum quodq; animam, ſic dicens. 25

*Dixit quòd motus & ſenſus ſunt animæ maxime propria: & ideo animatum ab inanimato hoc maxime differt. Eorum igitur, qui de anima ſuam ſententiam tulerunt, hi quidem, qui ad id, quod in ea eſt motiuum, reſpexerunt, ex iis, quæ apud eos ſunt maxime mobilia, eius ſubſtantiam conſtitutam eſſe dicunt. Alii autem ad cognitiuas facultates reſpexerunt. Eorum itaque enumeratis opinionibus, qui ad uim eius motiuam reſpexerũt, & ſic de ea pronuntiauerant, nunc uult & eos, qui ad id, quod eſt eius cognitiuum, reſpexerunt, enumerare. Dicũt ergo, quòd cognoſcẽs ei, quod cognoſcitur, uult eſſe ſimile. Simile enim ſimili cognoſcitur. uult enim id, quod cognoſcit, ei quadrare, quod poteſt cognoſci, & ſimile conuenire ſimili. Si itaq; omnia, quæ ſunt, anima cognoſcit, oportet utiq; eã ex oĩbus eſſe quæ ſunt. Sed quoniam fieri non poteſt ut ea ſit omnia, quæ ſunt, oportet itaq; eam ex omnibus eſſe principiis: ut eadem habens principia quæ omnia, quæ ſunt, per ea ipſa cognoſcat. Hinc igitur hi omnes ex principiis animã conſtituunt: unuſquiſq; ex iis, quæ apud ſe ſunt. Et qui plura quidem principia dixerunt, ex pluribus eam faciunt. Qui autem unum ex uno. Primum autem Empedoclis refert opinionem, qui materialia quidem quatuor eorum, quæ ſunt, principia eſſe cenſebat. hæc quatuor elementa Duo autem effectiua Cõtentionem, & Amicitiam. Ex his ergo animã eſſe dicebant, & eo quòd ex eis ſit, res quoque cognoſcere.*

Nam terram terra, atq; vnda conſpeximus vndam.
Aëreq; eſt aër, atq; igne hic lucidus ignis
Viſus, amoreque amor, lite & contentio triſtis.

*Et manifeſtum eſt, quòd quoniã Pythagoreus erat Timæus, ſymbolica autem erat Pythagoreorũ doctrina, ipſe quoq; ſymbolice de iis dixerit. Et cùm animã ex elementis eſſe diceret, ſic uidelicet dicebat: nõ quòd ex igne, & aqua, et reliquis ea eſſet. Cur enim ipſa magis, quæ extra ſunt elementa, quàm elementa ipſam cognoſcerent? Nõ ita ergo ſimpliciter hæc elementa animam eſſe dicebat, ſed ut quæ eorũ omnium rationes in ſeipſa haberet. Dicebat autem & ex lite eſſe & amicitia. Videbat enim eam habere facultatẽ, quæ ad ſuperiora eueheret, & ad inferiora deduceret. Eam ergo, quæ ad ſuperiora euehit, facultatẽ amicitiam uocabat, quæ ad inferiora demittit litem. Amicitia enim unionis cauſa eſt. Vnita ſunt autem magis intelligibilia, quo uni omniũ principio ſunt propinquiora. Lis autẽ inſenſilibus dominatur,*

natur, id eſt diſcretio. Et propterea ſic quoq; dicebat.

Errabundus ego huc accedo & cœlitus exul,
Inſanæ liti parens.

Eadem quoq; & Plato in Timæo dicit. Ait enim animã ex circulo eſſe Eiuſdẽ, & Alius. Et rurſus in Phædro. Habet, inquit, meliorem & deteriorem equum, per eos, quæ ſurſum ferunt, & quæ deorſum deducunt facultates deſignans. Aliquãdo enim anima intelligibiliter operatur, & ſurſum ad diuina erigitur: aliquando autem ad materiam deducitur. Propterea ergo dicebat Empedocles ex amicitia eſſe & contentione animam: quoniam & omnium, quæ ſunt, ea eſſe cenſebat effectiua principia: quòd in omnibus uidebat eſſe identitatem, & diuerſitatẽ, & unionem, & diſcretionem. ſed in intelligibilibus quidẽ magis ualere amicitiam quàm litem: in ſenſilibus autem contra: quoniam ea, ut dicebamus, cùm uni omnium principio ſint propinquiora, unione magis continentur. Manifeſtum eſt igitur, quòd hæc ſymbolice accepit Empedocles, & cùm ex quatuor elementis animam eſſe diceret, non ipſa elementa animam eſſe dicebat: ſed eorum in ipſa ineſſe rationes. Et Ariſtoteli quidẽ, qui, id, quod apparet, refellit dixerimus in hanc ſententiam. Quemadmodum tu formarum locum dicis animam, & nemo utiq; dixerit, quòd in anima eſt uel homo, uel equus: ſed formarum rationes formas dicis: ſic & Empedoclem dicere rationi conſentaneum eſt exiſtimare: Si quidem uir erat ſapiens. Vel quod magis eſt, de alijs quoq; fortaſſe idem exiſtimare à ratiõe non alienum fuerit. Si enim ita & id, quod apparet, habet, dicerent, quòd ignis ſenſilis anima eſt, uel aqua, uel quid eiuſmodi: & non ſecundum analogiam & conuenientiam aliquam hæc acciperent, multis, iſſq; nulla penitus ſcientia præditis deteriores eſſent. Quemadmodum Empedocles ex elementis omnibus: eſſe autem unumquodq; animam. Totam animam ex elementis eſſe dicebat, ut ipſa alia eſſet præter corũ unũquodq;. & unumquodq;, inquit, animam dicebat eſſe. Præterea autem & litem & amicitiam: cognoſcere enim unamquamq; rem per eorum unumquodq;: quando quidem unumquodq; ſimili cognoſcitur. Hic autem habuerimus ſecundum ipſum ſex animas. Fieri autem poteſt, ut & unumquodq; eorum animam audiamus, ueluti animæ partem & facultatem. Dicimus enim & nos animoſam ſeu iraſcibilem animam, & nutritiuam, animæ uidelicet facultates animas uocantes.

26 Eodem autem modo in Timæo Plato ex elementis animam facit. Simili enim ſimile cognoſci: Res autem eſſe ex principijs.

Et Plato, inquit, ex ijs, quæ apud ſe principia ſunt, ex quibus omnia eſſe dicebat, ex ijs quoq; animã eſſe dixit: ut cùm ex omnibus eiſdem eſſet principijs, omnia cognoſceret. Quinque autem genera omnium, quæ ſunt, principia eſſe dicebat: Subſtantiam: identitatem: diuerſitatem: motum: ſtatum. Genera autem ea dicebat, non quòd ita genera ſint, ut quæ ſunt apud Peripateticos. Quæ quidem à ſe inuicem diuiſa ſunt, & ab unoquoq; catena quæd᷑ traditur eorum, quæ ſub ſe inuicem ſunt, generum, & ſpecierũ. Sed genera ea uocauit, utpote, quæ per omnia, quæcũq; ſunt, trãſeũt. Eſt enim in omnibus & ſubſtãtia ſecundum quam uniuſcuiuſq; eſt eſſe. Eſt & identitas, quatenus ex uno eorum, quæ ſunt, ſumus principio. Habemus autem & diuerſitatem, quandoquidem & multitudo eſt ea quæ ſunt. Vbi autem multitudo, illic & diuerſitas. Eſt autem & motus in omnibus, quæ ſunt. Motũ autem dico, non imperfectam operationem, ut ait Ariſtoteles, ſed ſuam uniuſcuiuſq; operationẽ. Omnia enim habent propriam operationem, & ipſa quoque inanimata. Vel enim refrigerant: uel calefaciunt ea, quæ apponuntur: uel humectant: uel exiccant: uel tale quid faciunt. Et ſtatus quoq; in omnibus conſideratur. Etenim & ea quoq;, quæ ſemper ſunt mobilia, ſtatus ſunt participia: non ſolum quòd ſtet uniuerſitas, ſed & ipſum in ſempiterna mobilitate manere, ſtatus eſt. Quatenus ergo in motu manent, quæ mouentur, uel ſemper, uel ad aliquod tempus, eo ipſo ſtatus partem habent. Ex his ergo generibus animam Plato facit. Ait enim ex ſubſtantia eam eſſe, & identitate, & diuerſitate. Subſtantia autem non qualibet, ſed & ex ea, quæ eſt indiuiſibilis, & ea, quæ eſt circa corpora diuiſibilis. Ex his ambobus factam eſſe dicit ſubſtantiam animæ: ut ambo poßit cognoſcere. Sed quoniam fit omnium cognitio uel ſimilitudine quadam & identitate: uel diſsimilitudine & diuerſitate: Album enim & albi oppoſitione cognoſcimus, ſimile enim albo album eſt: & nigri: nigro enim contrarium album eſt. Et hæc in eius conſtitutione commixta dicit, de eiuſdem natura dicens, & diuerſi. Quod autem & per ſe, & ſemper mobilem eſſe dicit, manifeſtum eſt. In eo autem ſtatum quoq; habeant. Res autem ex principijs eſſe, id eſt ea quæ ſunt, quorum habet cognitionem anima. Propterea igitur, quoniam eſt ex eiſdem principijs, ex quibus ea quæ ſunt ſimile autem ſimilis eſt cognitiuum: omnia cognoſcit. Si itaq; ex iiſdem elementis, ex quibus ea, quæ ſunt, animam fecit, ut ſimili ſimile cognoſcat: clarum eſt, quòd animæ maximæ proprium eſt cognoſcere. Et ſic exiſtimabat.

Similiter autẽ & in ijs, quæ de philoſophia dicta ſunt, definitum eſt.

Quæ de bono inſcribuntur, de philoſophis dicit. in illis autem, ſcriptis non mandatos Platonis congreſſus recenſet Ariſtoteles. Eſt autem uerus & germanus eius liber. Illic ergo refert Platonis & Pythagoreorum de ijs, quæ ſunt, & eorum principijs opinionem. Dicit ergo eos dicere, quòd formæ numeri ſunt. Numeri autem decadici. ex formis enim unamquamq; Decadem appellabant. Numeros quidem formas appellabant, uel quòd quemadmodum numerus ſubiecta metitur, & definit: ſic & formæ materiæ menſuratiuæ ſunt, & definitiuæ. Cùm enim ea per ſe definiri non poßit, quæ in ea inſunt, formæ eam definiunt, & circunſcribunt. Vel quòd quemadmodum numeri omnes ex uno ſunt principio, unitate, deducti: ita & formæ ex uno omnium principio deducuntur. Propterea ergo numeri. Decadici autem propter formarum perfectionem. Perfectus enim numerus decem. nam in ſeipſo omnem numerum comprehendit. Qui enim ſunt poſt Decadem ad eos, qui ab unitate ſunt, rurſus reflectuntur. Quare & decas appellata eſt quaſi δέχας, quòd in ſe omnia contineat. Earum autem formarum principia dicebat unitatem, Dualitatem, trinitatem, & quaternionem, eo quòd, q:-i ab unitate componuntur, uſq; ad quaternionem decem efficiunt. 1 2 3 4 decem ſiunt. Decem ergo eſſe dicebat quaternaria hæc principia, & communiter in omnibus, quæ ſunt, & ſeorſum, & in intelligibilibus, & naturalibus, & ſenſilibus. Communiter ergo in omnibus unitas intelligibilia. Eſt enim indiuiſibilis eorum non ſolum ſubſtantia, ſed & operatio in ſtatu, & immobilitate cõſyderata. Dualitas autem ſcientia, uel quæ ſcientia ſunt comprehenſiua. Definite enim ab hoc ad aliquid ſe habet. Scientia enim trãſitus eſt à definitis ad definita. Neq; enim eſt ſcientia, quæ definiri non poßit. Hinc enim ſciẽtia ἐπιστήμη græce dicta eſt, quòd nos ad ἐπὶ στάσιν id eſt ſtatum deducat. Trinitas autem naturalia, & opinabilia. Naturalia autem dico, quæ in uniuerſum ſunt in naturalibus, circa quæ uerſatur opinio. ut & in Timæo inquit Plato, Quid quod ſemper eſt, generationem autem non habet? intelligibile dicens. Quid autem quod ſemper generatur, nunquam eſt, dicens, quæ in naturalibus ſunt, uniuerſalia. Si enim ipſum dicit ſemper generari: & generantur

*quidem naturalia: in iis uerò particularia aliquo tempore exiſtentia nõ dici poßint ſemper generari: clarũ eſt, quòd de uniuerſalibus loqtur, circa quæ etiã opinionẽ dicit operari. Quod enim eſt, inquit, intellectu cũ ratiõe cõprehẽſibile, intelligibile ſcilicet. & quod rurſus opinione cum irrationali ſenſu eſt, opinabile. Trinitas eſt hoc igitur quod ſit opinabile. Quoniam trinitas quidem eſt opinio, eo, quòd ab hoc quidem mouetur: non definite aũt ad aliquid fertur: ſed uel ſic uel ſic. Talia autẽ ſunt naturalia, quæ in fluxu habent ſuũ eſſe, & quæ nõ ſunt omnino immobilia, & immutabilia, formis quidẽ ſtãtia: ſed quæ & illuc ſecundũ contrarias mutationes alterationibus mutantur. Trinitas enim hac ratione, & in iis. Si enim uel cœleſtia dixeris, mutantur ſecundum locum: Hæc quidem ab oriente in occidentem: illa autem contra: & ab auſtralibus quidem ad ſeptentrionales partes. Rurſus autem ad has ab illis. In ſenſilibus autem, dico autem particularibus & indiuiduis quaternio. Quomodo autem in iis quaternio, procedentes demonſtrabimus. Sic igitur quaternarium principium in omnibus, quæ ſunt, cõmuniter conſideratur. Et ſeorſum quidem in intelligibilibus dicunt eam conſiderari: ſeorſum in naturalibus: ſeorſum in ſenſilibus, & indiuiduis. Propter hæc autem dicebatur quidẽ ipſum per ſe animal, quod eſt ipſa animalis idea, & exemplar: & ipſum quidem, cùm ſit decas, ex prima unitate, & dualitate, & trinitate & quaternione conſtitutum eſſe, id eſt ex ipſo per ſe uno, ex ipſa per ſe dualitate, ex ipſa per ſe trinitate, & ex ipſo per ſe quaternione. Secundum huius autem analogiam & conuenientiam in iis quoq;, quæ poſt ipſum per ſe animal ſunt, animalibus, immortalibus dico & mortalibus, hæc eſſe principia. Quemadmodum enim & numeri decadici omnia, ſic & ex unitate, dualitate, & trinitate. Alia autem quæ ſunt poſt ipſum per ſe animal, ſecundum receſſus proportionem, quo ab ipſo per ſe animali remota ſunt, ſic & à principiis quoq; diſtant. Non eodem enim interuallo ab ipſo per ſe animali diſtant, & diuina, & immortalia animalia, & mortalia. Sunt itaq; diuina & ipſa quoq; ex ſecunda unitate, & ſecunda dualitate, & ſimiliter trinitate, & quaternione. & ita ſecundum proportionem ab ipſo per ſe animali receſſus, à principiis quoq; receditur. Quaternaria ergo hæc principia in intelligibilibus, & naturalibus, & ſenſilibus quoq; eſſe dicebat. Et propterea quoniam anima hæc omnia cognoſcit, eam quoq; ex eiſdẽ eſſe principiis unitate: dualitate: trinitate: quaternione. Porro quãnam in intelligibilibus unitatem dicebat, & dualitatem, & trinitatem, & quaternionem, Theologiæ fuerit dicere. Sed neq; eam, quæ eſt in naturalibus, expedite poſſumus dicere. Dixerit autẽ quiſpiam in iis quoq; eſſe quaternionem eo, quòd quatuor animalium ſpecies in mundo uidentur cœleſtium: aëreorum: terreſtrium: & aquatiliũ. In ſenſilibus autem unitatem quidem accipit ſignum: Dualitatem autem lineam: trinitatem ſuperficiem: Quaternionem uerò ipſum ſolidum. Hæc ſunt enim ipſa corporis principia. Vnitatem ergo ſignum, ut quod ſit indiuiſibile. Dualitatem autem lineam: quoniam, quod fluxit, ſignum, generauit lineam, quæ à duobus ſignis terminatur, & eſt longitudo abſq; latitudine. Trinitatem autem ſuperficiem: uel quòd figurarum prima ſit triangulus: uel quod magis eſt, quemadmodũ, quod fluxit ſignum ex ea, quæ eſt ſecundum latitudinem, diſtãtia alterum ſignum fecit: ſi hoc ipſum ſignum fluat, ſecundum latitudinem quoq; aliud generabit. Fiunt itaq; tria ſigna: unum quidem longitudinis finis. Alterum autem terminus latitudinis: & tertium commune ambobus. Quaternionem autem propter ipſum ſolidum: uel rurſus quoniam ſolidarum figurarum prima eſt Pyramis, quæ ex quatuor angulis efficitur. Vel rurſus ſecundum eandem analogiam. Sicut enim, quod fluxit ſignũ ſecundum longitudinem, aliud ſignũ generauit, & rurſus cum fluxit ſecundum latitudinem, generauit alterum: ita ſi ſecundũ profunditatem fluxerit, generabit rurſus aliud. Quatuor itaq; ſigna generabuntur. Oportet autem cogitare profundi rectam in ſublime productam. Sic itaq; in ſenſilibus eſt unitas, dualitas, trinitas, quaternio. Quoniam igitur anima omnia, quæ ſunt, cognoſcit, eam quoq; merito ex iiſdem principiis eſſe dicebat, ut omnia cognoſcat. In ea itaq; eſſe unitatem mentem, per quam intelligibilia apprehendit. Mens enim, cùm ſit quid indiuiſibile, applicatione ſimplici res cognoſcit. Dualitatem autem cogitationem. Habet enim illa unde, & quo. Viam enim quandam peragit, & à propoſitionibus ad concluſionem tranſcendit. Trinitatem uerò opinionem, eo quòd ipſa, cùm ad quid opinandum impellitur, ambigit & ueluti in biuio incedit hæſitans an ſic, uel ſic uertatur, ut qui iter aliquod peregit, deinde in biuium incidit, & dubitat utrum huc, an illuc uertatur: ſic & opinio ſuppoſitione uſa, deinde aliquid de ea opinata, lubens ad utraq; dubitatione uertitur, dubitans utrum affirmatio uel negatio ſit uera. Volens enim aliquem habere mentis de anima conceptum, cùm ad hoc ſe ſemel incitauerit, & id quod eſt acceperit, ambigit, & in diuerſas partes animus ſcinditur, utrũ eã mortalem, an immortalem concipere oporteat: uel rurſus utrũ corporea, an incorporea, & ſic in omnibus. Quaternionem autem ſenſum, quoniam quaternio in ſenſilibus quidem corpus demonſtrabat. Senſus autem omnium animæ cognitionum eſt maxime corporeus. Quod enim eſt particulare, apprehendit. Nam ſine corpore, nihil cognoſcit. Non oportet autem dubitare, ſi imaginationem prætermiſimus. Eſt enim in ſenſu comprehenſa, quoniam ex eo quoq; ſua habet principia.*

Ipſum quidem animal ex vnius ideæ, & primæ longitudinis, & latitudinis, & profunditatis.

*Id eſt, eius quod per ſe & primo unum eſt, & primæ longitudinis, & latitudinis, & profunditatis. Diximus autem quòd ipſum per ſe animal ex ipſa per ſe unitate: dualitate: & reliquis. Quæ autem poſt ipſum ſunt, ſecundum proportionem ſecundæ, & tertiæ. Dualitas autem & trinitas, & quæ ſequuntur, dicuntur & de quanto diſcreto, ut quãdo de ipſis numeris dicuntur. Dicuntur & de continuo, ut quando in linea uel ſuperficie ea conſideramus. Hic autem tanquam de continuo loquitur. Hoc autem ſcire oportet, quòd harum magnitudinum unamquamq; uocauit ex eo, quo illam, quæ præcedit, ſuperat. Lineam enim longitudinem. Per eam enim ſignum plus habet. Superficiem autem latitudinem, quoniam per eam lineam ſuperat. Aliud autem profunditatẽ. Per eam enim à ſuperficie differt. Habet enim ſuperficies latitudinem, & ſolidum latitudinem & profunditatem. Non ſolum autem continuum quantum ex quaterniõe conſtat: ſed & multo magis diſcretum. Si enim omnis, qui poſt decem eſt, numerus in eum reſoluitur: Decadis autem principium eſt unitas, dualitas: trinitas: quaternio: Quaternio itaq; & continui & diſcreti principium eſt.*

Alia autem ſimili modo.

*Alia, uel poſt ipſum per ſe animal ſimiliter, id eſt ſecundum eandem proportionem & conuenientiam ex unitate: dualitate: trinitate: & quaternione, ut iam dictum eſt: ſed non prima, ex qua ipſum per ſe animal, uel alia exẽplaria, ut ipſum per ſe pulchrum: ipſe per ſe homo, & in reliquis ſimiliter. Scribitur autem & alias ſimili modo. Et fuerit hoc ſecundæ expoſitioni conſentaneum. Alias enim ideas, ideam hominis, ideam angeli.*

Prætereа autem & aliter. Mentem enim vnum: ſcientiam autem duo. Vno enim mo- 27

do ad

do ad vnum, Superficiei verò numerum, opinionem: ſenſum autem ſolidi.

*Id eſt ſecundum aliam aggreßionem, ex eiſdem numeris animam facit. Exiſtimans enim eorum, quæ ſunt, alia quidem eſſe intelligibilia: alia ſcibilia: alia opinabilia: alia ſenſilia: Vnum quidem menti dedicauit, quæ intelligibilia poteſt apprehendere, Eſt enim ea indiuiſibilis, & eis undequaq; ſimilis, ſimul cum prima applicatione, ſine tempore res intelligens. Duo autem ſcientiæ. Compoſita enim eſt cognitio, quæ ſcientia habetur, ſi quidem ſyllogiſmus quidam eſt. Vno autem modo fit, & non uarie, id eſt non alias aliter: ſed ſemper uera, & eodem modo ſe habens: per unã propoſitionum uiam ad unum finem concluſionem deducens. Tria uerò numerum opinioni attribuit. Non enim uno modo fit opinio, ſicut & ſcientia. Eſt enim uera opinio & falſa. Scientia autem omnis uera. Quomodo autem tria numerus ſit opinioni congruus, iam diximus. Quatuor autem ſenſui propter iam dictam cauſam. Propterea ergo dicebat animam, quæ ex unitate, dualitate, trinitate, & quaternione conſiſtit, omnia cognoſcere propter eam, quæ cum illis eſt, familiaritatem, & conuenientiam. Cur autem, cùm dixiſſet, quòd unum quidem mentem dicebat, Duo autem ſcientiam, non amplius dixit, Tria autem opinionem, ſed dixit ſuperficiei numerum. Dicimus ergo unum, & duo numeros non eſſe. Secundum enim numeri definitionem dicentem, quòd numerus eſt multitudo ex unitatibus collecta, uideri poßit dualitas quoq; eſſe numerus: re uera autem non eſt. Non eſt enim unitatum multitudo. Multitudo autem primum ad tria. Et alioqui omnis numerus multiplicatus maior fit, quam compoſitus. ut tria quidem & tria ſex fiunt. Ter autem tria nouem. & ſic de omnibus. Contra autem multiplicata unitas minor fit quàm compoſita. unum enim & unum duo. Semel autem unum unum fit. Et dualitas quidẽ multiplicata & compoſita fit æqualis. Duo enim & duo, & bis duo utroq; modo quatuor fiunt. Non eſt itaq; numerus unitas, neq; dualitas. Primi itaq; numeri trinitas & quaternio: hæc quidem imparium: Ille uerò parium. Vnitas autem & dualitas principia numerorum.*

Numeri enim formæ ipſæ & eorum, quæ ſunt, principia dicebantur. Sunt autem ex elementis. Dijudicantur autem res: hæ quidem intellectu: Ille verò ſcientia: Aliæ verò opinione: Aliæ ſenſu: Formæ autem hi numeri rerum.

*Oportet dictionem parumper tranſponere, ut fiat quod dicitur clarius. Formæ enim numeri entium quoq; principia dicebantur; ſunt autem ex elementis. Formæ enim ſeu ideæ numeri, & entium principia dicebantur. Manifeſtum eſt enim, quòd non eos, qui apud nos ſunt, numeros, rerum formas, ſed ideæas numeros dicebant. Per hæc autem ea, quæ dicta ſunt, cõfirmat. Dico autem, cur ex unitate, dualitate, trinitate & quaternione anima. Entium enim ideas inquit, & exemplaria numeros dicebant. Sunt autem hi numeri ex elementis, unitate: dualitate: trinitate: & quaternione. Dicebamus enim, quòd decenarios numeros ideas dicebant: ex ijs autem decenarius numerus componitur. Eſſe autem ideas intelligibilium: ſcibilium: opinabiliũ: ſenſilium. Id enim declarat per hoc quod dicit. Dijudicantur autem res: aliæ quidem intellectu: aliæ ſcientia: aliæ opinione, aliæ ſenſu: ſimile enim ſimili dijudicatur. Quare, ſi rerum formæ ex unitate, dualitate, trinitate, quaternione: Hæc enim ſunt formarum elementa: Omnia autem cognoſcit anima: meritò ergo ex his entium elementis eam faciebant, ut ſimili ſimile cognoſceret. Ex ijs autem, quæ dicta ſunt, nobis manifeſtum eſt, quòd qui ideas introducunt, & eas entium principia faciũt, earum alia rurſus principia ſupponebant, unitatem, dualitatẽ, trinitatem, & quaternionem. Et ideo cùm dixiſſet. Numeri enim rerum formæ dicebantur, ſubiecit. Sunt autem ex elementis. Et ſuperius quidem dixit: Ipſum per ſe animal ex ipſa unius idea, & quæ ſequuntur. Ipſum autem per ſe animal forma eſt & exemplar. Formæ autem hi numeri rerum. Quia autem ſuperius dixit numeros formas eſſe, ne exiſtimares conſuetos, & eos, qui in uſu ſunt, numeros eum dicere, eos, inquam, qui in digitorum inflexione fiunt, cùm dixiſſet deinceps. Dijudicantur autem res: hæ quidem intellectu: Ille uerò ſcientia: aliæ opinione, aliæ ſenſu, ſubiunxit. Formæ autem hi numeri rerum. Eos inquit numeros formas: Mentem, ſcientiam, opinionem, ſenſum. Quemadmodum enim eſt ipſum per ſe animal: ita eſt & ipſa per ſe mens, & ipſa per ſe ſcientia. Similiter autem & opinio, & ſenſus. Et hæc ſunt rerũ ideæ, intelligibilium, ſcibilium, opinabilium, ſenſilium. Et anima, quæ in ſe has habet formas, res poteſt apprehendere. Vnumquodq; enim dijudicatur, & cognoſcitur ſcilicet ecundum ſuam formam.*

Quia verò & motiua, & cognitiua vis animæ eſſe videbatur, ita eam nonnulli ex ambobus contexuerunt, enuntiantes animam numerum ſe ipſum mouentem. 28

*Diximus, quòd eorum, qui de anima dixerunt, alij quidem ad uim eius motiuam reſpexerunt: alij autem ad cognitiuam. Plato itaque aliquando quidem à ui motiua eam definit, ut in quibus motum ipſam per ſe mobilem. Dicit ergo in Phædro. Cùm ergo immortale apparuerit, quod à ſeipſo mouetur, eandem animæ ſubſtantiam, & rationem quis dicens non erubeſcit. Definitionem itaq; animæ eſſe dicit, quod eſt per ſe mobile. Alibi autem à ui cognitiua, ut in Timæo, ubi ex eorum, quæ ſunt, principijs eam conſtituit. Cùm itaq; Plato aliquando quidem ad motum, aliquando autem ad cognitionem reſpiceret, Xenocrates eius ſucceſſor ab utriſq; animam definit dicens, eam eſſe numerum ſeipſum mouentem: per hoc quidem, quòd entium ſit cognitiua, numerum appellans ut Pythagoras: numerus enim omnium principium ſecundum ipſos: eo autem, quòd ſit motiua, quod per ſe eſt immobile, ei conſecrans. Principium enim, & fons omnis motus eſt ſecundum eos, quod per ſe eſt mobile. Et reliqui quoq;, quorum deinceps mentionem faciet, ab utriſq; animam definierunt, ut demonſtrabit: & propterea dixit, nonnulli.*

Contendunt autem de principijs, quæ & quot ſint: maxime quidem ij, qui corporalia, cum ijs, qui incorporalia. cũ his autem ij qui permiſcuerunt, & eſſe ex ambobus principia pronunciarunt. Contendunt autem & circa multitudinem. Alij enim vnum: alij verò plura dicunt.

*Expoſitis per prædicta antiquiorum de animæ opinionibus, eorumq; qui ad uim eius motiuam, & eorum qui ad cognitiuam reſpexerunt, ijs cõſequenter in his de eorum in principijs diſcrepantia tractandum aſſumit. Hinc enim alij aliud quid animam eſſe dixere. Omnes quidem certe ex rerũ principijs, quæ ſuppoſitum fuerat eſſe. Præcipue autem, qui ad cognitiuam eius poteſtatem reſpexere, ex principijs eam eſſe dixerunt, præter Anaxagoram, ut deinceps dicit. In naturali itaq; auſcultatione exacte percenſuit phyſicorum in principijs diſſenſionem: eorum autem & nunc quoq; meminit. Idem autẽ dicere uideri poßit, cũ earũ opinionũ ſuperius mẽtionẽ fecerit, & eas hic rurſus enumeret. Non eſt aũt tautologia, id eſt*

*eiuſdem*

*eiuſdem rei repetitio. Superius enim illorum opiniones de anima exponere uoluit: nunc autem eorũ inter ſe de principijs diſſenſionem exponit. Cui conueniunt & eorum de anima opiniones, quas iam prius recenſuit. Differentias autem accipit à ſubſtantia: Qualitate: & quantitate. A ſubſtantia quidem & qualitate, quòd hi quidẽ corporea, Illi incorporea. A quantitate autem, quòd hi quidem unum: Illi uerò plura. Corporea quidem principia ponebant Phyſici, Thales, Democritus, Anaximenes, Anaximãder, Heraclitus, Incorporea autẽ, qui numeros dicunt, ut Pythagoræi, & Xenocrates. Videtur autem & Plato. Mixta autem dicebat Empedocles, cum quatuor elementis litem & amicitiam introducens, quæ naturæ ſunt incorporeæ. Et Anaxagoras cum ſimilaribus mentem: eam enim dicit incorpoream. Inter eos autẽ etiam Democritus fuerit, qui cum inſectibilibus corporibus inane quoq; introduxit. Contendunt autem omnes inter ſe & de multitudine, & de principijs, iiſq; qui incorporea dixerunt, aduerſus eos, qui corporea: & aduerſus utroſq; ij, qui mixta dixerunt.*

29 Iis autem conſequenter animam quoque tradunt.

*Id eſt, conſequenter prout eſt eorum de principijs opinio, de anima quoq; ſenſerunt. Vnuſquiſq; enim ex ijs, quæ apud ſe ſunt, principijs animam fecit. Per hæc autem ſignificat, quòd non ſolum ij, qui ad uim cognitiuam reſpiciunt: ſed & qui ad motiuam, meritò ex principijs animam faciebant. Et ideo infert.*

Etenim &, quod eſt ſecundum naturam id ex primis motiuum exiſtimauerunt, nõ abſq; ratione.

*Non citra rationem, inquit, id quod eſt ſecundum naturam maxime motiuum, id in principij ratione habuere. Quod enim eſt effectiuum, & motiuum, principij rationem habet. Et ideo nonnulli rerum principium ignem eſſe dixerunt. Omniũ enim, quæ ſunt, maxime motiuum, & ipſum in ſeipſo ſui motus habens principium, ſic motũ alia mouet. Vnde & innati calidi motu primo mouetur animal. Qui quidem innatus calor à nullo alio corpore mouetur: ſed in ſeipſo mouentem habet cauſam naturam. Quare ſi id, quod eſt motiuum, eſt in principijs, meritò ergo, qui animam rem maxime motiuam exiſtimabant, ex principijs eam faciebant. Qua de cauſa ignem quoq; nonnulli eam exiſtimabant. Vnde & ipſe intulit dicens.*

Vnde nonnullis ignis viſa eſt. Eſt enim hic & ſubtiliſsimarum partium, & elementorum maxime incorporeus. Pæterea mouetur, & mouet alia primo.

*Poſtquam dixit, quòd qui animam rem maxime motiuam exiſtimabant, & ipſi ex principijs eam eſſe meritò dicebãt, eo, quòd id, quod eſt ſua natura maxime motiuum, in primis eſt & principijs: Principij enim eſt facere & mouere: anima autem eſt ex motiuis: conſequenter intulit, quòd propterea uiſa eſt, quibuſdam anima ignis eſſe: quem & eorum, quæ ſunt, principium eſſe dicebat: quia ſit & ſubtiliſsimus, & maxime incorporeus, & propterea maxime motiuus, & ſibi quoq; motus cauſa ſit, & alia primo moueat. Ignem autem non ipſam flammam dicunt. Ipſa enim nimius, & excedens ignis eſt: ſed ſiccã exhalationem, quam & terræ motus facere, & uentos, & quæcunq; alia in primis motiua in Meteoris cauſatus eſt Ariſtoteles. Dicit autem eos, qui cùm ignem rerum principium exiſtimaſſent, ex eodem quoq; animam cõſtare cenſebant, Heraclitum, & Hippaſum. Sed Heracliti quidem, & eius opinionis paulo poſt meminerit, nunc autem Democriti opinionem exponet, quòd & ſi multa, uel potius infinita principia eſſe ſuppoſuiſſet, ipſe tamen ex ijs, quæ apud ſe maxime motiua ſunt, animam conſtituebat. Dico autem ex orbiculatis: ex quibus & ignis. Incorporeum autem ignem dixit, non proprie incorporeum. Nullus enim eorum hoc dixit: ſed ut in corporibus incorporeum propter tenuitatem. Dubitauerit autem quiſpiam ad id, quòd anima ex principijs eſſe dicitur: & quid plus quàm alijs animæ tribuerunt: ſi quidem unuſquiſq; alia omnia eam eſſe dicit: eſt autem hoc commune omnium, quæ ex principijs ſubſiſtunt? Ad hoc ergo illi dixerint. primum quidem, quòd, ne eam ex alijs eſſe principijs quis ſuſpicetur, & non ex communibus, hoc diximus. Deinde alia quidem ex principiorum compoſitione aliquid aliud fiunt: uel natura, ſecundum eos, qui non impaßibilia principia eſſe dicunt: uel opinione ſecundum eos, qui impaſſibilia & inconuertibilia. Ipſa quidem anima re ipſa pars quædam eſt principiorum, à principijs differens ſecundum habitudinem, quam accepit ad ea, quæ ſunt ex principijs: Dico autem animalia. Vnde & Democritus idem dicebat ignem & animam, cùm ea, ſcilicet, ſit, quàm diximus, ſecundum habitudinẽ differentia. Et propterea reliqui, alij quidem aquam, alij aërem animam eſſe dicebant: & ſi ea, quæ ex illis conſtant, non ſic appellent: ut lapides: ligna, & reliqua.*

Democritus autem etiam elegantius dixit, demonſtrans cur vtrunq; dixerit. Animam enim idem eſſe & mentem, vt diximus, & ex primis, & indiuiſibilibus corporibus: Motiuam verò propter partium exiguitatem figuram. Figurarum autem maxime mobilem ſphæricam eſſe dicit. porrò talem eſſe mentem, & ignem. 30

*Laudat Democritum, ut qui probabiliter prædictorum cauſas reddiderit. Ea autem ſunt, mouere, & moueri. Ait enim ignem, ex quo & animam eſſe quidam dicunt, & moueri, & alia primo mouere. Probabiliter itaq; eorum rationes Democritus reddidit. Quare ignis & anima (ex eiſdem enim principijs utraq;. Dico autem ex orbiculatis atomis) & mouetur, & mouet. Fecit enim, inquit, mẽtem ſiue animam (apud eum enim utraq; idem ſunt) ex primis corporibus, dico autem inſectilibus, iiſq; non quibuslibet, ſed orbiculatis. Quæ quidem propter duas cauſas maxime ſunt motiua, & quòd tenuiſsimarum ſint partium, & propterea per omnia facile ſubeant ob exiguitatem partium, & ſic mouent, cùm & ipſa moueantur: Prætereà autem & propter ſphæricam figuram ea ſunt facile mobilia. Quam ob rem & cur moueantur, & cur alia moueant, cauſam tradidit. Eſt autem operæpretium quærere, quamnã ob cauſam Democritus magis exiguarum eſſe partium orbiculatas eſſe atomos dicit, adeò ut propter eam cauſam facile moueantur. Quòd quidem orbiculatum facile mouetur, eſt apertum. Demonſtratur enim quòd orbis ſecundum ſignum attingit ſuperficiem: ut qui ergo ſecundum ſignum attingat, facile eſt mobilis, dum labitur. Cur autem etiam exiguarum ſint partium orbiculata, ut ex hoc etiam cauſa reddatur, cur moueant? Videri enim poßit hæc maxime abſurda, & aliena ratio. Fieri enim poterat ut uel pyramidales, uel hamatæ, uel aliæ quælibet, ut ſemel dicam, figuræ magis exiguarum ſint partium. Dicimus in Geometria demonſtrari quòd rectilinearum, & earum, quæ in æquali ſunt menſura, figurarum, quæ plures habent angulos, ijs quæ pauciores habẽt, maius habẽt ſpatiũ quod ingreditur. ut ſupponatur quadrãgulus habẽs unũquodq; latus duorũ cubitorũ, ut ſit omnis eius ambitus octo cubitorũ. Supponatur & alius ſexãgulus habẽs unũquodq; latus unius tertij, & cubiti: ut*

ſit

ſit & eius ambitus octo cubitorum. Fingatur & alius octangulus habens unumquodq; latus unius cubiti.ut ſit & eius ambitus octo cubitorum. Harum itaq; figurarum, quadranguli, ſexanguli, octanguli æqualem ambitum habentium,una queq; enim octo cubitorum,maius quidem,quod ingreditur, ſpatium habet octangulus:minus ſex angulus: & eo minus quadrangulus.Si itaq; quod plures habet angulos,eſt capacius: circulus omnibus figuris,quæ in æquali ſunt ambitu, maius habet ſpatium quod ingreditur:eo,quòd,quæ plures habent angulos, ad figuram circuli magis accedunt. Quò enim plures habēt angulos,eo ſunt propius,ut nullos angulos habeant. Eſt autem ſine angulis circulus.Eadem eſt ratio & in ſolidis.Eſt itaq; orbis rectilineis, & quæ in æquali ſunt ambitu, figuris capacior.Si hoc ergo ita ſe habet,& eorum, quæ æqualis ſunt ambitus, quæ plures angulos habent maiorem habēt baſim.& uiciſſim ergo ijs,quæ eandem habent baſim,figuris,quæ plures habent angulos,minorem habent ambitum. Orbes ergo omnibus minorē habebūt ambitum. Recte ergo Democritus atomorum mole æqualium orbiculata minorum eſſe partium exiſtimauit: & ideo poſſe per omnia ſubire,&,quòd ad mouendum ſint facilia,quia ſecundum ſignum ſuperficiem attingunt, alia mouere.

31 Anaxagoras autem videtur quidem aliud dicere animam, & mentem,vt prius quoq; diximus.vtitur verò ambobus, tanquam vna natura.Sed omnium quidem principiū mentem maxime facit. Eam itaq; eorū,quæ ſunt, ſolam eſſe ſimplicem,& immixtam, & purā. Ambo autem eidem principio tradit, cognoſcere,ſcilicet,& mouere, cùm dicit mentem vniuerſum mouiſſe.

Quatenus enim dicebat,quòd mens recti & honeſti cauſa, tanquam aliqua alia exiſtente cauſa eorum,quæ talia nō ſunt, quod re uera eſt anima,mentem ab anima uidetur diſcernere. Anima enim,ut quæ ex ratiocinationibus rerum naturam cognoſcit,poteſt & aberrare.quando in propoſitionibus, quod non eſt,tāquam id quod eſt,acceperit.Mens quidem certe ſimplicibus applicatiōibus rebus ſe applicās,ut ipſe ait, uel nouit. uel nō nouit,& propterea errare nō pōt.Si enim aberret, non intelligentē eſſe intellectū continget:Quod à ratione eſt alienum.Per hæc itaq; mentem ab anima uidetur Anaxagoras diſcernere.Vbi autem rurſus dixit,quòd uniuerſum mens mouit, & quòd in omnibus uidetur animalibus & paruis, & magnis, & precioſis,& uilioribus, eandem eſſe mentem & animam dixit.Animæ enim eſt mouere, & in omnibus uideri animalibus, non mentis. Quatenus autem rurſus omnium quidem principium mentem maxime facit:& ſi enim mentem nominat Democritus:ſed nō eam inter principia reponit.Anaxagoras quidem certe principium eſſe dicit mentem,ut effectiuum uidelicet:& in hoc ergo eum laudat:& quòd ſimplicem, & corpori non commixtam eam exiſtimat:& nō ſicut ſimilares partes omnes in omnibus commixtas eſſe dicit:ſic & mentem: ſed immixtam,& puram,& ſimplicem eam ait eſſe.Vnde & Ariſtoteles eandem ſuam de mente ſententiam profert: & quod pollicitus eſt hoc facit,Dico autem quæ recte dicta ſunt ſuſcipiens.De eo ergo dicit.Ambo autem eidem principio tradit, cognoſcere,& mouere,dicens mentem mouere uniuerſum. Eo enim,quòd dicit mentem, cognitiuam huic principio reddidit facultatem. Eam autem aperte uniuerſum quoq; mouere dicit.

32 Videtur autem & Thales ex ijs quæ de eo literis mandauerunt, motiuum quid animā exiſtimare.Siquidem lapidem ait animam habere,eo, quòd ferrum mouet.

Videtur non coherenter & ſuo loco Thaletis ſententiæ meminiſſe.Cùm enim propoſitum eſſet demonſtrare,quòd,qui ad cognitiuam uim animæ reſpexerunt,ex eiſdem principijs,ex quibus res eſſe poſuerunt,animam quoq; eſſe dicunt, eo quòd ſimile à ſimili cognoſcitur: Thaletis opinionem referens nihil tale quale de alijs dixit:ſed,quòd lapidem ferrum attrahētem, nempe magnetem,animatum dicebat, animæ proprium dicens motum.ſed & eorum,qui ad uim motiuam reſpexerunt,opinionem referens,unumquenq; dixit, id quod ſibi maxime motiuum uiſum eſſet,hoc animæ elementum dicere: Democritum quidem orbiculata inſectilia· Pythagoræos,quæ in aëre ſunt,ramenta. Alium ignem:alium aërem.In Thaletis quidem certe opinione,qui aquam rerum principium poſuit, nihil tale dicit. Non enim dicit,uerbi gratia,quòd Thales aquam animam ponit,& propterea ait lapidem ferrum trahere ut animatum,& ideo ex aqua eſſe:hoc ergo nō dixit:ſed quòd ſolum animatum lapidem dixit.Qua de cauſa?niſi quòd non feruntur eius ſcripta, ſed ab alijs accepta monumēta,& propterea orationis inuidiam uitauit in uiro reprehendendo,cuius ſcripta non extāt: Vel quòd uiri pudori parcendum putauerit,eo quòd multa eius præclara & magni facienda dogmata literarum monumentis mandata ſunt. Aiunt enim eum dixiſſe,quòd ad ultima uſq; prouidentia permeat,& nihil eam latet ne minimum quidē. Propterea ergo non dicit hanc eſſe eius opinionem, quòd ex aqua eſt anima:ſed hoc ſolum,quòd ipſe motum animæ tribuit. Deinceps autem Hipponem ait hoc exiſtimaſſe,quòd ex aqua anima ſit.Et ipſe enim omnium quoq; principium aquam eſſe dicebat.

Diogenes autem, quemadmodum & alij quidam,aërem hūc, ratus omnium eſſe ſubtiliſsimum, & principium: & propterea aliquid cognoſcere,& mouere animam. Quatenus quidem primum,& ex eo reliqua, cognoſcere: Quatenus autem ſubtiliſsimum,motiuum eſſe.

Diogenes apolloniates & Anaximenes rerum principium aërem dicentes,ex eo quoq; animam dicebant, & noſſe quidē omnia animā,ut quæ omnium principium habeat: eſſe autem uel maxime motiuam propter partium exiguitatem. Dictum eſt enim,quòd oportet id,quod mouet,tenuiſſimarum eſſe partium,ut per uniuerſum,quod mouetur,ſubeat,ut ſic totum moueat.Subtilium autem partium eſt aër.

Et Heraclitus principium eſſe dicit animā, ſi quidem exhalationem, ex qua alia conſtant.Eſt enim incorporeum vtiq;, & ſemper fluens.

Sæpe dictum eſt quòd hic rerum principium ignem eſſe dicebat.Ignem autem,non flammam.Vt enim ait Ariſtoteles flamma ignis exceſſus eſt:ſed ignem dicebat ſiccam exhalationem. Ex ea itaq; eſſe & animam,ut mobili,& ſubtiliſſimarum partium.Quoniam enim ea,quæ ſunt,in continuo eſſe motu dicebat,& ex rebus ſtatum ſuſtulerat,ut & Protagoras, & multi alij:id autem,quod cognoſcit & mouet proprium eſſe animæ dicebat:Propterea eam eſſe ex exhalatione aiebat. Cùm enim res in motu ſint,oportet & id, quod res cognoſcit, in motu eſſe: ut una cum eis concurrens attingat, & eis cōueniat. Quod enim ſtat,quō,quod mouetur,cognouerit? Vnde anima quidem

*quidem cognitionem dabat eo,quòd ex omnium ſit principio, dico autē exhalatione.& quòd ſit ex maxime motiuo:eo enim, quòd mouetur,id,quod mouetur,cognoſci: Mouere autē ipſam dicebat propter exhalationis ſubtilitatem partium: & quòd eſt in corporibus tanquam incorporeum. Oportet enim id, quod eſt moturum,ut ſæpe diximus,ſubtilium eſſe partium,ut per uniuerſum quod mouetur permeet.Subtilium enim partiū eſt & ſemper mobilis exhalatio,& alius motus cauſa. Quam ob cauſam Ariſtoteles quoq; terræ motus ex ea fieri demonſtrauit,& alios quoq; motus.*

Quod mouetur autem eo,quod mouetur, cognoſci:in motu verò eſſe,quæ ſunt, & ille exiſtimabat,& multi.

*Tranſponenda eſt dictio,ut apertius fiat, quod dicitur,hoc modo.In motu uerò eſſe,quæ ſunt,& ille exiſtimabat & multi:id autem,quod mouetur,eo quod mouetur cognoſci: Quoniam enim ea,quæ ſunt,in motu eſſe exiſtimabant, propterea ex eo,quod maxime motiuum eſt,animam eſſe dicebāt, Oportet enim id,quod mouetur,eo,quod mouetur,cognoſci: Simile enim ſimili.Quòd autem non ſublatus ſit ex rebus ſtatus, ut iſti opinabantur,demonſtrat & in Theæteto, & in multis alijs locis Plato:& Ariſtoteles & in libro de cœlo, & in Metaphyſicis.Si enim non eſſet in uniuerſo ſtatus, fieri nō poſſet, ut ſemper motus eſſet.Hoc enim ipſum ſemper moueri, manſio quædam eſt,& ſtatus.Si autem ſublatus fuerit ſtatus, una auferetur & motus.Si enim ſtatum in motu non habeat, quod mouetur,non mouebitur ſcilicet.*

His autem conſimiliter Alcmæon quoq; de anima opinari viſus eſt. Ait enim eam eſſe immortalem,quòd ſit immortalibus ſimilis. Hoc autem ei ineſſe,vt quæ ſemper moueatur. Moueri autem diuina quoq; omnia continuè,ſolem:lunam:ſydera:& totum cœlum.

*Et hic quoq; cum eſſet Pythagoreus,& ad id, quod animæ maxime eſt motiuum,reſpexiſſet, ex cœleſti corpore eam eſſe dicebat,& ideo immortalem.ſemper mobilem enim, quēadmodum & illa,ſimul etiam aſſumens, quòd immortalia ſunt cœleſtia. Vnde hic igitur uim animæ cognitiuam daret, an etiam alias animæ cognitionis cauſas referret, non eſt meum dicere:neq; enim eorum hominum ſcripta in noſtris ſunt manibus:nec Ariſtoteles plura de his narrauit.Dico ergo, quòd nō omnino omnes & motus, & eius cognitionis rationem dederunt:ſed alij quidem utriuſq;:alij autem alterius. Non oportet itaq; in omnibus utrunq; inquirere.*

Eorum verò,qui agreſtiores,& odioſiores fuerunt,aquam quoq; quidam eſſe pronunciauere,ſicut Hippo.Perſuaſi autem vidētur fuiſſe ex ſemine,quòd eſt omnium humidū. Et eos enim refellit, qui animam ſanguinem dicunt:quòd ſemen non ſanguis: hoc autem eſſe primam animam.

*Hic propter hoc ipſum ἄθεος,& impius eſt cognominatus, quòd omnium cauſam nulli alij,quàm aquæ attribuerit. Agreſtem autem & odioſam hanc ſententiam dixit: maxime quidem,ut,quæ turbam & moleſtiam tantum auditoribus exhibeat: Deinde ut ſupra modum materialem, & quæ infra in materiam animam deducat:& quòd neq; mobilis, neq; motiua ſimiliter eſt aqua:& paſſiua potius quàm actiua. Humidum enim,in quo aqua eſſe ſuum habet,eſt paſſiuum.Animæ autem agere magis quàm pati conuenit. Hic autem,ait, exiſtimauit animam eſſe aquam,eo,quòd omnium ſemen ſit humidum.Fructuum enim ſemina humida primum ſunt: & contradicebat ijs,qui animam ſanguinem eſſe dicunt, dicens, quòd ſemen,ex quo & eſſe,& uiuere eſt animatis,aqua eſt, & non ſanguis. Atqui ſi humidum ſimpliciter anima eſſet:omne humidum animum eſſe oporteret:& ſemen,non quatenus eſt humidum, eſt animatum.certe ſi efflatum & perſpiratum fuerit,humidum quidem adhuc eſt:ſed non uitale, & mortuum neq; id ſolum: nam & multa humida innatum calorem habentia non ſtatim ſunt & animata: ſed naturalibus certe rationibus opus eſt. Primam autem animam dicit ſemen, ueluti animæ ſemen, & principium animæ. Sicut enim eſt humani corporis principiū, ſic ſecundum eum animæ quoq; principium eſt.*

Alij autem ſanguinē, quemadmodū Critias,ſentire animæ maxime eſſe propriū exiſtimantes:hoc autem ineſſe propter naturā ſanguinis.

*Critiam,qui unus fuit ex triginta, quiq; Socratem audiuit: uel aliquem alium, nihil enim cōtendimus, dicit. Dicunt autē & alium fuiſſe Critiam ſophiſtam,cuius etiam &,quæ feruntur,ſcripta eſſe:ut ait Alexander. Eum enim qui de triginta fuit,nihil aliud ſcripſiſſe,præterquam de rebus publicis carmine.Hic ergo animam ſanguinem eſſe dicebat.ait enim, Qui eſt homini ſanguis circum præcordia,mens eſt.Idq;, quoniam animam ex ſenſu formabat:inſenſiles autē ſunt partes,quæ ſanguine carent: Pili:oſſa:ungues:& eiuſmodi:ſenſus itaq; cauſa ſanguis fuerit:Senſus autem animæ proprium eſt:Sanguis igitur anima. At qui demonſtrat ratio medica neruos uel ſolos, uel maxime ſenſitiuos,eosq; non omnes,ſed aliquos. Præterea ſi ſanguis eſt anima,quæ animalia ſanguine carent,ſunt inanimata:ſanguine autem carent inſecta omnia,muſcæ:formicæ: & ſi quid ſimile:quæ quidem ſenſus quoq; nō eſſe expertia apertiū eſt.Non ſentiendi ergo cauſa ſanguis eſt: & ideo neq; anima ſanguis:ſi quidem &,quæ ſanguine carent,animalia, & animata ſunt, & ſenſitiua.*

Omnia enim elementa iudicē ſortita ſunt, præter terram:eam verò nemo pronūtiauit.

*Iudicem pro eo,quod eſt, præſidem iudicantem & unumquodq; eorum principium ponentem. Terram autem ſolam nemo animā eſſe dixit: Quoniam neq; rerum principium ſolā terram quiſquam exiſtimauit, Præter eos,inquit, qui dixerūt omnia elementa eſſe principium,ſicut Empedocles. Hic enim terram quoq; animam dicebat:uel potius probabilius eſt dicere,quòd elementorum compoſitionem animam dicebat. Sed nobis intercurrit,& contra ſe opponit,id quod ſuperius dictū eſt,quòd unum quodq; eorum animam dicebat: niſi animā pro animali ſiculeate acceperimus: quodoquidem & nos ſæpe animæ ſiculeates animas nominamus. Dicimus enim habere hominem animam plantalem ſeu uegetatiuam, & irrationalem. Omnibus autem ferè enumeratis opinionibus, quæ ex pluribus animam eſſe dicunt,opponitur,quòd idem eſſe dicant animā & corpus.Vtraq; enim ex eiſdem ſunt principijs. Cur itaq; magis anima corpus,quàm corpus animæ?Pro pluribus itaq; reſpondere licet,quòd,& ſi eadem animæ,& corporis principia dicebant,ſed non ſimiliter habentia.Tali enim principiorum cōcretione,& diſcretione & animas fieri, & corporum differentias:ſicut & nos differenti elementorum temperatura differentia corpora.ſed & metallorum differentias ex differenti exhalationum concretione.In libro quidem de generatione & corruptione hanc opinionem refellit Ariſtoteles, quæ dicit elementorum concretione & diſcretione generationem & corruptionem fieri.*

Præterquam ſi quis eam ex omnibus eſſe elementis

elementis dixerit,vel omnia.

*Quoniam illud,Ex omnibus,ſignificat,etiam ea,quæ ſecundum temperaturam fiunt,temperaturæ forma aliqua exterius accedente,quemadmodum carnis formam elementorum temperaturæ.Qui autem ex omnibus dicunt,nõ dicebant,ſicut & nos dicimus:ſed elementorum compoſitionem dicebant animã.Propterea cùm dixiſſet,ex omnibus,addidit,uel omnia.*

35 Definiunt autem animam,vt ita dicam,tribus:motu:ſenſu: incorporeo . eorum autem vnumquodq; reduci ad principia.

*Hæc ſunt eorum,quæ dicta ſunt,ueluti ſumma quædam, & breuis repetitio.Definiunt autem, & ueluti circunſcribunt, & exprimunt.Cùm prius dixiſſet,ſenſu,& motu cognoſci animam:nunc addidit,& incorporeo,tanquam ex enumeratis opinionibus hoc quoq; emerſiſſet, & inuentum fuiſſet. Id enim, quod eſt ad motum facile, & ſemper mobile conſequitur incorporeum.Incorporeum autem non id,quod proprie,nunc dicit:ſed quod tenuiſſimarum eſt partium.Omnia autem,inquit, hæc,motus,ſenſus,incorporeum ad principia reducuntur:id eſt eam talem eſſe aiunt,quia ex talibus eſt principijs.Illud autem, Definiunt omnes,non tanquam omnes tria de anima definiant: & propterea addidit,ut ita dicam.Sed ei aliqui quidem omnia aſſignauerunt,alij uerò nonnulla:ut ex ijs, quæ de opinionibus dicta ſunt,inuenire licet.*

Quamobrem &,qui eam eo, quòd cognoſcat,definiunt,vel elementum,vel ex elementis faciunt ſibi inuicem conſimiliter dicentes præter vnum. Aiunt enim & ſimile ſimili cognoſci.Quoniam enim anima omnia cognoſcit eam,ex omnibus principijs conſtituunt.

34 Quotquot igitur vnam aliquam cauſam , & vnum elementum dicũt, animam quoq; vnũ ponunt:vt ignem,vel aërem.Qui autem plura principia dicunt,animam quoq; plura dicunt.Solus autem Anaxagoras affectibus nõ obnoxiam ait eſſe mẽtem, nec cum vllo aliorum aliquid habere commune . Talis autem cùm ſit,quomodo cognoſcat,& propter quã cauſam,neq; ille dixit, neque ex dictis apertum eſt.

*Quòd omnia hæc tria,quæ animæ ineſſe dicunt , ad principia reducunt,alij quidem,inquit ad cognitiuam eius uim tenentes,quoniam ſimile ſimili cognoſcitur,ex ijs,quæ apud ſe ſunt, principijs eam unuſquiſq; aſſerit.Qui plura quidem dixerunt, ex pluribus: Qui autem unum,ex uno.Quoniam enim omnium eſt cognitiua,exiſtimauerunt oportere omnium principia eam in ſe habere.Solus autem,inquit,Anaxagoras non eadem cum alijs uia ingreſſus eſt.Cùm enim omnes corporea ei principia dediſſent propter cognitionem , ille mentem animam dicens, quoniam animæ ſemper opus eſt mouere:mentem autem uniuerſum dicebat mouere:mentem itaq; animam dicebat . Hanc mentem dicebat puram,& immixtam, & affectibus non obnoxiam.Cùm enim ſimilares partes eorum,quæ ſunt,principia eſſe,eaſq; ſibi inter ſe commixta eſſe diceret:ab ijs puram , & immixtam dicebat eſſe animam, tanquam aliud ab ijs principijs ex quibus ſunt omnia.unde & eum admittit Ariſtoteles, ut qui incorpoream animam eſſe dixerit.Eum autem in tradenda animæ ratione non recte feciſſe ait.Cùm enim ſit immixta, & incommunicabilis,& nullam habeat habitudinem ad principia,ex quibus ſunt omnia,quomodo cognoſcet,inquit, omnia incertum eſt.Neq; enim ipſe Anaxagoras hoc nobis tradidit, neq; ex eius uerbis licet hoc colligere.Omnium itaq; & eorũ, qui corporea animæ principia exiſtimauerũt,&,qui incorporea,neutra uera eſt oratio:ſed utraq; aliquam ueri partem dixit.Incorpoream enim ſubſtantiam eſſe oportet : ſiquidem id, quod cognoſcit,melius eſſe oportet eo , quod non cognoſcit. Corporum quidem principia eſſe oportet in incorporea hac ſubſtantia,non materialia,ſed eorum rationes. Neq; ex dictis eſt apertum.In multis enim aperte aliquid ab antiquis non dictum eſt:ex ijs autem,quæ dicta ſunt,eſt colligere , quomodo dum mentem eandem cum anima dicit Democritus & Anaxagoras,id ratiocinatione collegit.*

Quotquot autem contrarietates in principijs faciunt,ex contrarijs animam quoq; conſtituunt. Qui autem contrariorum alterum, vt calidum,vel frigidum,vel aliud quid tale, eorum quoq; unum animã ſtatuunt. Et ideo nomina quoq; conſequuntur.Hi quidem calidum dicẽtes,quod propter id viuere ζῆν grece nominatum eſt:illi verò frigidum,propter reſpirationem & refrigerationẽ animã ψυχὴν dicentes uocari. Quæ ergo de anima tradita ſunt,& propter quas cauſas ſic dicunt, hæc ſunt. 35

*Talis erat Empedocles.Quatuor enim elementa, ex quibus animam eſſe dicunt , ex qualitatibus contrarijs componunt. Præterea autem lis & amicitia.Qui autem contrariorum alterum,ut calidum,uel frigidũ,uel aliud quid tale, animã quoq; ſimiliter eorum unum quid ſtatuunt.Alterum contrariorũ ponit Hippo & Heraclitus: Hic quidem calidum: ignem enim principium:Ille uerò frigidum , aquam ponens principium. Vterq;,inquit,eorum animæ etymologiam ad ſuam opinionem conatur adducere.Hic quidem propterea dicens animam dici grece ζῆν id eſt uiuere , quaſi ζεῖν quod eſt feruere: Eſt autem hoc calidi. Ille autem animam grece ψυχὴν eſſe denominatam à ψυχροῦ id eſt frigido: eo , quòd illa nobis cauſa ſit eius, quæ ſit per reſpirationem,refrigerationis. Quoniam enim uita quidem ex anima:anima autem ex frigido : ex aqua enim:propterea reſpiratione opus eſt,quæ per refrigerationem,quod circa cor eſt,calidum caſtiget , & non ſinat plus quàm animalem facultatem,id eſt frigidam,inualeſcere.*

Conſiderandum autem eſt primum quidẽ de motu.Fortaſſe enim non ſolum falſum eſt ſubſtantiam eius eſſe talem,qualem ij dicunt, qui aiunt animam eſſe,quod ſeipſum mouet, vel poteſt mouere:ſed & ex ijs, quæ fieri non poſſunt,vnũ eſt,vt ei motus inſit. Quod quidem non eſt neceſſarium,vt,quod mouet , & ipſum moueatur,prius dictum eſt.

*Enumeratis antiquorum opinionibus,eorumq;,qui ad motiuam uim animæ reſpexerunt , & eorum , qui ad cognitiuam, hinc deinceps eos refellere incipit:& eorum quidem opiniones refellit,non quòd male exiſtimauerint eam corpus mouere, uel res cognoſcere , uel incorporeã eſſe:ſed quòd ſuſpicati ſint eam motam mouere,& cognoſcere eo,quòd in ſe res haberet: & quòd ad incorporeum intuentes,non propriè incorporeum opinati ſunt:ſed eſſe corpus reliquorum ſubtiliſſimum, & tenuiſſimarum maximè partium.Primum ergo ab ijs incipit, qui ad motiuam eius uim reſpexerunt:quoniam & eos primum recenſuit.Hi autem,ut didicimus,exiſtimabant,Quoniam anima*

mouet,omne autem quod mouet,& ipſum moueri, & animã quoq; moueri.non ipſam autem ab alio moueri,ſed à ſeipſa, & eſſe per ſe mobilem.Ad hoc ergo inſtat: Primum,quòd fieri nõ poteſt,ut anima moueatur.Tantum enim abeſt,inquit, ut dicã eam per ſe eſſe mobilem,ut etiam fieri non poſſe dicam, ut omnino moueatur.Platonem autem in primis tacite innuit. Sed prius quàm ea,quæ ab ipſo dicũtur,aggrediamur,paucis oſtẽdemus ex ijs, quæ ipſe dicit Ariſtoteles,omnino neceſſe eſſe animã moueri: Deinde dicta percurrẽtes exponemus,quomodo et eam immobilẽ dicit Ariſtoteles,& quomodo ſemper mobilem Plato.In naturali itaque auſcultatione motum definiens Ariſtoteles ait. Motus eſt eius, quod potentia eſt, actus,quatenus tale eſt.Illud autem,Eius,quod eſt potentia,id eſt id, quod eſt poſtea ſecundum actum eius,quod eſt potentia. Hoc enim ſignificat illud,quatenus eſt tale.Si enim à potentia ceſſabit,& à motu ceſſat.Eſt ergo uia à potentia ad actum.Si itaq; motus uia eſt,quæ eſt ab eo,quod eſt potentia,ad id quod actu eſt: Dicit autem rurſus in hoc libro Ariſtoteles,quòd anima eſt mens potentia:& quòd operatione aliquãdo mens fit:& recte quidem,inquit,qui animam formarum locum eſſe dicũt: ſed quòd non omnis,ſed intellectiua.& non actus, ſed formæ potentia. Et rurſus ait,quòd tabulæ ad ſcribendum factæ,ſed nondũ ſcriptæ ſimilis eſt: idem eſt autem dicere,tabulæ potentia ſcriptæ, quæ actu aliquãdo ſcripta ſit.Si itaq; motus eſt eius qđ eſt potẽtia,ad id,qđ eſt actu,uia: Fit aũt anima,quæ mens eſt potẽtia, formas recipiens,actu mens: ab eo igitur,quod eſt potentia, ad id,quod actu eſt,procedens mouebitur.Aduerſus hoc autẽ inſtant,& aiunt,quòd in tertio libro,de motu dixit craſſius: & mutationis definitionẽ motui attribuit, dicẽs uiam ab eo,quod eſt potentia, ad id quod eſt actu,motum eſſe. Malè itaq; eos, inquiunt,ex non exacte aſsignata definitione Ariſtotelem refellere conari.In quinto enim libro hæc definiens exactius, ait, mutationem eſſe motu ampliorem.Si quid enim eſt motus, hoc eſt & mutatio.non ſi quid autem contra. Fieri enim mutationem ſecundum quatuor prædicamenta: ſubſtantiam: quantitatem: qualitatem: ubi.Et eſt ſubſtantiæ quidem mutatio, Generatio,& corruptio: Quantitatis auctio,& diminutio: Qualitatis alteratio: Prædicamẽti autẽ ubi,latio.Eſſe ergo,quæ in tribus fiunt prædicamẽtis,mutationes motus,qualitate: quãtitate: ubi.Sed nõ ita in ſubſtãtia.Oportet enim id,quod mouetur, manere,ut & moueatur.Quod autem generatur, & corrumpitur,non manet.Et propterea aliter quoq; in eis motum definit, cùm,quæ aſsignata eſt in tertio libro, definitio ſit mutationis, non motus.Ait enim motum eſſe mutationem,quæ fit à formato in formatum: Idem eſt autem dicere, quæ fit à ſubiecto in ſubiectum.Generatio autem & corruptio, illa quidem ex informi ad formam mutatur: hæc uerò à formato ad informe. Quomodo autem hæc ſe habeant in illo opere exacte dictum eſt: in præſentia autem,quæ dicta ſunt,ſufficiunt. Hæc quidem illi.Nos autem dicimus, mutatione ſecundum quatuor prædicamenta conſiderata,ſi nolunt animam,quando mutatur ab eo, quod eſt mens potentia,ad id, quod eſt actu ſubſtantia mutari,ſecundum unum eorum trium,qui motus ſunt,mutari. Mutationis enim definitio ipſi quoq; conuenit, ut oſtenſum eſt. Id autem eſt generatio & corruptio.Quare eam quidem,quãdo diſcit,generari dicemus: quando ignorat,corrumpi. Sed hoc eſt ridiculum. Anima enim anima erat,etiam prius quàm diſceret.Si itaq; ſecundum ſubſtantiam non mutatur,neceſſe eſt ſecundum aliquam aliam prædicamentorum cauſam eius eſſe mutationem. Secundum eam autem mutationes motus ſunt. mouetur ergo anima.Si autem uidetur & Ariſtoteles eam, quæ ab eo,quod eſt potentia,ad id,quod actu eſt, fit, mutationem animæ generationem magis eſſe dicere,non alterationem, ut quando ex ignaro ſcientia præditus,& doctus quis redditur: de eiuſmodi dicimus, quod perfectionis ait generationem eſſe: ſed non ſimpliciter generationem.Et aliter. Virtus & uitium ſunt contraria.Si enim priuatio dicitur eſſe uitium, ut quod ſit indefinitum & informe: atqui eo quidem,quòd in uirtutem mutatur,contrarium erit.Neq; priuatio, quemadmodũ in prædicamentis dictum eſt,in habitum mutatur, ut cæcitas in uiſum. Mutatur autem contrarium in contrarium,ut album in nigrum. Anima ergo ex uicio in uirtutem mutatur, & contra. Hæc autem ſunt contraria. Quæ autem in contraria fit mutatio,motus eſt,ad qualitatem enim reducuntur.Anima ergo mouetur.Et aliter.Ipſe quidem Ariſtoteles motum in hoc ait ab actu differre,quòd motus quidem ſit actus imperfectus: Actus autem ſit frequens,& abſolutus.Et eam ob cauſam diuina actus ſine potentia eſſe dicit.Vnde & in naturali auſcultatione quæſiuit. Vtrum in eo,quod mouet,& eo,quod mouetur, duo ſunt motus, an unus. & demonſtrauit quòd unus. Deinde rurſus quæſiuit cuius ſit motus,eius ne qui mouet, an eius qui mouetur.& oſtendit quòd eius,qui mouetur.Is enim eſt, qui ab imperfecto ad imperfectum procedit: non autem is,qui mouet.ſicut in diſcipulo & in præceptore ſe habet. In utriſq; enim motus eſt,qui à doctore quidem incipit,in diſcipulum autem finitur.Mouetur enim non præceptor,ſed diſcipulus. Ille enim frequentem habet habitum,& perfectum. Hic autem ad eum per partes deducitur.Si itaq; ſecundum eum motus quidẽ eſt imperfectus: actus autem frequens,& abſolutus: interrogabimus eum de anima,quomodo habet: mouetur,an non? Si quidem non mouetur,ab eo,quod eſt imperfectum, ad perfectum non promouetur.Ab ignorantia ergo ad cognitionem non mouetur.neq; à propoſitionibus ad concluſiones. Si autem hæc in anima uidentur,& non perfectum, & abſolutum actum habent,nec ſine potentia actus eſt.mouetur ergo. Hoc enim & ipſe definiuit.Motum eſſe uiam ab imperfecto ad perfectum. Et aliter.Ipſe dicit,quòd in quibus eſt prius & poſterius,in eis omnino eſt tempus.ex tempore enim uenit prius & poſterius ijs,ad quæ uenit.In quibus autem eſt tempus, in eis omnino eſt motus.Ea enim uiciſsim conuertuntur. Et in quibus eſt motus,in eis omnino & tempus.& contra,in quibus eſt tempus,in eis omnino & motus.Eſt autem in anima prius & poſterius.ergo & motus.Quòd autem eſt in anima prius & poſterius,manifeſtum eſt. A propoſitionibus itaq; ad concluſiones tranſit,& non omnia ſimul cognoſcit,ſed aliud ante aliud. neq; omnium ſimul,quæ nouit, tractationem facit: ſed huius quidem prius: illius autem poſterius. &, ut ſummatim dicam, tranſit à uirtute in uitium: & ab ignorantia in cognitionem. Hæc itaq; ſunt ad demonſtrandum,quòd etiam ſecũdum ipſum Ariſtotelem mouetur anima: & non malè Plato per ſe mobilitatem ei tribuit.Aequo autem harum orationum diſceptatori nulla inuenietur inter eos diſſenſio,præterquàm in ſolis uocibus.Quemadmodũ enim in multis locis ſolet facere,ut, quod apparet,reprehendat: ita & hic. Quoniam enim, qui ueri ſunt,motus,&,qui à nobis ſimul etiam cognoſcuntur, ſoli ſunt naturales,nullo autem eorum anima mouetur(neq; enim augetur,uel minuitur,uel ſecundum qualitatem, uel ſecundum locũ mutatur)ne quis, cùm Plato ſemper mobilem animam dicit, exiſtimet eum dicere,quòd aliquo ex naturalibus, & nobis cognitis motibus ea moueatur,Propterea ipſe oſtendit his omnino motibus eam eſſe immobilem.Et eſt uera oratio,& quæ Platoni quoq; ita uidetur: ſi quidem incorpoream eam quoque Plato exiſtimat. Moueatur autem ſecundum Platonem alijs quibuſdam motibus intellectiuis,& maximè uiuificis: ſecundũ quos maximè quoq; eam ſemper mobilem eſſe dicit Plato. Viuificat enim ſemper,cùm & quieſcit animal,& ſopore grauatur

tur

*tur, quando intellectiuos motus non operatur. Cùm ergo Plato omnem ſimpliciter actum motum eſſe dicit: Ariſtoteles autem ſolos naturales motus eſſe ait: uera eſt & oratio, quæ dicis animam moueri ſecundum platonem, & non moueri ſecundum Ariſtotelem. & in ſolis uerbis differentia inter eos inuenitur. Si autem Alterationis ſpecies ſunt Diſpoſitiones & Habitus: ſecundum eas autem mouetur anima, cùm ab ignorantia tranſit ad ſcientiam: Quomodo effugiet, ut non ſolum moueatur, ſed & naturali motu moueatur? Videtur Ariſtoteles ad ſolos corporeos motus reſpiciens ita dicere, animam non moueri. apertum autem ex eis, quæ ab ipſo dicuntur. Si enim mouetur, inquit, anima non ſecundum accidens, natura ei motus inerit: Si autem & hoc, & locus. Omnes enim qui dicti ſunt motus, in loco. Vides quòd ad corporales motus reſpiciens ſic eam immobilem eſſe dicit. Omne enim, quod in loco eſt, corpus eſt.*

Conſiderandum autem eſt, primum quidē de motu. Forte enim non ſolum falſum eſt eius ſubſtantiam eſſe talem, qualem aiunt, qui dicunt eſſe, quod ſeipſum mouet, vel poteſt mouere, Sed & eorum, quæ fieri nō poſſunt, vnum eſt; vt ſit ei motus.

*Dictum eſt, quòd, qui ad motiuam uim animæ reſpexerūt, quoniam exiſtimauerunt id, quod mouet, oportere & ipſum moueri, eo quòd omne, quod corporaliter mouet, ſic moueat, Videbant autem animam primum corpus mouentem, per ſe mobilem eam pronuntiauerunt. Tantum, inquit, abeſt, ut ego per ſe mobilem dicam animam, ut unum eorum, quæ fieri non poßint, eſſe dicā, ut ea omnino moueatur. Aduerſus Platonē autem maximè eius dirigitur oratio. Et ideo, cùm dixiſſet, qui dicunt animam eſſe, quod ſeipſum mouet, addidit: Vel quod poteſt mouere. Videtur enim Plato alicubi quidem dicere. Omnis anima per ſe mobilis, ut in Phædro: & rurſus in legum decimo animam ſic definit. Cui quidem animæ nomen eſt, quæ ſit eius ratio, quid aliud habeamus, quàm, quæ iam dicta ſunt, quæ ſe ipſam poteſt mouere? Et quòd Democriti ſectatores, & qui corpus, ut ſemel dicam, maximè mobile animam dicebant, etiā ſi non ſemper mobilem animam dicebant, mouendi quidem certe facultatem in ea reponebant. & propterea dixit, Vel quod poteſt mouere. Quòd itaq; Platoni quoq; uidetur eorum, quæ mouentur, cauſam eſſe, quod per ſe mouetur, manifeſtum eſt. Dicit enim eſſe principium eorum, quæ mouētur, id quod per ſe mouetur. Dictum eſt autem alios quoq; phyſicos hoc exiſtimare. Hinc itaq;, quòd anima mouetur, confirmabant: quoniam eam mouentē uidebant. Quòd hoc autem, inquit, non eſt neceſſarium, ut, quod mouet, omnino & ipſum moueatur, in octauo Phyſicæ libro oſtenſum eſt. Illic enim demonſtrat, quòd id, quod primum mouet, ex neceßitate immobile eſſe oportet. Si enim & illud moueatur, non amplius in motu erunt, quæ mouentur, cum cauſa ſimul mutata. Alioqui, ſi omne, quod mouet, quatenus mouet, & ipſum mouetur: erit augens, id, quod augetur: & docens id quod diſcit: & albefaciens id, quod albefit: quod eſt abſurdum. maximè, cùm & appetentia appetitum mouentia in eo, quòd mouent, erunt immobilia. Mouet enim fœnum aſinum: & imago uidentem, & quæcunq; alia eiuſmodi: cùm ipſa immobilia maneant. Recte igitur hucuſq; orationis primum neceßitatem ſuſtulit, quòd non ex neceßitate mouens anima, mouebitur & ipſa. Per ea autem, quæ deinceps dicet, inſtabit aduerſus illius per ſe mobilitatem: quòd omnino fieri non poteſt, ut ipſa ſeipſam moueat, uel omnino moueatur.*

97 Cùm autem quicquid mouetur, duobus modis mouetur. vel enim per aliud: vel per ſe. per aliud autem dicimus, quæcunq; mouētur eo, quòd ſint in eo, quod mouetur, vt qui ſunt in naue vectores. Non enim ſimiliter ac nauigium mouentur. Illud enim per ſe mouetur. Hi vero eo quòd ſint in eo, quod mouetur. Id autem in partibus eſt manifeſtū: Proprius enim eſt motus pedum inceſsus: ipſe autem & hominum: Nō ineſt autem ijs, qui tūc ſunt, vectoribus. Cùm autem dupliciter moueri dicatur, nunc de anima conſideremus, 38
an per ſe mouetur, & eſt motus particeps.

*Oſtenſurus animam nō moueri, iure primum differentes motus ſignificationes enumerat: ut ſciamus ſecundum quod motus ſignificatum dicit animam non moueri. Eorum ergo, quæ mouentur, alia quidem per ſe mouentur, inquit, id eſt ſecundū ſubſtantiam motum habent: alia autem per aliud, id eſt per accidens. Hoc enim hoc in loco ſibi uult illud, Per aliud, ut exēplis declarauit. Eorum autem, quæ per accidens mouentur, alia quidem ſic mouētur, ut quæ proprium & ipſa motum habeāt: ut uector. Per accidens enim in naui mota mouetur: cùm poßit quidē & ipſe per ſeipſum moueri: alia autem, ut quæ per ſe ſunt immobilia: ut album in corpore. Mouetur enim, dum corpus mouetur, per accidens album. Ipſum quidem ſecundum propriam naturam eſt immobile. ſecundum quod ſignificatum concedit Ariſtoteles animam moueri. Eo enim, quòd corpus mouet, eſt autem ipſa in corpore quod mouetur, per accidens ſeipſam mouet. Quemadmodum, ſi motiuam facultatem accepiſſet albedo, ſeipſam per accidens diceretur mouere, eo quòd cū eo, quod mouetur, congreditur. Sed & remiges, qui ſcapham mouent, per accidens una cum ipſo mouentur. Ipſi itaq; ſeipſos per accidens mouent: Quo modo animā quoq; corpus mouēs, ipſa ſeipſam per accidens mouet. Si enim corpus nō deſerit, dū ipſum mouetur: in ipſo autem operatur: manifeſtum, quòd una cum eo per accidens mouetur: eo quòd cum eo, quod mouetur, una progreditur. Ipſa quidem per ſe eſt immobilis, eo quòd incorporea. Quòd ſi hoc eſt: non eſt in loco. Quomodo igitur id, quod omnino in loco eſſe ſua natura aptum non eſt, moueri dicatur? Quod enim mouetur, locū loco cōmutat. Quicquid autē in loco eſt corpus eſt. Incorporeā aūt eſſe animā linearibus neceßitatibus demonſtrat. Omnino ergo neceſſe eſt naturalibus eam motibus eſſe immobilem. Poſtquam autem dixiſſet, eorū, quæ mouentur, alia quidem per ſe, alia autem per alterum moueri, eorū exemplū adiecit, uectorē. Qui enim in naue uectoris motus eſt nō eſt per ſe, ſed per accidens. Eo enim, quòd mouetur nauis, in quo eſt, dicitur & ipſe moueri. Quòd enim non eſt eius proprius eiuſmodi motus, manifeſtū eſt, inquit, quòd partes, per quas mouetur, qui per ſe mouetur, uector, ſunt immobiles. Hæ autem ſunt pedes. Quando enim per ſe mouetur, per pedes mouetur. Simul itaq; & eius, qui per ſe motus eſt, exemplum oſtendit: & conſulto eiuſmodi uſus eſt exemplo: ne exiſtimaremus eum, qui per partes fit, totius corporis motum eſſe per accidens. Et ſi enim per partes totum corpus mouetur, per ſe moueri dicitur: eo quòd neq; pedes ſine totius corporis cōſpiratione ſeu conſenſu & concentu moueri poterunt. Cùm autem duobus modis moueri dicatur, nunc conſideremus de anima, an per ſe mouetur: meritò prius accepit uaria motus ſignificata. Quærimus enim, inquit, an per ſe mouetur: id eſt an ſecundum ſubſtantiam motum habet. Quòd enim per accidens moueatur, ipſe quoq; conceſſerit. Cur autem, cùm dixiſſet, an per ſe mouetur, addidit. Et motus eſt particeps: eo, quòd eorū, quæ per ſe mouentur, alia quidem conſubſtantiatum, ut ita di-*

tam, & ſubſtantiæ propterea completiuum motum habent: ut cœleſtia: alia autem conſubſtantiatum quidẽ non habent, neq; ſubſtantiæ completiuum: ſaculatẽ quidem certe, ut moueãtur, in natura habẽt: quò fit, ut partem motus habere poßint, quando fuerit, quod mouet, ut glebæ: Eſt enim motus particeps. non ipſa autem in motu ſuam capit ſubſtantiam. Quærimus ergo de anima, an conſubſtantiatum habet motũ: ut qui per ſe mobilem eam dicunt: An conſubſtantiatum quidem, ſed eius ſecundum ſubſtantiam particeps eſſe non poteſt: & oſtendet, quòd fieri non poteſt, ut in anima omnino motus ſit.

Cùm autẽ quatuor ſunt motus, Latio: Alteratio: Diminutio: Auctio: vel vno eorũ moueatur: vel pluribus: uel omnibus. Si autem non per accidens mouetur: natura ei motus inerit. Quòd ſi hoc, & locus. omnes enim dicti motus in loco. Si autem animæ ſubſtantia eſt ſeipſam mouere: non per accidens moueri ei inerit: ſicut albo: vel tricubitali: mouentur enim & hæc: ſed per accidẽs. Cui enim inſunt, illud corpus mouetur. Qua de cauſa ipſorũ quoq; locus nõ eſt. Animæ autem erit, ſi quidem natura motus eſt particeps.

Oſtendit in quinto phyſicæ libro, quòd mutatio ſecundum quatuor fit prædicamenta. Vel enim in ſubſtantia, ut generatio & corruptio. Vel in quantitate, ut auctio & diminutio. Vel in qualitate, ut alteratio, ut albefactio, nigrefactio. Vel in prædicamento ubi, ut ſupra: infra: in lycæo: in foro. Earum autem mutationum, illas quidem, quæ in tribus prædicamentis fiunt, quãtitate, qualitate, ubi, motus eſſe. Quæ autem in ſubſtantia, non utiq; motum eſſe, ſed mutationem ſimpliciter. Amplius enim ſe extendit mutatio, quàm motus. Quod enim, inquit, mouetur eſſe oportet, ut & moueatur. Quod autem generatur, uel corrumpitur, non manet id, quod erat. & quòd, id, quod mouetur, circa ſubiectum mutationem habet, cùm motus ad ſubiecti ſubſtantiam nihil conferat. Id autem, quod generatur & corrumpitur, non in ſubiecto fit: ſed ueluti ex materia in formam mutatur, quod generatur: & cõtra, quod corrumpitur. Cùm itaq; motus circa tria prædicamenta conſideretur: Quomodo ergo hoc in loco quatuor motus ſpecies enumerauit? Dico ergo, quòd in prædicamento quidem ubi, & in prædicamento qualitatis, communia nomina aſſecutus eſt, per quæ omnes motus ſpecies, quæ ſub eo ſunt prædicamento, ſignificat: lationem, & alterationem. Omnis enim ſecundum locum motus latio dicitur: & ſecundum quantitatem alteratio. Alteratur enim &, qui albeſcit, & qui nigreſcit. In quantitate autem proprium nomen aſſequi non potuit, quod & auctionem & diminutionem ſignificaret. Si quis enim mutationem ſecundum quantitatem id eſſe dicat: definitionem, & non nomen dixerit. Propterea ergo, qui in quantitate eſt, motum in duo diuiſit: in auctionem & diminutionem. Tanquam ergo hoc demonſtrato, quòd ſecundum ſubſtantiam mutatio motus non eſt, pro confeſſo hic accepit, quòd omnis motus ſecundum tria hæc prædicamenta fit. Si autem mouetur anima non per accidens: natura ei motus ineſt. Quòd ſi hoc, & locus. Omnes enim dicti motus in loco: id eſt, quoniam non per accidens ei dicunt motum ineſſe: eius enim ſubſtantiam eſſe dicunt eſſe per ſe mobilem: neceſſario ergo ei ſecundum naturam ineſt: uel ipſa potius eſt natura. Demonſtratus eſt autem omnis motus uni horum prædicamentorum ſubeſſe. Vno ergo dictorum motuum mouebitur. Si autem hoc in naturali auſcultatione demonſtratum eſt, quòd quæcunque uno horum motuum mouentur, in loco ſunt: & anima ergo in loco erit. Idem eſt autem dicere, corpus erit. Et quòd ſecundum quãtitatem quidem motus, & ſecundum prædicamentum ubi, in loco eſt, manifeſtum eſt. Quòd autem, & quæ ſecundum alterationem eſt, mutatio in loco eſt, apertè in phyſica oſtendit. Oſtendit enim quòd id, quod per ſe mouetur, oportet eſſe diuiſibile. Quod autem per ſe eſt diuiſibile, & in loco eſt: quandoquidem corpus quoq; eſt. Quod enim omnino mouetur, ab eo, quod eſt, tranſit ad id, in quo erit. Ab aliquo enim in aliquid omnis eſt mutatio. Quod autem ex aliquo in aliquid mutatur, neq; in eo ex quo mutatur totum eſt: neq; enim mutaretur: neq; in eo, in quod mutatur, totũ eſt: iam enim mutatum eſſet: & non aplius mutaretur. Neceſſe eſt ergo id, quod ſecundũ aliquam mutationẽ mutatur, per ſe, & nõ per accidens, ſecundũ aliquam ſui partẽ in eo eſſe, ex quo mutatur: ſecundum aliquã autem in eo, in quod fit eius mutatio. fieri enim non poteſt, ut totum in utroq; ſit. In oppoſitis enim ſimul erit: eo in quo: & in eo in quid: & ſimul in pluribus idem ſecundũ idem: quod fieri nõ poteſt. Reſtat ergo, ut hoc quidẽ eius ſit ex quo: illud uerò in quod. Diuiſibile ergo, & propterea corpus. ſolum enim per ſe diuiſibile corpus eſt. Et ſi enim linea, & ſuperficies per ſe diuiſibilis dicitur: ſed ratione: ſubſiſtentia quidem certe & ſubſtantia ſolum corpus eſt diuiſibile: Quare ſi anima per ſe mouetur, diuiſibile erit, & corpus. Et hucuſq; quidem aduerſus Platonem ſatis eſt, qui incorpoream eſſe dicit animam. Si enim ad ſuppoſitionem, quæ dicit, quòd eo quòd mouetur ſequitur eam eſſe corpus: hoc autem falſum, ergo non mouetur: ſed nondum confutati ſunt, qui, cùm ea corpus ſit, dicunt, quòd mouetur. Quid ergo ex hoc abſurdi ſequetur, ſi, cùm & in loco, & corpus ſit, moueatur: Infert ergo paulo poſt ſequẽs abſurdum, quod omnibus communiter competit. quomodo autem dicit, omne, quod mouetur, eſſe in loco? Atqui ipſe demonſtrat primum mobile non eſſe in loco, ſiquidem locus eſt, ut ipſi uidetur, finis eius quod continet, quatenus continet id, quod continetur, extra firmamentum autem ſeu primum mobile nihil eſſe demonſtratur. Vel ergo, quòd firmamenti quoq; partes quodammodo in loco ſunt, ut ipſe ait in phyſica. continetur enim unũ quodq; animalculum ſiue ſignum ab his, quæ ex utraque parte ſunt: uel quòd ſubaudire oportet, quòd eorum, quæ uniuerſaliter mouentur, motus in loco ſunt. De ijs enim, quæ mouentur hoc in loco ſermo eſt, quæ uniuerſaliter ipſa mouentur. Illi quoq;, qui dicunt animam eo, quòd mouetur, moueri, totam ſcilicet per totam tranſire dicunt. Quæ autem ſic mouentur, neceſſariò in loco ſunt. Dixerit autem fortaſſe quiſpiam, quid igitur, an non ſecundum qualitatem mutatur anima, non alteratur, cum mutatur ex uitio in uirtutẽ, & ab ignorantia in cognitionẽ? Si autem alteratur: alteratio uero motus eſt: mouetur ergo anima. Ad hoc ergo aptè & conuenienter Peripatetici interpretes, quorum eſt & Alexander occurrunt: quòd hoc non eſt alteratio. Alteratio enim eſt, quæ ſecundum paßiuas qualitates fit mutatio. Omnes autem paßiuæ qualitates ſunt ſenſiles: ſenſiles autem qualitates in corpore. Quicquid ergo alteratur, corpus erit. Virtus autem & uitium, cognitio & ignorantia habitus ſunt & priuationes. Habitus autem & priuationes generationes ſunt & corruptiones: non alterationes. ſicut ergo cæcitas corruptio eſt: generatio autem uiſus. ſic uirtus & uitium, & cognitio, & ignorantia generationes ſunt quodam modo, & corruptiones. Cognoſcitur enim unum quodque cum ſua ipſius perfectione. Si quid autem rei ad perfectionem deeſt, ad corruptionem hoc tendit. Animæ autem perfectio cognitio eſt & uirtus. Quemadmodum ergo ſanationem non alterationem dicimus, ſed generationem: quoniam ſecundum naturam quidem eſt ſanitas, præter naturam autem morbus: ſic quoniam ſecundum naturam quidem eſt animæ uirtus,

tur, præter naturam autem uitium: quæ a uitio in uirtutem fit mutatio, non alterationem, ſed generationem iure dicemus. Alteratio enim, ut quæ circa qualitatem uerſetur, cùm ſecundum accidens inſit in corpore, neque ad ſubiecti ſubſtantiam uult aliquid conferre, neque ei detrimentum afferre. Dealbatum enim uel nigrefactum corpus nec iuuatur, nec leditur. Sanitas autem & morbus, & uitium & uirtus non ſunt eiuſmodi: ſed ad ipſam ſubiecti ſubſtantiam faciunt. Sic ergo ſoluimus eam, quæ uulgo iactatur in introductionibus, dubitationem in accidentis definitione. Quærebatur enim quomodo ſubiectũ adeſt & abeſt citra ſubiecti corruptionem. Febris enim, cùm ſit accidens, corrumpit. Dicebamus enim febrem non eſſe accidens, neque ſubiecti alterationem: ſed eſſe calorem præter naturam, qui animalis harmoniã & concentum diſſoluit. Iam autem diximus, quomodo animæ habitus generationes & corruptiones eſſe dicuntur. Quemadmodum albo uel tricubitali. Si quis enim cùm fucus mouetur, album moueri dicat, uidelicet per accidens id moueri dicit: neque enim ſua natura per ſe moueri aptum eſt. Addidit autem & tricubitali, quatenus tricubitale dicens, non corpus, ſed ipſum ſimpliciter ſpatium ſine corpore, ut lineam, uel ſuperficiem, uolens oſtendere, quòd nullum aliud ſpatium per ſe mouetur præter corpus. Mouentur ergo hæc, inquit, per accidens. eo quòd corpus, cui hæc inſunt, & in quo eſſe ſuum habent, illud mouetur. Quòd autem non eſt eorum motus, ſed corporis, ex eo manifeſtum eſt, quòd & locus in quem mouentur, non eſt eorum, ſed corporis. Si enim omnis motus ad aliquem finem reſpicit: eſt autem motus ſecundum locum finis locus, ad quem motus eſt: hic autem locus: idem eſt autem dicere finis, ad quem reſpicit motus, corporis eſt, & non albi, uel tricubitalis: motus ergò corporis erit. Quòd autem locus corporis eſt, hinc eſt manifeſtum. Si enim ablatæ fuerint qualitates, nihilo ſecius in proprio loco corpus eſt. Similiter & tricubitale, ſi, ut linea, auferatur & ſuperficies.

40 Præterea ſi natura mouetur, vi quoq; moueatur: & ſi vi, natura quoq;.

Cùm demonſtraſſet, quòd ſi natura, & per ſe anima mouetur, erit ei aliquis proprius locus: prædictis hoc addit tãquam conſequens, quòd ſi natura mouetur, ui quoq; moueatur. Per id demonſtrans, quòd ei erit aliquis & præter naturam locus. Et quòd, quæ ui mouentur, etiam ſecundum naturam mouentur, apertum eſt. Quod enim ui mouetur, præter naturam mouetur. Quod autem eſt præter naturam, declinatio eſt ab eo, quod eſt ſecundum naturam. Nihil autem ſemper eſt in eo, quod eſt præter naturam. Quomodo autem &, quod ſecundum naturam mouetur, ui quoq; moueri dicitur? Nunquid, &, quæ in circulum corpora feruntur, quoniam ſecundum naturam mouentur, præter naturam moueri unquam poſſunt? Atqui oſtendit & ipſe Ariſtoteles fieri non poſſe, ut ea præter naturam moueantur. Ab omni enim mortali difficultate ea ſeparata eſſe dicit. Aptè itaq; & conuenienter Peripatetici dicunt interpretes, quorum eſt & Alexander, quòd non à natura cœleſtia corpora mouentur, ſed à maiore aliqua poteſtate, quæ in eis eſt, dico autem anima. Siquidem, ut ipſe dicit Ariſtoteles, ſecũdum primi appetitum eum habent motum. Cur enim, inquit, circulo mouentur? deinde ſubiunxit. Quia mentem imitantur. Quemadmodum enim, inquit, deus ubique eſt: ſic, inquit, & cœlum primum imitans, quoniam ſimul ubique eſſe non poteſt, per partes ubique ſit. At uero animalia, quæ motu ſecundum obliquum feruntur, eo ſcilicet motu ab anima mouentur, & non à natura. In animalibus autem alius eſt ſecundum animam motus ab eo, qui eſt à natura. Animatorum enim quæcunque compoſitum habent corpus, diuerſum habent motum ſecũdum animam ab eo, qui eſt ſecundum naturam. Quando enim ingrediuntur animalia, uel uolant, uel natant, ſecundum animam mouentur. Quando autem ex alto grauiore aliquo caſu feruntur, ſecundum naturam mouentur, dominante graui & terreno corpore. Simplici autem corpori, cui animato eſſe ineſt, propter eius proprietatem natura anima eſt: & ſecundum animam motus ei ſecundum naturam motus eſt. Si autem non natura mouetur, ſed ab anima, non amplius ſubijcitur ei, quod dicitur, quòd, quæ natura mouentur, ui quoque moueri poſſint. Si autem in eo quoque naturalem omnino motum ponere oportet: dicemus, quòd talem habet à natura motum, qualem & ab anima. Neq; in omnibus locum habere dicemus, quod dicit Ariſtoteles, quòd quicquid natura mouetur, ui quoque moueatur, ſed in ijs quorum per rectitudinem motus eſt, quæ quidem et per ſe tota mouentur. Ab ipſo autem philoſopho oſtenſum eſt, quòd ei, qui eſt ſecundum rectum, motui contrarietas eſt. Solus autem, qui in circulum motus eſt, nihil habet contrarium. Motui enim qui ſurſum eſt, deorſum motus opponitur. Motui, qui ante eſt, qui fit retro. Motui ad dextram motus ad ſiniſtram. Ei quidem certe, qui eſt in circulum, nihil. Quare ea illorum, quæ ſecundum naturam mouentur, ui quoque ſecundum rectum motum mouentur: & tota totum mutãt in eo, qui eſt ſecundũ rectum, motu, & contrarietas uidetur. Atqui cœleſtia & in circulum mouentur & uniuerſa per uniuerſas ſui partes loca non mutant. Clarum eſt autem, quòd qui ſecundum locum animam moueri, & ſuo motu admſtar cuiuſdam uectis mouere corpus dicunt, eum quoque, qui ſecundum rectum eſt, motum ei attribuerunt. Omnia enim animalium corpora ſecundum rectum mouentur. Pulchre autem hoc quoque addit Alexander, quòd, quæ de cœleſtium motu opinio eſt, quòd neque in loco ſunt, neque unquam præter naturam moueantur, nullius eſt eorum, qui ante Ariſtotelem fuerunt, ſed ipſe illam primus inuexit. Illis itaque conſequentia pulchre diximus ex ijs, quæ dicunt. Deinde illud, ſi natura mouetur, ui quoque moueatur, tanquam contingens accepit: quia contingit eorum, quæ natura mouentur, ui quoque nonnulla moueri. Ex ijs autem, quæ natura mouentur, ea ui quoque mouentur, quæ contrarios habent motus. Habere autem poſſunt animæ quoque motus contrarios. Quibus enim corpus mouet, iiſdem quoque eam moueri rationi conſentaneum eſt: ſiquidem eo, quòd mouetur, corpus mouet. Omnes autem corporis motus ſecundum rectitudinem conſyderantur, ut iam diximus.

Eodem autem modo habet & de quiete. In quod enim natura mouetur, in eo quoque natura quieſcit. Similiter & in quod vi mouetur, in eo quoque vi quieſcit.

Quæ de motibus dicta ſunt ea ſequuntur, quæ de quietibus dicenda ſunt. Quoniam enim ea, quæ ſecundum rectum mouentur, & uniuerſa per uniuerſas ſui partes locum mutantia non ad infinitum feruntur, habent ſcilicet locum, quem feſtinant apprehendere, quando quidem nihil fruſtra facit natura. Quare quando, quæ mouentur, ſecundum naturam mouentur: cùm locum, ad quem properant, apprehenderint, illic quieſcent: ſiquidem non fruſtra motus eſt. Si enim ad infinitum non feruntur, cùm ad ſuum locum, & ſibi proprium, & familiarem delata fuerint, non amplius à natura ad eum, qui eſt præter naturæ, mouentur. præter naturam autem contrarium. Quieſcet ergo ſecundum naturam ad eum, qui eſt ſecundum naturam, locum, quem comprehẽdere natura properabat. Vi enim opus eſt ad hoc ut moueantur aduerſus oppoſita. Rurſus autem, quæ ui mouentur, ſiquidem non ad infinitum feruntur, habent & eum, qui eſt præter naturam, locum: ad quem cum deuenerint,

*ui quieſcent. Et aliter demonſtratur, quòd omnis motus, qui ſecundum rectum fit, à quiete incipit. Si enim gleba, quæ ſurſum fertur, ab eo, qui ſurſum eſt, motu non quieſcet, nunquam deorſum feretur. Si autem contrario mouetur, ceſſare prius oportet ab eo, qui ſurſum eſt, motu: deinde eum incipere, qui deorſum eſt. fieri enim non poteſt, ut contrarijs ſimul motibus moueatur. Si autem neceſſe eſt, ut ad id, quod de motu dictum eſt, adducatur &, quod de quiete dicendum eſt: neceſſe eſt utique & animam, quæ mouetur, quieſcere. Si autem hoc, non amplius erit ſemper mobilis.*

Quinam autem violenti erunt animæ motus, & quietes, ne fingere quidem volentibus tradere eſt facile.

*Ex hoc ſcilicet loco eſt argumentum ſuperius, ex quo dicit. Conſyderandum autem eſt primum de motu. Cùm enim demonſtraſſet, quòd ſi ſecundum ſe mouetur, id eſt ſecundum naturam, erit ei & ſecundum naturam locus: & rurſus, ſi ſecundum naturam mouetur, mouebitur & ui: & erit uiolentus ei aliquis locus: & quòd quod ſic mouetur quieſcit quoque: hinc ergo concludit dicens, Quales ergo uiolenti animæ motus, & quietes. Quòd autem fieri non poteſt, ut diuidas, & tradas hos quidem motus, & quietes animæ ſecundum naturam eſſe, illos uerò præter naturam, ſic intellexeris. Quæ maximè, & primò animæ eſſe uidentur, ſiue motus, ſiue operationes, iudicium eſt & appetitus. Quorum utrunque diuiditur in rationale, & irrationale. Et eſt in iudicio quidem rationale mens & ſcientia: irrationale autem ſenſus. In appetitu autem rationale quidem uoluntas: Irrationale uerò cupiditas, & ira. Quòd autem earum alias quidem ſecundum naturam eſſe, alias uerò præter naturam, à ratione ſit alienum, manifeſtum eſt. Omnes enim cernuntur in animali ſecundum naturam ineſſe. Si quis autem dicat præter naturam animæ eſſe iram uel cupiditatem: ſciat, primum quidem, ſi utique rationali: nunc autem de omni anima agitur. Præterea eo, quod eſt præter naturam, nemo unquam ad id, quod eſt ſecundum naturam, utatur. Ira autem & cupiditate ad animalis ſalutem utimur. Eis autem ſæpe utimur & ad id, quod eſt animæ bonum. Quare non præter naturam. Multo autem magis, qui ſecundum iudicium ſunt motus, ſunt ſecundum naturam. Sed neque his ipſis quidem motibus ui unquam uti quis poßit. Vi quidem Tyrannorum impium confiteatur decretum: fieri autem non poteſt, ut ipſa ſecundum habitum aſſentiatur, & ui aliquid opinetur. Videri autem poſſit ſecundum iram & cupiditatem ei uis afferri: quando ab exterioribus prouocatur. In anima enim ſpectatur certamen quoddam rationis, & affectuum. Re uera autem ne in his quidem ullus eſt uiolentus motus. Si enim non aſſentiatur rationi affectus: nunquam ad eorum quodpiam attrahatur. Eſt enim uis, ut ipſe definiuit, cuius principium foris eſt eo, quod patitur, uel agit, nihil conferente: quemadmodum lapidis ſurſum motus. Ipſa quidem anima affectui cedit & aſſentitur. Declarant autem id uiri boni, qui nulli eorum, quæ prouocant, cedunt. Sed neque nutritiuam quis facultatem præter naturam eſſe dixerit. Corporis autem, qui ſecundum locum ſunt, motibus, qui ſecundum animæ impulſum fiunt, contrarij ſunt, qui præter eius impulſum fiunt. Natura autem non ſunt ij contrarij: eo quòd ſecundum animæ impulſum ad ea quoque corpus moueatur: ut ſi ea corpus ad anterius mouente, alius ad poſterius trahat. Si enim & ad eadem poteſt anima corpus mouere: ſimiliter & ad dextera & ſiniſtra, infra & ſupra: non præter naturam ſunt ij motus, etiam ſi quis ui trahat. Secundum naturam enim motus præter naturam eſſe non poßit. Nunquam enim igni præter naturam fuerit ad ſuperiora motus. Si enim ſecundum naturam motũ conſequitur omnino & præter naturam motus: non mouetur autem anima præter naturam: neque ſecundum naturam moueatur. Apertum eſt autem, quòd rectè fecimus eam, quæ cum contrapoſitione fit, antiſtrophen ſeu conuerſionem.*

Præterea autem, ſi ſurſum quidem moueatur, ignis erit. Si autem deorſum, terra. eorum enim corporum hi ſunt motus. Eadem autem eſt ratio & de ijs, quæ intercedunt.

*Aliud rurſus abſurdum, quod eorum ſuppoſitionem conſequitur, oſtendit. Si enim ſecundum naturam mouetur anima, Si ſurſum quidem eſt, qui ſecundum naturam eſt, motus, uel ignis erit, uel aer. Si autem deorſum, uel terra uel aqua. Eorum enim tales ſunt motus ſecundum naturam. Non hoc autem ſimpliciter, tanquam abſurdum, colligit: eorum enim nonnulli ignem: alij uerò aliquod aliud ex elementis animam dicebant: ſed quòd, ſi animæ ſecundum naturam motus ſurſum eſt: idem eſt autem & igni ſecundum naturam motus: erit omnis ignis anima. Et in alijs ſimiliter: quod eſt abſurdũ. Si enim & igni & animæ, quod unicuique eorum eſt, eſſe, eo, qui ſecundum naturam ſurſum eſt, motu definitum eſt: Quorum autem idem ſecundum naturam proprium eſt, ea eadem ſunt: idem eſt ergo ignis & anima. Hoc autem abſurdum declarauit dicens, Eorum enim corporum hi ſunt motus. Ignem autem apertè nemo eam fecit, nec ullum aliud elementum. Sed ex igne, ij, quibus erat elementum ignis: uel ex aliquo alio. Neque Democritus eam ignem dicebat: ſed ex inſectilibus corpuſculis ex quibus ignis. Eis ergo, qui incorpoream animam dicunt, hoc ſequitur abſurdum. Sequitur autem & ipſum ijs omnibus communiter, qui animam corpus dicunt. Non enim ſimpliciter ignem animam dicebant, ſed hoc modo affectum, & qui facultates aliquas accepit. Affectio igitur & diſpoſitio anima eſt. Si autem idem eſt ignis, & animæ motus: erit omnis ignis anima. Si autem hoc abſurdum: non eſt ergo idem motus. Similiter & in alijs elementis. Si autem nullo elementorum motu mouetur: præter eos autem nullus motus eſt: ergo non mouetur. Videtur autem inſtantiam habere oratio apud eos, qui eam corpus dicunt. Non enim ſi eodem cum uno ex elementis motu mouetur, eam neceſſe eſt & elementorum eſſe unum. Caro enim, & os, & metalla, & omnes ferè formæ compoſitæ, quæ ſecundum naturam uno ſimplicium elementorum motu mouentur, non iam uel terra, uel aqua ſunt, uel quid aliud: uel contra, elementa caro ſunt, uel os, uel aliquid aliud ex iis, quæ conſtant ex elementis. Cur ergo fieri non poteſt, ut anima, quæ ex uno ex elementis conſtat, tanquam ex materiali cauſa, eodem cum eis motu moueatur? Si quis autem dicat, Atqui non materia anima eſt, dico autem elementum: ſed forma, quæ ei accedit: Sciat, quòd in omnibus hoc quoque dicere conueniet. Caro enim eſt carnis forma, & non elementa. Similiter & in alijs dicitur. Et uere dicitur deorſum quoque natura ferri caro, ſicut & terra. Vel ergo alia quoque corpora immobilia dicere oportet: uel animam quoq; moueri.*

Ad hæc autem, ſi ea corpus mouere vide- 41
tur, conſentaneum eſt illam eis mouere mo-
tibus, quibus & ipſa mouetur. Si autem hoc;
conuertentibus quoque dicere verum eſt,
quòd ſecundum genus, et ſecundum ſpeciem
eo, quo corpus, mouetur. Corpus autem la-
tionis motu mouetur. Quare & anima eo
quoq; , ſicut & corpus, mutari poſsit, & ipſa
vel tota, vel per partes tranſpoſita.

*Aliud*

*Aliud argumẽtum, quòd anima nõ mouetur. Quoniam enim uecte aliquo eam corpus mouere dicunt, & ueluti ipſum trudentem, quòd ipſa moueatur, ut in puerilibus ludis ſolent facere tenues ex cera & exiguos inanes orbiculos, & in eis muſcas uel cantharidas includere: Deinde cùm eæ mouẽtur, una quoq; cera mouetur. Et quemadmodum in uiuario incluſa fera, deinde protrudens, ſecum quoque mouet uiuarium. Quoniam ergo ſic motam animam una quoque corpus mouere dicebant: quæ hanc opinionem ſequuntur, hic rurſus conſiderat. Si enim, inquit, anima ſic corpus mouet, conſequens eſt ut & corpus eo motu moueatur, quo mouetur anima: & rurſus, quo motu mouetur corpus, eo quoq; moueri animam. Quis eſt itaq; eorum motus, ex manifeſtioribus, & nobis notioribus doctrinam præbet, Dico autem ex corpore. Quoniam enim, inquit, corpus lationis motu mouetur: animam quoq; lationis motu moueri neceſſe eſt. Erat autem magis conſequens ex animæ motu corporis motum colligere, ex cauſa effectum. Quoniam autem obſcurus eſt animæ motus, & ignotus: propterea ex corporis motu animæ motum colligit, tanquam ex ſigno cauſæ comprehenſionem aſſequens. Notus enim eſt corporis motus. Dubitauerit autẽ quiſpiã, quomodo dicat, quòd id, quod mouet, eo ipſo quòd mouetur, eodem motu mouebitur cum eo, quod mouetur. Ecce enim mulus trahit rotam: & rota quidem circulo mouetur: mulus autem recta. Similiter in ænea ſphæra. Axis quidem uno motu mouetur: quæ autem ab eo mouentur, ad oppoſita inuicẽ mouentur. Quarum hæc quidem eodem cũ axe motu mouetur: illa autem ad oppoſita. Et cæleſtia, quæ circulo quidem mouentur, ea, quæ hic ſunt, mouent, non eodem ſecum motu. Cæleſtia ergo ne ſimpliciter quidem eo, quòd mouentur, mouent quæ hic ſunt: ſed ſic mouẽt, perinde ac ſi nõ mouerentur. Calefacientia enim & refrigerantia concretione, & diſcretione ſic circa nos agunt: non autem eo quòd moueantur. Tantum enim ſolum motus confert, quòd nobis propius, uel longius ſtatuat ſolem, uel lunam, uel aliquod aliud aſtrum. De reliquis autẽ alius quidem dixerit, quòd currus à rota recta trahitur: figura autem circularis motus cauſa eſt: tota enim, ut tota, ſecundum rectum fertur rota, locum ex loco mutans, qui ſecundum rectum ſitus eſt. Partes quidem certe ſunt, quæ circulo locis inuicem cedunt. In axe autem, eo quòd intus ſit, quod dentatum appellatur, quod aſſiduè mouens, eam, quæ ad oppoſita fertur, ſphærã, eodem & ipſa mouetur. Non ſufficit autem hæc ratio. Quod enim primũ mouet, axis eſt. Nunc autem maximè de eo quod primũ mouet ſermo eſt, nempe de anima. Ad reſponſionem uerò ſatis non eſt ne rotæ quidem figura. Hæc uerò eſt eorũ ſolutio. Nõ dixit, quo motu mouetur, quod mouet ſecundum ſpeciem, ut recta, uel in orbem, eodem mouebitur, & quod mouet: ſed ſecundum genus, ſi id, quod mouet, ſecundum locum mouet, & quod mouetur, ſecundum locũ mouebitur. Et ideo lationis motum dixit. Quærendũ eſt autem, nunquid in eo ſolo, qui ſecundũ locum eſt, motu hoc uerum ſit. Neq; enim, qui mouet ſecundũ qualitatem uel quantitatem, eodem mouebitur. Siquidem neq; ægreſciens ægreſcit: neq; augens augetur: neq; docens docetur. In eo ergo ſolo, qui ſecundum locũ eſt, motu uerum erit. Quare mouebitur & ipſa ſecundum locum, uel tota, uel ſecundum partes tranſpoſita: fortaſſe tota quidem totum corpus mouens: per partes autem eius partem mouens. Quid autem abſurdi hoc ſequatur, intulit.*

Si autem hoc contingit, eam quoq; egreſſam rurſus ingredi contigerit. Huic autem cõſequens fuerit, vt &, quæ mortua ſunt animalia, reſurgant.

*Si enim uectis alicuius inſtar corpus mouet, et quòd trudat, ut iam dicebamus, tanquam in uiuario fera, fieri, inquit, poteſt, ut à corpore egreſſa in id rurſus introeat, & ipſum rurſus moueat: & ſic mortua reſurrexerint animalia. Quid enim prohibet, ſiquidem ſola trudit, & inſtar uectis ipſum mouet? Aduerſus hoc autem rurſus inſtant, eum non recte dixiſſe: quòd ſi mouens mouet, egreſſa rurſus ingrediatur, & ſic animalia mortua reſurrexerint. Ecce enim, inquiunt, poſtis inſtar uectis, & ueluti quadam intruſione fulcit murum, & continet, uel quid eiuſmodi aliud: & ſi diſſoluta compage auulſus fuerit, & murus ceciderit, non amplius tamen ſubmiſſus poteſt uel murum ſuſtinere, uel aliquid aliud eiuſmodi. Et alia eiuſmodi exempla inueneris. Ad hoc autem reſpondentes aiunt, quòd non ſolum protruſione, & ueluti uecte opus eſt: ſed etiam eius, quod ſuſtinet, habitudine. Ea itaq; diſſoluta, non amplius poteſt, qui ſemel poſitus fuit, poſtis rurſus poſitus ſuſtinere id, quod prius ſuſtinebat. Illi autem (inquiunt) ad inſtar uectis ſolũ motũ fieri dicebant, nõ etiam habitudinẽ corpori præbentes, neq; ullam ex natura ad mouendũ facultatem. Nos enim facultatẽ quandam uitalem animæ præſentia corpori immitti dicimus: eius autem abſentia extincta illa corruere corpus: & propterea rationi eſſe cõſentaneum, ut ipſa amplius introire nõ poſſit, ea, quæ ex ipſa à principio corpori immittitur, aptitudine deleta. Illi autẽ ſola truſione ab anima corpus moueri dicebant. & propterea rationi cõſentaneũ erat, ut ea egreſſa rurſus poſſet ingredi, ut fera, quæ in uiuariũ ingreditur, & egreditur. Cui cõſequẽs eſt mortua animalia poſſe ſuſcitari. Hæc autẽ ſolutio eorũ eſt, qui mentem Ariſtotelis nõ obſeruant. Vult enim per hæc oſtendere animam non omnino moueri, neq; eo quòd mouetur corpus mouere. Quid ergo refert, ad hoc ut mouens moueatur, an corporis aptitudine aliqua opus ſit, an non? Quod quæritur enim eſt, an mouetur, an non. Si enim de eo quæſtio eſſet, utrum corpori aptitudine opus eſt, an nõ, hoc modo recte ſoluerẽt. Si autẽ de eo nullus ſermo eſt, quærit autẽ, an anima mouetur, uel nõ in mouẽdo corpore, quid magis oſtẽderit eã non moueri, ſi aptitudine ad mouendũ corpus opus habeat, dũ mouetur anima? Sic enim nec baculus quidẽ eo, quòd mouetur, mouet ianuã. Ianuæ enim, ut moueatur, aptitudine aliqua opus eſt: & ſic ſe habẽs mouebitur pro trudẽte baculo: neq; enim clauis cõfixa, uel cõpage diſſoluta. Et quæcunq; ab aliquo mouẽtur, propria aliqua aptitudine omnino opus habẽt. Nõ eſt itaq; ſoluta dubitatio. Et propterea nõ uidetur Ariſtoteles hoc ex ratiõe colligere. Alioquĩ dicet ei aliquis. Ingrederetur rurſus anima in corpus: & mortua reſurgerẽt animalia, ſi hanc haberẽt rurſus ingrediẽdi naturã. Iam uerò nõ amplius ingrediũtur: quoniã nec natura hoc eis datũ eſt. Cur ergo iuxta hoc, cùm prius in corpore eſſet, nõ mouebatur: neq; ad idẽ corpus bis ingredi ei natura conceſſum eſt, quẽadmodũ ſi feræ in idem uiuariũ rurſus ingredi nõ natura datum eſſet? Quòd autẽ hoc ei natura nõ datũ eſt, ex inductione fit apertũ. Dixerit autẽ Democritus, & unuſquiſq; alius, quòd motã quidẽ animã corpus mouere dicimus: Dicimus autẽ, corpori quoq; opus eſſe aptitudine aliqua, ad hoc, ut motus animæ poſſit excipere: quemadmodum tali eiuſmodi atomorum ordine & ſitu. Similiter & alij tali elementorum, quæ apud eam ſunt, Harmonia & concẽtu. Quo quidẽ diſſoluto, non amplius poteſt corpus trudere. Sicut, ſi diſſoluta fuerit talis ceræ figura uel qualitas, ut, ſi mollis fiat, uel quid aliud ei accidat, incluſum intus animal eam mouere non poterit amplius.*

Eo autem, qui eſt ſecundum accidens, mo- 42
tu, ſi ab altero moueatur, ui animal trudatur.

*Poſtquã oſtẽdit fieri nõ poſſe ut anima moueatur, ꝓpter abſurda, quæ ſequũtur opinionẽ dicẽtẽ eã per ſe moueri: nunc per hæc uult, aduerſus id, qđ per ſe eſt mobile, inſtare. Prius enim*

ſimpliciter

ſimpliciter oſtēdit eā nō moueri: nūc autē ex quibus ea moueri maxime quis ſuſpicatus fuerit, ex ijs ipſis per ſe non eſſe mobilem oſtendit. Neceſſe eſt, inquit, id, quod per ſe mouetur, & quod ſibi motus cauſa eſt, non ab alio moueri. Quod enim per accidens mouetur, & ipſum ſibi ipſi talis motus cauſa eſſe poſſit, etiam eoipſo ab alio moueri. Dicimus enim nos, cùm ſecundum animalem motum ſeu impetum mouetur animal, per accidens animam à ſeipſa moueri. & remigem nauigium mouentem per accidens à ſeipſo moueri. Siquidē quiſpiam animal ui traxerit, ab alio per accidens anima mouebitur. Dixerit autem quiſpiam & uelū mouens nauem per accidens nauis motu à ſeipſo moueri, eo quod ſit in eo, quod mouetur. Atqui eo, qui per ſe eſt, motu nunquam quicquam ab alio moueri poßit. Id enim quod per aliud eſt, id, quod per ſe eſt, tollit ut per ea, quæ deinceps ſequuntur, oſtendit. Et alioqui, ſi is, qui per ſe eſt motus ex ipſa eſt natura: alio autem, ad hoc ut moueatur, eguerit: imperfectum fuerit, quod à natura fit, nec ipſum ſibi ſufficiens. Expers ergo operationis & fruſtra fuerit. Nihil autem fruſtra à natura fit.

Non oportet autem id, cui ipſum per ſe moueri eſt in ſubſtantia, ipſum ab alio moueri, niſi per accidens.

Quod à ſeipſo, inquit, mouetur, & in ſubſtantia motum habet, nunquam eo motu ab alio moueatur. Si enim eo ab alio moueatur, non amplius ſemper erit, quod per ſeipſum mouetur. Quæ enim in eadem ſunt ſubſtantia unita, una ſemper ſunt. Apparet autem anima, ut ipſe deinceps inferet, à ſenſilibus moueri. Non eſt ergo per ſe mobilis. Illud autem, Niſi per accidens, uel ſic eſt accipiendum, niſi quis animam dicat per ſe non moueri, ſed per accidens: ſic enim & ab alio mouebitur: Demonſtratum eſt enim quòd id, quod ſeipſum mouet per accidens, poteſt & eo ipſo motu ab alio moueri. Vel ſic rurſus illud, Niſi per accidens, quòd, ſi motu quidem qui per ſe eſt moueatur, ab alio moueri non poßit. Quo autem motu ab alio mouetur, eo per accidēs mouetur. Quemadmodū errantes ſphæræ eo motu mouentur, qui eſt ab oriente, per accidens à primo mobili. Dubitauerit autem quiſpiam, quomodo dicit eum, qui per ſe eſt, motum non contingere ab alio fieri. Nonne mouetur per ſe animal ſecundum locum: & ab alio etiam ſecundum locum moueatur? Et lapis deorſum per ſe fertur: feratur autem & ab alio, qui eum ſecundum locum deorſum geſtat. Dico ergo non eodem motu animal & lapidem ab alio, & à ſeipſo per ſe moueri. Animali enim per ſe motus eſt, qui ſecundum impulſum ſeu impetum per propria fit inſtrumēta, quo nunquam omnino ab alio per ſeipſum moueatur. Lapidi autem ſimiliter per ſe motus eſt, qui proprio momento fit. Eo autem nunquam per accidens ferri poßit. Si itaque, quod per ſe mouetur, ab alio non mouetur: uidetur autem anima à ſenſilibus moueri: mundum enim mente contemplata ad Dei conſiderationem uenit: & à ſingularibus & ſenſilibus mouetur ad uniuerſalium cognitionem: & id, quod eſt appetendum, uidens ad eius mouetur deſiderium: & eum, qui iniuriam fecit, ad iram: certe &, ſi cui à natiuitate ſenſus deficit, deficit &, qui ſecundum eum eſt, motus: Si enim uiſum non habeat, nunquam eo, qui ex uiſibilibus cietur, motu moueatur: Similiter & ſi auditu à natiuitate priuetur, ab ijs quæ auribus percipiuntur nunquam moueatur: non per ſe ergo mouetur. Si autem hoc uerum eſt: per ſe mobilis non eſt. Sed ad hoc dicimus, quòd & ſi anima à ſenſilibus mouetur: ſed ita mouetur, ut Geometer dormiens ab eo, qui à ſomno excitauit. Quemadmodum ergo, qui illum excitauit, id tantummodo, quod ei erat impedimento, abſtulit: Geometrica quidem Theoremata & ſpeculationes non iniecit. Sic & anima, cùm rerū in ſe rationes habeat, & ueluti à generationis ſomno præpedita operationē exercere non poſſit, à ſenſilibus, uel magiſtris excitata, quæ in ſe ſunt, rationes tractare aggreditur. Si enim ſenſilia cognitionis cauſa eſſent, cur non & irrationalia cognoſcunt? Plurima enim uel acutioribus, & præſtantioribus ſenſibus utuntur. Deinde & ſenſilia aliter nouit, & non, ut ſenſui uidetur. Senſu enim unius pedis ſolem uidente, anima eum uniuerſa terra multo maiorem eſſe dicit. Non itaq; à ſenſilibus habet cognitionem. Si enim id opinatur, quod ei ſenſus enuntiat, unde & rationes, & res indicat: & uel rectè, uel male habere pronuntiat, niſi ad eas, quæ in ſe ſunt, rationes comparans? Non ergo per omnia ſcilicet animā ſenſilia mouent ad cognitionem: niſi forte, ut dicebamus, quatenus ſecundum potentia eſt, quod actu eſt. Habet enim hoc habitum, etſi, operationem non exercet. Alioqui iam diximus, quod tales ſunt animalis motus. Ipſa ſiquidē per ſe agens anima intellectiuè quoq; operabitur ſenſibus nihil indigens. Hæc nobis aduerſus Ariſtotelem dicere conuenit, ſi de rationali anima dicit: quòd ſi mouetur, non à ſeipſa mouetur, ſed à ſenſibus. Quoniam autem de omni anima, etiam irrationali, ab eo agitur, locū habent, quæ ab eo dicuntur, aſſertiones & confirmationes. Irrationalis enim nihil nouit ſine ſenſilibus. Sed hoc nihil aduerſus Platonem, qui rationalem animam dicit per ſe mobilem.

Quemadmodum neque, quod per ſe bonum, vel propter ſe, hoc quidē per aliud eſſe: illud vero alius gratia. | Animam autem maximè dixerit quiſpiam à ſenſilibus moueri, ſiquidem mouetur. 43

Hoc eſt eorum quæ dicta ſunt exemplum. Quemadmodum, inquit, quod per ſe eſt bonum, non fuerit per aliud bonum: uel propter ſe bonum fuerit alius gratia: Sic neq;, quod per ſe mouetur, ab alio moueatur. Atqui, ſi anima à ſenſilibus mouetur, ut utiq; mouetur, non ergo per ſe mouetur. Non eſt ergo per ſe mobilis. Opponit autem ei quidem, quod eſt per ſe, illud, Per aliud: propter ſe autem illud, Alterius gratia. Accepta eſt autem ab eo prima quidem oppoſitio ex differentia efficientium cauſarum. Secunda autem ex differentia finalium. Quemadmodum per ſe quidem dicimur uiſum habere: eum ergo nunquam nobis per aliud habere uſu ueniet. Ab ipſa enim natura effectiua eſt uidendi cauſa. Atqui diuitias non ipſi habemus, ſed per aliud: per mercaturam: uel agriculturam: uel tale quid. Rurſus, quæ in dolio eſt, aqua, uel glacies habet quidem per ſe frigidum: ſed talem certe figuram propter dolium. Similiter & in eo, quod eſt propter ſe, & alius gratia. Virtutem enim propter ſe exercemus, & non alius gratia. & ſi enim nulla ſit uirtutis merces, nec retributio, ea per ſe exercenda eſt. Vires autem non propter ſe habemus, ſed propter corpus. ea eſt enim eius perfectio. Animæ autem propter ſe eligenda eſt uirtus, Eius enim eſt perfectio. Quid ergo eſt quod per ſe eſt, & quod per aliud, & quid quod propter ſe eſt, & quod alius gratia, dictum eſt. Si quid autem propter ſe eſt, hoc omnino & per ſe: ſed non ſi quid per ſe eſt hoc omnino & propter ſe: ut propter ſe uirtus animæ: propterea & per ſe: Effectiua enim uirtutis cauſa in ipſa eſt anima. Neque enim externo aliquo opus habet ad perficiendam uirtutem: ſed in ſe ipſa effectiuam cauſam habet. Similiter & corpori propter ſe ſanitas bonū eſt: propterea ergo & per ſe ei eſt ſanitas. Intus enim habet effectiuam ſanitatis cauſam. Secundum naturam enim eſt eſſe ſanum. Atqui, quod ſecundum ſe eſt, non omnino & propter ſe. Videre enim animæ per ſe ineſt: ſed nō propter ſe: ſed propter uirtutē, uel ut ſeruetur. Similiter ſiquid quidem eſt per aliud, hoc omnino & alterius eſt gratia. Non ſi quid au

tem alius

tem alius eſt gratia, hoc omnino & per aliud. Per aliud enim diuitiæ: mercatura: uel quid tale: propterea & alius gratia nempe uirtutis. Atqui uidere, uel ſanum eſſe alius quidem gratia: ſed non itidem & per aliud: ſed per ſe. Oppoſitis ergo eo quidem, quod eſt per ſe, ei, quod eſt per aliud, ei autem, quod eſt propter ſe, id quod eſt alterius gratia, contingit id, quod per ſe eſt, per, aliud eſſe per accidens. Lapidi enim per ſe deorſum ferri: & deorſum etiam feratur ſecundũ accidens per aliud. Auulſo enim fundamento, deorſum feruntur, quæ ab eo ſuſtinentur, per aliud, per eum nempe qui auellit: ſed per accidens deorſum per aliud delatum eſt. Cùm is enim euelliſſet, hoc locũ inueniens ſecundum naturam delatum eſt. Dicatur autem & ſecũdum accidens per aliud latum eſſe, eum ſcilicet qui auellit. Similiter & ſanum eſſe corporibus per ſe ineſt: ſed & ſecundum accidens per aliud fuerit nempe medicum, qui quod moleſtum erat, exinaniuit: uel, ut ſemel dicam, quod incommodabat, abſtulit. Ipſe enim ea, quæ lædunt, prohibet: natura autem ab eo, quod turbam & moleſtiam dabat, liberata, eam, quæ ſecundum naturam eſt, ſanitatẽ operatur. Sunt enim naturæ morborum medicæ. Quemadmodum enim corpori ſanum eſſe propter ſe eſt optandum, & ſi nihil aliud ex ſanitate accedat: & quod propter ſe eſt, ut dicebam, fiat quoq; ſecundum accidens alterius gratia. Virtus enim, quæ propter ſe eſt eligẽda, fiat per accidens alterius gratia. Eam enim ſequitur gloria. Et dixerit quiſpiam uirtutem eſſe propter gloriam, ſed non per ſe: ſed per accidens. Similiter & ſanitatem, quæ corpori per ſe eſt expetenda, dixerit quiſpiam alterius quoq; eſſe per accidens gratia, ut hæc, uel illa faciat. Non enim propterea ſanum eſſe expetendum eſt, quoniam ad agendum corpus aptum efficiat: ſed hoc ſanum eſſe conſequitur. Per accidens ergo alterius gratia ſanitas, ut aliquid faciat. Cùm hæc ergo ita ſe habeant, & anima quoq;, ſi per ſe mouetur, per aliud non moueatur, niſi per accidens. Si autem per aliud mouetur, per ſenſilia inquam, non fuerit hic motus per ſe: quod uolunt, qui eam ponunt eſſe per ſe mobilem.

At qui ſi & ipſa ſeipſam mouet, et ipſa quo
que moueatur. Quare, ſi omnis motus eius
eſt, quod mouetur, quatenus mouetur: ani-
ma quoq; à ſubſtantia excedat, niſi per acci-
dens ſeipſam mouet. Sed motus eſt ipſius per
44 ſe ſubſtantiæ. Nonnulli autẽ animam quoq;
corpus, in quo eſt, mouere dicunt, vt ipſa mo
uetur, ſicut Democritus ſimiliter dicit ac
Philippus comœdiarum magiſter. Ait enim
Dædalum ligneam feciſſe venerem, quæ mo-
ueretur, infuſo argento viuo. Similiter autem
& Democritus dicit. Indiuiſibiles enim glo-
bos moueri ait, eo quòd ex natura ſua nun-
quam poſsint manere: Vniuerſum autem cor
pus ſimul attrahere, & mouere.

Iam diximus, quòd aduerſus per ſe mobilitatem per hæc inſtat. & hoc quoq; argumentum ad idem. Hoc eſt autem quod dicit. Si per ſe mobilis eſt anima, neceſſe eſt ut ipſa ſit quæ moueat: ipſa quæ moueatur: & non ſecundum quidem aliud moueat: ſecundum aliud uero moueatur; mouet autem ut anima, ut anima ergo mouebitur. Omne autẽ quod mouetur, ab eo excedit, quatenus mouetur. Et anima ergo, quæ quatenus anima eſt, mouetur, ab eo, quod eſt animam eſſe, excedit. Quod enim ſecundum locum mouetur, ex loco excedit, à quo mouetur. Similiter &, quod ſecundum quantitatem, & qualitatem mouetur Vnumquodq; enim, quatenus mouetur, ab eo excedit. Et anima ergo, ſi quatenus anima eſt, & ſecundum ſubſtantiam mouetur, à ſua ipſius ſubſtantia excedet, & corrumpetur. Omnino enim neceſſe eſt eos, qui incorpoream animam dicunt, & per ſe mobilem, motum accipere ſecundum ſubſtantiam. Cùm enim quatuor ſint mutationes, ut ſæpe dictum eſt, ſecundum ſubſtantiã, ſecundum quantitatem, ſecundum qualitatem, ſecũdum locum: ſi ſecundum locum quidem, uel ſecundum quantitatem mutatur anima, clarum eſt, quòd erit corpus. Corporum enim eſt quantitas, & locus. Nihilo minus autem &, quæ ſecundum qualitatem fit, mutatio corporum eſt: ut iam diximus quidem ſecundum paſsiuas qualitates eſt mutatio: ipſæ autem ſunt ſenſiles: quod autem ſecundum aliquid ſenſile mutatur, corpus eſt. Si itaque animæ mutatio, ſiue motus, neque ſecundum quantitatẽ, neque ſecundum qualitatem, neq; ſecundum locum fit, eo, quòd eſt incorporea: reſtat ergo, ut ſit ſecundum ſubſtantiam. Alioqui & ipſam per ſe ſubſtantiam dicunt eſſe ipſum per ſe mobile. Quod autem ſecundum ſubſtantiam mouetur, idem eſt autem dicere, mutatur, corrumpitur. Corrumpetur ergo anima quoq;, dum mouetur. Et aliter. Neceſſe eſt mutationem & motum animæ ſecundum ſubſtantiam ipſam eos dicere. Si enim mouet anima ſecundum qualitatem, uel aliquid aliorum: eius autem ſubſtantia neque in quantitate, neque in qualitate, neque in loco eſt: quicquid enim in eis eſt, corpus eſt: non ergo ſeipſam mouet. Nunc autẽ eam dicũt eſſe per ſe mobilẽ. Illud autẽ, Niſi ſecũdum accidens moueatur, id eſt, niſi quòd aliud moueat, dico autem corpus, in quo eſt, ipſa ſeipſam dicatur mouere. Hoc enim & ipſe ponit. Si ergo non ſic, ſed in ipſa eius ſubſtantia conſideratur motus, à ſeipſa exceſſerit. Fieri autem poteſt ut & illud, Niſi ſecundum accidẽs, ſic quoq; intelligatur pro eo quod eſt, niſi ſecundum quid eorum, quæ illi accidunt, ſeipſam mouet: ut ſecundum locum, uel qualitatem: uel quantitatem. Si autem ſecundum eorum aliquid ſeipſam mouet: hoc quidem uel maximè fieri non poteſt iis, qui eam incorpoream eſſe dicunt. Deinde per ſe mobilis non fuerit. Neq; enim eſt quantum, uel quale anima. Quare mouet quidem anima. Ab ea autẽ mouetur quantum, uel quale. Sicut enim natura, quæ ſecundum quantitatem corpus mouet, neq; ipſa mouetur: non enim eſt quantum: neque corpus, quatenus eſt corpus, mouet: ſed corporis ſolum quantitatem mouet. Manet enim & naturæ & corporis eadem ratio. ſed non amplius itidem & quantitatis. Sic ergo & ſi anima ſecundum eorum quidpiam mouetur, nõ ipſa ſeipſam mouet. Sed erit in ea hoc quidem quod mouet: illud uerò, quod mouetur. nõ eſt ergo per ſe mobilis. Si autem, quatenus eſt anima, ſecundum id motum habet, adeò ut idem ſit &, quod mouet, & quod mouetur: Omnis autem motus ab eo exceſſus eſt, quatenus mouetur. animam ergo neceſſe eſt dum mouetur, à ſeipſa excedere, & corrumpi. Quòd autem, quod eius eſt per ſe mobile, de eius ſubſtantia prædicant, ut ſecundum hoc ipſum moueatur anima, quatenus eſt ſubſtantia, apertè Plato in phædro declarat. Cùm enim dixiſſet omnem animam immortalem, Quod enim per ſe mobile eſt immortale, infert paulopoſt, Cùm autem immortale apparuerit, quod à ſeipſo mouetur, animæ ſubſtantiam & rationem hanc qui dicit, non eſt, quòd erubeſcat. Aperte ergo animæ ſubſtantiam & definitionem eſſe dicit, quod per ſe eſt mobile. Recte ergo affirmauit Ariſtoteles, quòd ſi ſecundum ſubſtantiam motueur, à ſeipſa excedet, & corrumpetur. Sæpe autem diximus omnem actionem à Platone motum uocari: eumq; animam per ſe mobilem eſſe dicere, ueluti per ſe agentem & operantem, quod in nullo naturalium uidemus.

Natura enim uel facultas mouet: ea autem mouentur, quæ ſunt eis ſubiecta.

Nonnulli

Nonnulli autem animam quoque corpus, in quo eſt, mouere dicunt, ut ipſa mouetur.

*Quando quidem ijs, qui dicunt animam, eo, quòd moueatur, corpus quoq; mouere truſione & ueluti uecte quodam, ſuperius oſtendit quid abſurdi ſequatur, quòd eo dato ſuſcitari poſſent mortua animalia: ne; quis eum exiſtimaret illos calumniari, quòd animam truſione aliqua corpus mouere dicerent, cùm hoc tamen non dicerent, adijcit eorum opiniones, quòd &, qui atomos dicunt, ſic dicebant: Democritus: Leucippus: Epicurus: præterea & Plato, ut deinceps dicet. Dicebant enim, inquit, orbiculatas atomos, cùm ſint facile mobiles, una ſecum corpus mouere. Idem, inquit, dicentes, quod Philippus comicus: qui dicebat Dædalum feciſſe ligneam Venerem, quæ mouebatur. Factis enim in ſtatua quibuſdam cõcauitatibus infudit Dædalus argentum niuum: ut motum argentum niuum (eſt enim ualde mobile) & aſsidue uolutum, & ſua ipſius truſione mouens ſtatuã, ex eo apparere faciat quòd moueatur Veneris ſtatua. Valde autem ſuccinctè & aptè Democrito occurrit dicens.*

Nos autem interrogabimus, an & quietem hoc ipſum facit? Quomodo autem hoc faciet, dictu difficile, vel potius dici non poteſt.

*Valde coherenter. Quoniam cernuntur animalia nõ ſolum moueri, ſed & quieſcere, quæ, inquit, eſt quietis cauſa? Neque enim fieri poteſt, ut ex eorum ſententia quis animo comprehendat, quæ ſit quietis cauſa. Si enim mouet animal, & ad quietem ducit anima, ut operatio declarat: eo autem, quòd moueantur orbiculata inſectilia, mouetur anima: ſunt autem ea ſecundum ipſum ſemper mobilia: quænam erit quietis cauſa?*

Omnino autem non ſic uidetur anima mouere animal: ſed per electionem quãdam, & mentis agitationem.

*Validiſsima confutatio. Præter rerum enim euidentiam ea ſunt, quæ ab illis dicuntur. Non enim uidemus animam ui quadam & protruſione corpora mouere, ſed ſola uoluntate. Cum primum enim uoluerit, & moueri & quieſcere facit animalia.*

45 Eodem autem modo & Timæus naturaliter diſſerit animam corpus mouere. Eo enim, quòd moueatur ipſa corpus quoq; mouere, propterea quòd ei contexta ſit: vt pote quæ conſtet ex elementis, & ſecundum Harmonicos numeros diuiſa ſit.

*Cùm dixiſſet nonnullos dicere animam corpus mouere, ut ipſa mouetur: Deinde Democriti opinionem addidiſſet, eamq; ſtrictim confutaſſet quòd ſit præter ea, quæ ſunt manifeſta & apparentia: deinceps Platonis in Timæo opinionem ponit, quæ eſt ſimilis, Quòd quo motu uniuerſi anima mouetur, eo & uniuerſi corpus, in quo contingit mouere. Eam ergo opinionem, ut quæ cum Democriti opinione communicet, ſtatim poſt illam poſuit. Quatenus enim utrique animæ motu una etiam corpus moueri dicũt, hoc inter ſe commune habent: Diſferunt autem, quòd Democritus quidem, tanquam in uaſe, animam includit: Timæus uerò eam contextam & connexam corpori eſſe ait, tanquam in catena. Operæpretiũ eſt autem Timæi primum de anima opinionem exponere. Is ergo dicit in generatione animæ, quòd Deus acceptam Subſtantiam, & Identitatem, & Alteritatem, quæ ſunt omnium rerum elemẽta, ſubſtantiam autem non quamlibet, ſed quæ media eſt inter indiuiſibilem & quæ ſemper ſemper ſecundum eadem, & eodem modo ſe habet, & eam, quæ circa corpora eſt, diuiſibilem: hanc ergo ſubſtantiam, & identitatem, & alteritatem commixtam & temperatam, inquit, extendit, & rectã fecit. Deinde hanc rectam in Harmonicos numeros diſsecuit. Dico autem in unitatem: dualitatem: trinitatem: quaternionem: nouenarium & octonarium: uiceſsimum ſeptimum numerum. Eam autem rectam in duas rectas diffidit. Deinde cùm has duas rectas obſcurè inuicem commiſiſſet, confregit: & duos circulos fecit: hunc quidem maiorem: illum uerò minorem: hunc quidem exterius: illum autem interius in duobus ſignis inuicem commiſſos. Et exteriorem quidem circulum ad dexteras: interiorẽ uerò ad ſiniſtras partes mouit. Et exteriorem quidem circulum nominauit, Eiuſdem: Interiorem autem, Alterius. Et exteriorem quidem circulum unum & inſiſsilem dimiſit. Interiorem autem cùm ſeptupliciter fidiſſet, ſeptem circulos inæquales fecit dupla & tripla ratione ſe inuicem ſuperantes. Et tres quidem celeritate motus æquales: reliquos autem quatuor, & inuicem, & tribus motu inæquales: & hoc, inquit, eſt uniuerſi anima. Deinde poſtea ait. Vniuerſum, quod mundi eſt, corporeum intus incluſit: et cum animam apte compoſuiſſet, medio uſq; ad ultimum cœlum formauit: idque totum circulo exterius operuit. Hæc illa ergo ſunt quæ Timæus eſſe dicit: eiſque contradicere aggreditur Ariſtoteles, idem faciens, ut ſi quis poëticis fabulis contradicat, ut quæ rerum naturæ non congruant. Vt enim dicit Plato, iis, qui ſecundum id, quod apparet, poëticas fabulas accipiunt, nihil magis uideatur ridiculum: ſicut eis, qui occultam & arcanam in eis intelligentiam quærunt, nihil diuinius. Sed ut ſolet Ariſtoteles, hic quoq; id, quod apparet, refellit, ne quis dum, quæ per hæc ænigmata ſignificantur, intelligere non poteſt, ad id, quod apparet, uſque ſiſtat. Quòd enim per ſymbola docebãt Pythagorei, clarum eſt: & nos ſæpe diximus. Vnde & moralia eorum præcepta talia ſunt. Super menſurã ne ambula. In uia ne ſcinde ligna. Ignem enſe ne fodi. Staterem ne tranſilias. Ad ſacrum uadens ne retro reſpexeris: quod ſignificat eos, qui ſacris operantur, non debere ad ea, quæ hic ſunt, conuerti. Staterem autem ne tranſilias, æqualitatem non tranſilire. Ignem autem enſe ne fodi, pro eo quod eſt, Iracundum uerbis ne laceſſe. In uia lignum non findere, pro eo quod eſt, In uia uirtutis, & ſeparatam exercens uitam, naturale animæ, & corporis uinculum ne diſſolue, animali corrupto. Super menſuram autem ne ambula, pro eo quod eſt, Quod iuſtum eſt per arrogantiam, & ſuperbiam ne occultaueris. Hoc autem faciebant exiſtimantes non oportere ſuam ſapientiam indignis apertam eſſe. Vnde & diſcipulis præcipiebant quinque annis tacere, & ſuos primum mores componere: & ſua eis dogmata prius nõ cõmunicabant, quàm poſtquam quinquẽnio mores ſuos correxiſſent, & ſe eis dignos oſtendiſſent. Et hæc quidem, quæ ſymbolicè dicta ſunt, per eam, quæ eſt ſecundum id, quod apparet, abſurditatem, inducunt nos ad quærendam, quæ in eis occultata eſt, ueritatem. Neque enim fabulas narrare oportere cenſebant, ut poëtæ, propter adoleſcentum detrimentum, qui, quod intelligitur, comprehendere non poſſunt: neq; ſua dogmata nudè & apertè tradere. Et propterea ſymbolicam hanc doctrinam tradebant, per id, quod eſt præter rationem, ad cœlatæ ueritatis inquiſitionem excitantes. Primum enim quomodo recta finditur, cùm ſit longitudo ſine latitudine? Quomodo autem omnino diſſecta in Harmonicos numeros, ut quæ una ſit ſecundum longitudinem, uel finditur, uel in circulos circumagitur? Quomodo autem*

recta

rectà ſit circulus? Neq; enim circulus recta fieri poßit: neq; recta circulus. Diſsimilium enim ſunt generum magnitudines. Quomodo autem circulorũ unus quidem maior factus eſt, qui eſt exterius, cum rectæ neq; quicquã acceſſerit, neq; ab ea ablatum ſit? Quomodo autem omnino, ſi hi circuli animæ ſunt, intra quos incluſum eſt quicquid eſt incorporeum, aptè ex medio compoſiti uniuerſo connexi ſunt uſque ad ultimum cœlum, idq; totum exterius operuerunt? Per hæc ergo & plura alia, ſcilicet, illi quædam alia obſcurè ſignificabant. Si enim Mathematum cognitionis maximam in primis curam gerebant Pythagorei: erat autem Pythagoreus Plato: ante cuius ſcholæ fores inſcriptum erat: Qui Geometriæ imperitus eſt ne introeat: nemo autem, qui uel ſummo digito Geometriam attigerit, tale quid dicere ſuſtinuerit: quis adeò ineptus eſt, ut Platonem dicere exiſtimet ſecundum id, quòd apparet? Non inſcitum autem fortaſſe fuerit ſuccintè in paucis ſymbolis eius ſententiam explicare. Vniuerſi itaque anima uita eſt, & uita intellectiua. Quòd enim uita eſt ſimpliciter omnis anima, manifeſtum eſt, quòd, quibus infuerit, eoipſo, quòd ſit, uitam præbet. Quomodo enim daret, quod non haberet? Vniuerſi autem & intellectiua quoque eſt, Fecit enim, inquit, mundum animal animatum, & mente præditum. Volens itaque Timeus &, quod eius eſt uitale, & quod intellectiuum ſignificare, rectam accipit, & circulum. Circulum quidem intellectiuæ operationis ſymbolum. In ſeipſum enim conuertitur circulus: & à ſeipſo incipit, & in ſeipſum deſinit. Sicut & mens ad ſeipſam conuertitur: & ipſa ſeipſam contemplatur. Rectam autem uitæ ſymbolum. Eſt enim uita proceſſus quidam, & ueluti fluxus ab aliquo ad aliquid: ab ea, quæ uiuificat ad id, quod uiuificatur. Talis autem eſt & recta. Habet enim id, quod eſt unde, quo: à principio ad finẽ. Propterea ergo & rectam eſſe, & circulum eſſe ponit, declarans uitam eſſe, & intellectiuam. Ante hæc autem, cur, eum unam rectam feciſſet, eã in duo findit? Quid enim à principio prohibebat illinc ex eo temperamento duas rectas facere? Rurſus ergo dico, quòd intelligibilia quidem, & diuina, & quæ ſuper animam ſunt, ut ipſe inquit Plato, ſunt indiuiſibilia, & ſemper ſecundum eadem, & eodem modo ſe habentia, conſtantem adepta ſubſtantiam, facultatem, operationem, & ad omnem corporis naturam habitudine & relatione carentia, ſecundum unitatem figurantur. Naturales autem, ut dixit, uitæ circa corpora diſperguntur, & ſecundum omnem uerſæ ſubſtantiam, facultatem, operationẽ, figurantur ſecundum dualitatem: Ante multitudinem enim. Rationales autem animæ, ut quæ ſint intellectiuæ, & immutabiles, ſecundum ſubſtantiam, & quæ ab omni corpore ſeparabiles habent operationes, ea quidem ratione & ipſæ in unitate ſunt: ſed quatenus ad corpus habitudinem & relationem cœperunt, eiuſque curam & prouidentiam gerunt, ea etiã ratione ſunt ante multitudinem, & dualitatem. Propterea enim unitatem & dualitatem illam facit, eius operationem, quæ ad corpus nullam habet relationem, & eas, quæ in corporis habitudine conſiderantur, oſtendens. Eam autem diſsecat in aliquos numeros, non quoslibet, ſed qui poßint & Geometricam, & Harmonicam, & Arithmeticam proportionem facere. Quorum ſecundum primam quidem diuiſionem eos accepit, quos exponebam, numeros. Qui quidem compoſiti per ſeriem quidem pares 2 4 8 per ſeriem autem impares 1 3 9 27 faciunt proportionem Geometricam. Vt enim ſe habet primus ad ſecundum, & hic ad tertium. Secũdum aliam autem diuiſionem numeros accipit, qui poſſunt & Muſicam, & Arithemicam proportionẽ facere. Qui autem de his exactius ſcire uoluerit Alexandri cõmentarios legat. Cur ergo in eos rectam diuidit? Hoc ergo & ad uniuerſi animam, & ad noſtram quoq; poſſumus accipere. Habetur enim oratio tanquam de anima uniuerſi: conuenit autem etiam noſtræ. In Vniuerſi ergo anima, ut numeroſè moueatur, & uniuerſum ſimiliter moueat: In noſtra autem, quòd & ipſa numeroſam & Harmonicam naturam habet: Harmoniam enim quandam habet erga iram, & cupiditatem: & ut numeroſi & Harmonici cœlorum motus & concentus cognitiuam facultatem habeat: ad hæc autem & Mathematicæ huius Harmoniæ, muſicæ dico, & reliquarum. Quare illic quidem effectiuam Harmoniæ facultatem accepimus, ſimul & cognitiuam: Hic uerò ſolùm cognitiuam. Rectam autẽ in duas diuidit, & interſecanter coniunctas in duos circulos inflectit: & exteriorem quidem maiorem facit: interiorem autem minorem dupliciter commiſſos. Et maiorem quidem ad dextram mouet, eum Eiuſdem nominans. Alterũ autem ad ſiniſtram mouet, appellans Alterius. Quid ergo ſibi uult, quòd rectam in duas fiderit, iam prius diximus. Eas autem interſecanter inuicem cõmittit. Axes enim primi mobilis, & cœli errantis ſic ſunt commißi, & cõpacti. Primum enim mobile circa polos æquinoctialis mouetur. Errantes autem ſeu planetæ circa polos Zodiaci. Hi autem ſe inuicem interſecant. Quare & eorum axes ſibi interſecanter inuicem incumbunt. Quòd autem non circa Eoſdem polos mouentur errantes, & primum mobile, ex hoc manifeſtum eſt, quòd errantes ſecundũ latitudinem moueri uidentur, tum & ad boream & auſtrum magis uergunt. Vnde fit hiems & æſtas, ſolis ad auſtrales partes & boreales tranſitu. Si enim errantes circa eoſdem cũ primo mobili polos mouerentur, non ſecundum latitudinem diſtantiam facerent. Has ergo duas rectas in circulos confregit. Duo autem ei circuli idem ſignificant, quòd duæ lineæ rectæ. Duplices enim ſunt animæ facultates. Hæ quidem erectiuæ, per quas ad diuina ſurſum attollitur: Illæ uerò generatiuæ, per quas ad ea, quæ hic ſunt, conuertitur. Eas autem duo circuli obſcurè ſignificant: ſicut & alibi meliorem, & deteriorem equum uocauit. Et exterior quidem circulus erectiuam facultatem ſignificat: interior autem generatiuam. Meliorem autẽ Eiuſdem nominauit: Alterius autem deteriorem: quòd diuina quidem in unione ſunt & identitate, ut quæ prope unum ſint: Quæ autem in generatione, & diſcretione, ut quæ ſint à primo longius. Adhuc autem coherentius ei declarant hi circuli animæ quoque motus, quibus mouentur cœleſtia. Et Eiuſdem quidem circulus primum mobile: Alterius autem errantes. Quos & dupliciter committit, ſignificans Zodiacum & Aequinoctialem. Hi enim coniunguntur Ariete & Libra. Ad dextram autem partem ait moueri primum mobile: eo, quòd dextera pars ſit motus principium. Principium autem motus, qui ab oriente fit errantibus, illa eſt, Quam ob cauſam & pondera in ſiniſtros humeros imponimus: ut ſolutiores ſint dextræ partes, à quibus motus incipit, & quæ motui præſunt: præſunt autem, ut quæ agilitatem, & alacritatem magis habeant. Agilitatem autem & alacritatem magis habent, ut quæ ſint calidiores. Calidiores autem, quoniam iecur ſanguinis officina in eis collocatur. Primum ergo naturali, uidelicet, calore fruuntur. Ad ſiniſtram autem Alterius circulum mouet, ſignificans eum, qui ab oriente procedit, errantium motum. Sic autem & poeta ait.

Ad ſolem atq; auroram uadant, inq; ſiniſtras
Partes, uel dextras, ubi in aëre terra caligo.

Vocat autem Eiuſdem primum mobile, ut quod unum ſit, & æquatum, & ſemper eodem modo ſe habens. Alterius autem reliquum, ut quod neq; unum ſit, ſed uarium: & neq; æquatũ, ſed inequale & diſpar. Errantiũ enim motus & ad ſe inuicem, & ad ſeipſas inequales ſunt. Findit autem alterius circulum in ſeptem ſecundum talem proportionem & conuenientiam,

quam

quam inter ſe habent errantes. Secundum eas enim in rationes ſindit, ſecundum quas earum interualla & motus ſunt adinuicem. Quomodo ergo hæc in noſtra anima cõuenient? Clarum eſt, quòd ſecundum rationem, quam in Harmonicis numeris diximus. Vniuerſi enim anima eorum effectiuas habet facultates, & exemplares. Noſtra uerò cognitiuas, & imaginarias. Habet enim facultatem cognitiuam, per quam cognoſcit & motuum rationes, & eorum conuenientias, & differentias. Scripſerunt enim nõnulli eorum ad ſe motuum inuicem rationem: quam unuſquiſq; motus rationem habeat ad unumquenq; reliquorum: & de uniuſcuiq; ad alterum conuenientia: & ſua in antiquum ſtatum reſtitutione: & præterea de omniũ ſimul, quam poſt multas annorum myriadas futuram eſſe dicunt. Futuram autem in tropicis, uel in cancro, uel in capricorno. Quo in loco cùm fuerint, uel incendium, uel diluuium fiat oportet. Intus autem comprehendit quicquid eſt mundi incorporeum: & eam ex medio compactam ad ultimum uſq; cœlum connectit: idque totum circulo circumtegit, ſignificans, quòd neque extra cœlum quicquam eſt: ſed intus omnia comprehenſa ſunt: & quòd nihil uitæ expers ſit: ſed ſunt res omnes eius, quæ ab uniuerſi anima conceditur, illuminationis participes uel obſcurius uel purius ſecundum ſuam menſuram unumquodq;. Et ipſa enim inanimata alicuius uitæ partem habent, per quam & facultates aliquas aſſecuta ſunt, uel calefacientia, uel refrigerantia, uel exiccantia, uel humectantia. Præterea autem & ea, quæ mouentur, uel ſecundum aliquas alias facultates & incredibiles operantur. Quorum alia quidem in multorum ſunt experientia: alia uerò multi recenſent, qui de ijs literis mandauere. Quemadmodum Magnes lapis attractiuam habet uim: Alius aqua quidem madefactus inflammatur, infuſo autem oleo extinguitur. Alius fœtuum in utero contentiuam habet poteſtatem: neq; pariũt animalia, quibus hic lapis eſt appoſitus, priuſquam ablatus fuerit. & infinita eiuſmodi alia, de quibus non eſt tempus dicere. Vnde ergo hæ facultates, ſi omni penitus uita inanimata carerent? Quid autem ſibi uult animæ connexio ad id, quod eſt mundi corporeum? Dico ergo, quòd cùm tres ſint mixtiones: ea, quæ fit per appoſitionẽ, per quã lapides inuicem ſunt coagmentati, ex quibus domus: ea, quæ fit per temperaturam, ut in uino, & aqua: ea quæ fit per connexionem, ut in funibus: quæ fit per appoſitionem nullum habet partium conſenſum: nullus enim fit eorum, quæ apponuntur, inuicem conſenſus. Quæ fit per temperaturam, eorum, quæ temperantur, confuſionem efficit. Quæ autem fit per connexionem, eſt quodammodo media, ut, quæ neq; id, quod eſt appoſitiõis, habeat, ut inuicem conſenſus ſit expers, neq; temperaturæ confuſionem. Inuicem enim committuntur, quæ connectuntur, ſecundum plures partes. Meritò ergo animæ ad corpus connexionem declarare cupiens non dixit miſcuit, uel contemperauit, ſed connexuit, uel contexuit. eo quòd, neq; eiuſdem eſt cum corpore ſubſtantiæ, ſicut ea quæ mouentur, quales ſunt naturales facultates, & formæ: neq; ab eo, qui erga ipſum eſt, conſenſu & reſpectu eſt omnino alienata, ut, quæ ſunt ſupramundana. Hæc ſunt ut ſummatim dicam, quæ in animæ generatione à Timæo declarantur. Reliquum eſt ut ipſam dictionem conſideremus. Eodem autem modo & Timæus Phyſice differit animam mouere corpus, eodem modo quo Democritus. Quemadmodum enim ille orbicularis motis inſectilibus ex quibus anima, cum eis quoq; corpus moueri dicebat: ſic & Timæus, cùm animam uniuerſi corporis contexuiſſet, ſic etiam ſecum uniuerſum una trahere: quemadmodum fabula Ixioni dicit uſu uenire, ut rotæ alligatus eodem, quo rota, motu agitetur. Timæum autem uocat, qui apud Platonem Timæus dicitur. Sic enim Platonis ſcripta conſueuit appellare. Vtpote quæ conſtet ex elementis: ſubſtantia: identitate: alteritate. Hæc enim ſunt rerum elementa apud Platonem. ſubſtantiam autem accipit in generatione animæ mediã ex indiuiſibili, & quæ ſemper ſecũdum eadem, & ſimiliter habeat, & ea, quæ circa corpora eſt, diuiſibili. Sic enim in dictione habent Timæi uerba. Ex indiuiſibili, & quæ ſemper ſecundum eadem habet ſubſtantia, & rurſus, quæ circa corpora fit, diuiſibili tertiam ex ambobus in medio contemperauit ſubſtantiæ formam. Ex Eiuſdẽ rurſus natura & Alterius. Indiuiſibilẽ igitur dicit, & eodem modo ſemper ſe habentem, intelligibilem ſubſtantiam. Circa corpora autem diuiſibilem, quæ in materia eſt, formã. eo, quòd cùm propria ratione ſit indiuiſibilis, poſtquam in materia fuerit, diuiditur, & dirimitur. Cùm una enim ſit humanæ formæ ratio, poſtquam tamen in materia fuerit, ſecundum partium differentias diſtinguitur. Quoniam ergo omnium cognitiua eſt anima: ſimile autem ſimili cognoſci oportet: eam ex rerum principijs conſtituunt: ut, cùm ex ambobus conſtituta & contemperata ſit: hæc quidem ſenſilia, illa uerò intelligibilia apprehendat. quando quidem ſenſilium quoq; cognitio non fit ſecundum, quod rerum eſt materiale & corporeum: ſed ſecundum uniuſcuiuſq; formam: & ſic fit ſubſtantiarum apprehenſiua. Quoniam autem ſunt &, quæ præter ſubſtantiam ſunt, quæ & ſubſtantiæ accidunt: ea autem ſunt, quæ præter ſubſtantiam genera ſunt: conſtituunt eam ex Eodem, & Altero. In ijs enim omnibus eſt quędã oppoſitio: hæc quidem melior: illa uerò deterior. ſicut in quantitate, moderatum & immoderatum: Quorum melius eſt moderatum. In qualitate bonum & malum. In prædicamento ad aliquid Dextrum, & ſiniſtrum. In prædicamento ubi, ſurſum, deorſum. In prædicamento quando, prius, & poſterius, & in reliquis ſimiliter. Et Pythagoræi in omnibus, quæ ſunt, duo elemẽta & principia capientes, alteram quidem partem meliorem & finitam faciunt: alteram autem deteriorem, & priuatiuam, & infinitam. Et quoniam in omnibus, quod melius quidem eſt, ſimplex eſt, & ipſum ſibi conſentiens: Quod autem deterius uarium, & ſibi diſſonãs & diſsidens: quod melius quidẽ eſt, ad Eiuſdẽ: quod deterius ad Alterius reducũt. ſicut bonum, & malum: illud quidem ſimplex, & ſibi conſentiens: hoc uerò uarium, & ſecum diſsidens. Similiter habet rectum & incuruum: aſperum & leue: æquatum & inæquatum: æquale & inæquale: ſanitas & morbus: & in omnibus ſimiliter. Propterea ergo quòd eorum habet cognitionem, accepit opifex ad eius temperamentum eiuſdem & alterius naturã. Sciendum quidem, quòd ſi quæ ſunt inter indiuiſibilem ſubſtantiam, & non ſecundum ſe quidem diuiſibilem, ſed circa corpora diuiſibilem (talem enim eſſe dicit animæ ſubſtantiam) eam inter duo incorporea eſſe dicit. Quod autẽ inter duo eſt incorporea & indiuiſibilia, eſt & ipſum incorporeum & indiuiſibile. Quæcunq; ergo tanquam de animæ dicuntur magnitudine, dicuntur ſymbolicè. Si enim circa corpora eſt diuiſibilis, non corpus. non enim corpus eſſe dicit, ſed circa corpora diuiſibilem. manifeſtum, quòd neque ſupra eam corpus. Si autem non eſt corpus, non eſt omnino magnitudo. neq; enim ſuperficies, neq; linea. Hæc enim propriam ſubſiſtentiam non habent: ſed eſſe ſuum habent in corpore. Clarũ eſt ergo, quòd hæc omnia ſymbolicè de anima accipit. Et Ariſtoteles aduerſus eos qui, quod apparet, dicunt, contendit.

Vt ſenſum, & congenitam Harmoniam habeat, & conuenientibus motibus vniuerſum, feratur, rectitudinem in circulum inflexit: & cùm ex vno circulo duos circulos dupliciter commiſſos diuiſiſſet, vnum rurſus in ſeptem circulos diuiſit, perinde ac cœli motus animæ quoq; motus ſint.

Dicunt

Dicunt nonnulli quoniam ea, quæ de uniuerſi anima dicuntur, in omni quoq; anima rationali conueniunt, tanquam de noſtra anima accipiendum eſt illud, Vt ſenſum & congenitam harmoniã habeat, eo quòd illa magis ſit harmoniæ effectiua, quam ſenſitiua. Id autem, quod ſequitur, de uniuerſi anima, Vt conuenientibus motibus uniuerſum feratur. Non eſt autẽ apta, & eorum, quæ dicuntur, ſcopo & intentioni conueniens eorũ interpretatio. In eodem enim utraq; ſtatuit. Fortaſſe ergo, ut harmoniæ, cuius uniuerſo cauſa eſt, ſenſum habeat: id eſt, ut non ſine ratione, ut natura facit: ſed cum ratione & cum ſenſu. Nunquid autem & irrationalia à natura inſitum habent, ut harmoniam exaudiant? non per fiſtulas ducuntur greges? nonne equi ex tuba magnos & feroces ad bellum ſpiritus cõcipiunt? Quomodo ergo hoc tanquam rationalis animæ proprium in generatione animæ tradidit, ſi non uniuerſi, ſed quidem certe noſtræ? Dico ergo, quòd & ſi natura eis datum ſit, ut audiant: Sed tamen ſimpliciter, ut qualemcunq; uocem, audiunt: & non utique iudicant, an numeroſa ſit, an non. Sed noſtræ eſt hoc animæ proprium. Si enim carmen audiuerit, inſiſtit, & iudicat an numeroſum ſit, an nõ. Notandũ eſt autem, quòd Timæus rectam quidem, quæ ex illo primum temperamento facta eſt, primum findit: Deinde in duos circulos inflectit. Ariſtoteles autem contra dicit, quòd rectam inflexit: deinde in duos circulos fidit. Hoc autem ad propoſitũ ei nihil conferebat. et propterea Timæi opinionis narratione indifferẽter uſus eſt, Perinde ac cœli motus ſint, animæ motus. Secundum id, quod apparet, uidetur dicere Timæus, quòd eodem, quo anima, motu cœleſtia quoq; feruntur cum ea circumacta: Sed non quòd cœli motus animæ ſunt motus; ſed ut dixit, eorum ipſa cauſa eſt. Si itaq; Secundum præpoſitionem addamus, aperta fiet dictio. Perinde ac cœli motus ſecundum animæ quoq; motus ſint. Et alioqui in cœleſtibus ab animabus corpora dependent, & ipſa quidem ad eas conuerſa ſunt, ipſæ autem non conuelluntur ad corpora, ut noſtræ. Quoniam ergo animale plus in eis poteſt, quàm corporeum: & corpora principiorum ſunt: cœli motus dicit eſſe animæ motus. Vel ſecundum id, quod apparet, ita eſt accipiendum, quòd cœli motus animæ motus ſunt. Eo enim, quòd mouetur, cœlum mouet. Vt ſi de animali intra cerã incluſo, &, eo quòd mouetur, cerã mouẽre dicat, quòd ceræ motus incluſi animalis motus ſunt.

46 Primum ergo non rectè dici poteſt animã eſſe magnitudinem.

Hinc Timæi opinionẽ aggreditur refellere, & ualidiſsimis rationibus utitur, oſtendens animam non eſſe magnitudinem. Quòd itaq; & Plato ubiq; eam incorpoream, & magnitudinis expertem dicit, clarum eſt. Sed & ex ijs quoq;, quæ hic dicũtur, quamuis ſint ænigmata, hoc inuenire licet. Si enim, ut dicebam, dicit eius ſubſtantiam eſſe inter indiuiſibilem, & eam, quæ eſt circa corpora, diuiſibilem: omnino neceſſe eſt id, quod inter duo eſt incorporea, ſiue ex duobus incorporeis, et ipſum quoq; eſſe incorporeum. Deinde ſi corpus eam dicebat, quomodo poterat & ipſam corpus exiſtens intra ſe ipſum mundi corpus accipere, & idipſum rurſus ex medio compactum ultimo cœlo connexum eſſe? Et alioqui illud, mundi corporeum dicere, ſecundum contrapoſitam diſtinctionem, ſi quidem mundanus eſt, incorpoream eam oſtendit. Sed nunquid lineam uel ſuperficiem eam dixit? Et quòd non lineam dixerit ex hoc manifeſtum eſt, quòd uniuerſum cœlum circuntexiſſe dicit. Sed neq; ſuperficiem. Quomodo enim poterat, ſi eſſet ſuperficies, ex medio conuexa deinde ad ultimum uſque cœlum connecti, idq; uniuerſum exterius circumtegere? Quare neq; eam lineã eſſe dixerit, neq; ſuperficiem? Quòd enim ad ſupremum omnis mathematicæ ſcientiæ, geometriæ, arithmetricæ, muſicæ, & aſtronomiæ habitum Timæus peruenerat, ex his ipſis dictis in prõptu eſt cognoſcere. Non itaq; exiſtimauerit, ſi ea linea uel ſuperficies eſſet, ea poſſe facere, quæ dicit. Quare ſi neque lineam, neq; ſuperficiem, neq; corpus animam eſſe dicit, non eſt ergo magnitudo. In eis enim eſt magnitudo. Et quòd Ariſtotelis aduerſus eos contradictio interpretatio potius eſt, quàm contradictio: & quòd ipſe ſciebat Ariſtoteles eos non ſic ſecundum, quod apparet, accipere, ex ijs manifeſtum eſt, quæ ipſe dicit Ariſtoteles. In ipſa autem dictione his inſiſtemus, ne bis eadem cogamur dicere.

Vniuerſi enim animam talem eſſe volunt, cuiuſmodi eſt, quod mẽs appellatur: nõ enim cuiuſmodi ſenſitiua, vel appetitiua. eorũ enim motus non eſt in circulum circumactio.

Dicere, inquit, quamlibet animam magnitudinem eſſe, abſurdum? multo autem magis & mentem. Quòd enim illi dicẽtes circulos illos eſſe mundi animam, non quamlibet animam dicebant, ut uerbi gratia, nutriuam, animoſam ſeu iraſcibilem, deſyderatiuam, ſed rationalem & intellectiuam, ex eo manifeſtum eſt, quòd eam circulo moueri dicunt. Circulo autem moueri de ſola rationali anima dici conuenit. Ea enim eſt, quæ ad ſe ipſam conuertitur, & circulum imitatur. Senſitiua enim, uel animoſa ſeu iraſcibilis, uel deſyderatiua non ſecundum circulum motum habent: Rectæ enim ſunt. Et uiſus enim ex oculis rectà emittuntur: & in reuerberationibus recurrentes rectà reflectuntur. Ira autem & cupiditas proceſſus quidam ſunt, qui rectas imitantur, et non in orbem mouentur. Quæ operationes è domo proferentes circa corpus eas habent inconuertibiliter. Neque enim, quod agunt, inquirunt, uel ſentiunt: neq; ipſæ ſe ipſas poſſunt omnino cognoſcere. Quare rectus eſt earum motus. Rationalis autem animæ motus circulus quidam eſſe uidetur, quòd & operatur, & quærit, & ipſa ſeipſam noſcit, ipſa circa ſeipſam quærens & inueniens. Hoc autem circuli proprium eſt à ſeipſo in ſeipſum conuerti. Et aliter. Senſus, & ira, & cupiditas ad ſalutem animalibus auxilio indigentibus datæ ſunt. Præterea ipſe progrediens dicit has facultates, cùm ſint mortales, à ſecundis dijs immortali animæ parti adtexi, quã primus ipſe deus fabricat. Et aliter. Cupiditas, & ut ſemel dicam, appetitus deſyderium eius eſt, quod deeſt, & non præſens eſt. Mundus autẽ, qui omnia in ſe ipſo continet, cùm nihil extra ſit, non appetit. Ergo ei non fuerit ira & cupiditas. Quare, qui mentem dicunt uniuerſi eſſe animam, deinde & eam magnitudinem eſſe ſtatuunt, abſurdiſsimè fecerint. Et in ipſo quidem contextu ait, deum feciſſe mundum animal animatum, & mente præditum. Contentus porrò fuit ipſe hoc ſolo ſigno, quòd mentem dicant, quòd circulo eam moueri dixerint. Ei ergo dicamus: ſcisset ipſe, quòd propterea circularem motum acceperis, quòd talis eſt mentis quoq; operatio. Non ergo magnitudinem dicunt: ſed ſymbolicè mentẽ per circulos obſcure ſignificant. Si eam animæ operationem, quæ cum irrationalibus fit facultatibus, rectitudinẽ dicis: circulum autem mentis ſymbolice, & ſecundum analogiam ſiue conuenientiam: manifeſtum eſt, quòd & in Timæo circulos, & reliqua ſecũdum analogiam excipiemus ſymbolice, & non tanquam exiſtat anima magnitudo. Aperte ergo & ipſe nouit ſecundum quẽ intellectũ hæc dicebat: & confutationes non aduerſus illos ſunt, ſed aduerſus eos, qui malè, quod apparet, accipiũt.

Intellectus autem vnus, & continuus vt intelligentia: Intelligentia autem ea, quæ ſunt in tellectu, vel mente agitata. Ea autẽ eo, quòd per ſeriem ſint, vnum, vt numerus: ſed non vt magnitudo. Quare neq; ſic eſt continuus intellectus. 47

Ad contrarium opinionem deducit, Quemadmodũ enim ſuperius

*perius ad hoc, quòd omnium anima moueretur, oſtendit, quòd non ſolũ nõ eſt per ſe mobilis: ſed ne omnino quidẽ mouetur: ſic & hoc in loco aduerſus magnitudinem reſiſtens (clarum autem eſt quòd omnis magnitudo eſt cõtinua) tantum, inquit, abeſt, ut continuum mentem eſſe dicam, ut eam eſſe diſcretum rationabilius dixerim. Si autem eam omnino continuam dicere oportet: ita erit continua, ut diſcretum quantũ ſe habet ad cõtinuitatem. Ita autem habet continuũ, quòd per ſeriem ſiti ſunt inuicẽ numeri, & nihil alienũ in medio interiectũ ſit. Cùm enim unitas, dualitas, & reliqui numeri deinceps, & per ſeriẽ ſiti ſunt, nihil alienum intercedit. Et propterea cõtinui ſunt inuicem numeri, quòd deinceps, & per ordinem ſunt inter ſe collocati. Si itaq; mentem continuam dicere oportet; ſic eam dicere oportet: ut numerum; non magnitudinem, ut illi dicunt. Hoc autem confirmat ex iis, quæ naturæ ſunt poſteriora, nobis autem apertiora. Sic, inquit, continuum habet intellectus ut intelligentia. Intelligentia autẽ ſic habet cõtinuũ. ut ea, quæ ſunt intellectu uel mente agitata. Quæ autem ſunt mente cogitata continuũ habẽt, ut numerus, quòd per ſeriem. Per ſeriem autem, inter quæ nihil non cognatũ intercedit: Sic habet & numerus: poſt unitatẽ deinceps dualitas: deinde trinitas: & quaternio: & nihil intercedit. Tales autem & immediatæ propoſitiones. Prima enim, & deinceps alia, & nihil intercedit. Continuum ergo in iis eſt, eo quòd deinceps, & per ſeriẽ ſint: & non ut in magnitudinibus. Sic ergo & in mente continuum accipis perfectam ſecundum actum mentẽ, quæ eſt in diuinis, nõ quæ mens eſt potẽtia. Mentis autem, ſiue intellectus operatio intelligẽtia, uel mentis agitatio eſt. Intelligentia autem nihil eſt aliud, quàm quæ ſunt intellectu & mente agitata. Quemadmodũ & ſecundam operationẽ ſenſus ſentimẽta. Intelligẽtia enim eſſe habet in iis, quæ mente agitantur. Neq; enim intelligentiã mente complecti poſſumus, ſine iis, quæ mente agitantur. Vt, quæ ergo mẽte agitantur, continuũ habent: habent autẽ eo quòd per ſeriem: cùm enim natura à ſe inuicem differant: eo, quòd per ſeriem mente agitentur, habent continuum: non enim omnia ſimul intelligit & conſequitur, ut prima & ab uniuerſo mens ſeparata: ſed ſine tempore quidem: quoniam ne in tempore quidem eius eſt eſſe: per ſeriem autem, ut & numerus, ſic mens habet continuũ. Quoniam enim non ad exteriora eius actus extenditur: ſed in ſeipſo uidens omnia uidet, eo quòd omniũ in ea ſunt rationes, Quæ ante ſe quidẽ, imaginatiue: quæ poſt ſe, exẽplariter: quoniã ergo ſe ipſam uidens, omnia uidet: eſt enim formarum complementũ, eo quidem, quòd omnino plura ſint, quæ mente agitantur, fuerit uelut numerus: eo autẽ, quòd ea deinceps, & per ſeriem ſint, ea ratione fuerit continua, ut & quæ mẽte agitantur. Porrò, quæ mẽte agitãtur, accipere etiam poſſumus pro ipſis intelligibilibus. Vt enim intelligibilia adinuicem ſunt continua, nempe propter rerum ordinem, & progreſſionẽ, id, quod deinceps, & per ſeriẽ ſit, habentem: ſic & de iis intelligentia, & mentis agitatio habet continuũ. Vt enim habent intelligibilia, ſic habet & intelligentia: & ut habet intelligentia, ſic habet intellectus continuum, eo, quòd ordinatim hoc poſt illud intelligat. Scis ergo & ipſe Ariſtoteles mentem quoq; continuam, & numerum uocare ſecundum analogiam, ſed non tanquam ſit magnitudo. Sed fortaſſe dixerit: ego non dicebam ipſam eſſe numerũ, ſed tanquam numerum. neq; ſimpliciter continuam, ſed ueluti continuam: illi uerò ex ſe numerum & cõtinuam. Sed manifeſtum eſt arcanam eorum, & ænigmatibus plenam fuiſſe doctrinam.*

## Sed vel indiuiſibilis, vel non vt magnitudo quædam continua.

*Maxime quidem, inquit, indiuiſibilis eſt mens & incorporea. Si autem ei omnino continuitatem dare oportet: ſic in ea erit continuum, ut dictum eſt.*

## Quomodo enim intelliget, ſi ſit magnitudo? vtrum in vniuerſum, vel in qualibet ſuarum partium?

*Quoniam circulo mouet Timæus animam, ut circumactione attingens intelligibilia comprehendat: dicit itaq;. Quomodo ſe habens circulus, attingens uel ſenſilia, uel opinabilia, uel intelligibilia, ea apprehendat? Præterea autem & falſarum, & uerarum opinionũ ſymbolicas cauſas tradit: quoniam, ut dicebamus, de omni quoq; anima uerba facit. Hanc ergo opinionẽ refellere ſibi in præſentia Ariſtoteles propoſuit. Quid enim, ego, inquit, dico fieri non poſſe, ut mens ſit circulus. Neq; enim fieri omnino poteſt, ut ea ſit magnitudo. Si enim ſit magnitudo, nequaquã fieri poteſt, ut aliquid intelligat. Procedit autem refutatio ex diuiſione hoc modo. Si mens, inquit, cùm ſit circulus, eo quòd mouetur, & intelligibile attingit, & ea ratione intelligit: cùm enim ſit magnitudo, non aliter cognoſcet, quàm ſi intelligibile attingat: omnino neceſſe eſt, ut uel ſecundum ſignum attingẽs intelligat, uel ſecundum partes. Et ſi ſecundũ ſignum, uel ſecundum unum ſignũ intelligit, uel non ſecundũ unum. Si igitur ſecundum unum ſignum intelligat, alia ſunt ſuperuacanea. Quid ergo circulari motu opus eſt, uel omnino magnitudine? Si enim ad intelligentiam unum ſignum ſufficit, ſuperuacanea eſt magnitudinis ſuppoſitio, quæ menti nihil confert. Si enim mens ſeu intellectus eo, quòd intelligit, intellectus dicitur: unum autem ſignũ ſolum intelligit: illud ſolum mens & intellectus fuerit. Si autem non ſecundum unum ſignum ſolum intelligit: uel ſecundum plura, uel ſecundum omnia intelliget. Secundum plura quidem intelligere abſurdum eſt, & à ratione alienum. Secundum quot enim: & cur tot, & non plura uel pauciora? & reliqua rurſus erunt ſuperflua. Si autem ſecundum omnia ſigna intelligit: uel eorum unumquodq; omnia intelligibilia intelliget: uel ad unumquodq; intelligibile omnium conſenſione, & conſpiratione opus eſt. & non aliud intelliget, niſi omnia ſigna intelligibile attigerint. uel hoc quidẽ hoc intelligit: aliud autem aliud: & deinceps ſimiliter. Vt uiſus forte uiſibilia: auditus audibilia: & alius ex ſenſibus aliquod aliud ſenſile apprehendit. Si ergo unumquodq; omnia intelligit ſunt autẽ infinita ſigna: ſæpe, inquit, uel innumerabiliter idem intelliget. Nunc autem apparet ſemel quoq; cõtingere. fieri enim poteſt, ut qui ſemel intellexerit, id non amplius intelligat: uel quòd oblitus ſit: uel quòd non amplius cogitauerit, & mentem adhibuerit. Si itaq; contingit ſemel quidem intelligere: unoquoq; autem ſigno omnia intelligente, & circuli ambitu intelligibilia ſemper attingente, neceſſe eſt idem innumerabiliter intelligere. Falſa eſt ergo eiuſmodi ſuppoſitio. alioqui ſi infinita ſunt ſigna: infinita autem nequaquam percurri poſſunt: nunquam per ſe ipſam totam mens intelliget: ſed idem intelligibile pars quidem mentis intelliget: pars non intelliget. Si autem per unumquodq; intelligibile attactu opus eſt: & non aliter quid intelligit quàm ſi omnia attingant, quid unumquodq;, inquit, attingẽs fecit? clarum enim eſt, quòd unumquodq; aliquid fecit: dic ergo, quæ ſit ſecundum unumquodq; apprehenſio. Si autem dicat aliquis, quòd quemadmodũ in ratiocinationibus, hoc quidem illam propoſitionẽ attingit: illud uerò aliam: omnium autem ambitus eſt concluſio, & ueluti totũ intelligibile, id eſt perfecta intelligentia: dicemus ei id, quod in ſequentibus dicit Ariſtoteles de uiſu, quòd ſit in corporeus oſtendens, Quòd ſi hoc quidem hanc propoſitionem intelligit: aliud autem aliam: quid eſt quod iudicat, & dicit quòd hæc ab illa alia eſt? Perinde eſt enim, ut ſi ego quidem hoc, tu uerò illud ſentias: quid uerò eſt quod colligit eam, quæ ex omnibus colligitur, concluſionem? Id enim omnes cognouiſſe oportet, ut ſic dicat ex eis illud colligi.*

Quod

*Quod enim hãc propoſitionẽ attigit, non cognoſcet alterã propoſitionem, quam alterum ſignum attigit: quandoquidem altera erit ſuppoſitio, & ab omnibus omnia apprehendentur. Et alioqui, quandoquidem una quæq; propoſitio quædam eſt enunciatio, clarum eſt ergo, quòd quando propoſitionem, ut enunciationem, intelligit, ut totum quid intelliget: quod aliorum ſignorum contactu opus non habet. Alioqui ſi ſigna quidem ſunt infinita, infinitorum autem contactu ad intelligẽdum opus eſt: ut autem infinita finito tempore percurrantur, fieri non poteſt, nunquam intelliget. Intelligere enim non eſt, niſi omnia intelligibile attingat. Omnia autem attingi, cùm infinita ſint, non poſſunt. Mens ergo nunquam intelliget. Reſtat quærere, nunquid, quemadmodum ſenſus, ſic & mens alio ſigno alia intelligibilia apprehendat. Sed ſi hoc ita eſt, non per ſeipſam totam omnia intelligit. Non hoc autem eius dicit operatio. Neq; enim, ſi animam fortaſſe uoluerimus intelligere, hanc mentis partem mouemus: ſi angelũ autem, aliam. & ſimiliter in reliquis. Quomodo autem mens quidẽ in ſenſu quærit, & animaduertit, quòd oculus quidem colores apprehendit: auditus autem ſonos: & alius ſenſus alia ſenſilia: & quòd nunquam alia ſenſilia alius ſenſus inquirit: ea autem, quæ differentia intelligibilia apprehendunt, non quærit: maxime cùm, quæ diuerſa apprehendant, ea quoq; ſecundum ſubſtantiam differentia eſſe neceſſe ſit. Differentia ergo erunt ſigna ſecundum ſubſtantiam. Quæ autem ſit ſubſtantialis differentia ſigni ad ſignum, ne fingere quidem uolentibus eſt facile: Sic ergo fieri non poteſt ut mens ſecundum ſignum intelligat. Si autem per partes fiat intelligentia: uel rurſus pars una ad intelligẽtiam ſufficit, uel non ſufficit. Si pars itaq; una fuerit, quæ intelligit, ſuperuacanea fuerit aliorum poſitio. Hoc enim mens erit. Alioqui de hac ipſa parte quæremus utrum ſecundum ſignum attacto intelligibili intelligit, uel ſecundum partem & uenient, quæ prius dicta ſunt. Sed ponatur uniuerſaliter intelligere: quis ergo erit reliquorum uſus? Si autem non ſecundum unam partem ſit intelligẽtia: quoniam cõtingit in infinita quoq; omnẽ magnitudinem partiri, & finita: in infinita enim diuiduntur magnitudines, ſi in eaſdem uel æquales ſecundum quantitatem partes diuiſæ fuerint, ut in digitales, uel cubitales: Omne enim finitũ ab omni finito metitur: in infinita autem diuiditur, ſi in eaſdem ſecundum rationem partes diuiſa fuerit, id eſt, ſi in duas partes ſcindatur: In duas enim partes ſectio in infinitum procedit, eo, quòd ſemper in magnitudines ſit ſectio: omnis autem magnitudo ſit cõtinua: omne autem continuum eſt diuiſibile. Si itaq; in finita fiat ſectio: uel unumquodq; omnia intelliget: uel non aliter intelliget, niſi omnia attingãt: uel quædam nonnulla. Et eadem rurſus interrogabimus, quemadmodum & prius. Similiter autem & ſi infinitæ ponantur partes, eadem dicemus, quæ ſuperius in ea, quæ ſecundum ſigna facta eſt, ſuppoſitione. Refutationes enim in omnibus ſimiliter conuenientes Ariſtoteles quidem diuiſit: Nos autem omnes omnibus accommodauimus.*

Partium autem vel ſecundum magnitudinem, vel ſecundum punctum: ſi vtiq; & hoc partem appellare oportet. Si itaq; ſecundum punctum, ea autem ſunt infinita, clarum eſt, quòd nunquam percurrit.

*Quoniam magnitudines ſimiliarium ſunt partium: ex magnitudinibus enim eſt magnitudo, & nõ ex ſignis. Punctus enim magnitudo quidem non eſt, ſed principium magnitudinis: propterea cùm dixiſſet, Partium autem uel ſecundum magnitudinem, uel ſecundum punctum, ſignificauit ſe per abuſum dixiſſe, Si oportet punctum partem uocare.*

Si autem ſecundum magnitudinem, ſæpe vel innumerabiliter idem intelliget. Apparet autem ſemel quoq; contingere.

*Sæpe quidem, ſi in finitas partes diuiſa fuerit: innumerabiliter autem, ſi in infinitas.*

Si autem qualibet particula attingere ſatis eſt, quid opus eſt moueri, vel omnino magnitudinem habere?

*Id eſt, ſi quælibet circuli pars attingens intelligibile poteſt apprehendere, quis circularis motus uſus eſt? ſtans enim apprehendere poterit. Quid enim ei ad apprehenſionem circulo moueri confert? Neq; enim ei magnitudo quicquam ad intelligentiam confert, ſi qualibet particula intelligit. Vt ſi quid, cùm diuiditur, ſic manet ut nihilo ſecius ex diuiſione ſit non affectum: hoc quod manet, aliud eſt ab eo, quod diuiditur. & id ſecundum ſe eſt inſeparabile & indiuiſibile. ut diuiſa ſemper ſuperficie eadem in unaquaq; parte albedo ſequatur. & quantitas quidem à diuiſione patitur & minuitur: ut uerbi gratia, quod erat bicubitale fit cubitale. at album quidem certe eodem modo ſe habet. Aliud ergo eſt album ab eo, quod diuiditur. Sic ergo ſi qualibet circuli parte ſimilis ſit intelligentia, & in maxima parte, & in minima: ergo quod intelligit aliud eſt à magnitudine. Ad intelligentiam ergo nihil confert magnitudo: ſiquidem maior & minor pars ſimiliter intelligit.*

Si autem neceſſarium eſt toto circulo attingentem intelligere, quis eſt partibus attactus? 48

*Cùm diuiſio haberet, quòd uel ſui parte intelligit circulus, uel toto: parte autem uel quæ eſt ſecundum magnitudinem, uel quæ ſecundum punctum: expoſitis abſurdis, quæ eam ſuppoſitionem ſequuntur, quæ ſecundum partem dicit intelligere: nunc reliquum exponit dico autem toto intelligere circulo. Si enim non intelliget, priuſquam totus ambiuerit circulus, quid facit unaquæq; pars? Si enim ambientes partes non intelligunt: totus autem circuli attactus per partes fit: ne ipſe quidem intelliget. Non enim aliquo alio intelligibile attingit, quàm ſuis ipſius partibus. Reſtat ergo dicere, quòd quælibet pars intelligibilis partem cognoſcit. Totus autem circulus totum. Quod autem abſurdum hanc opinionem ſequitur, ipſe infert. Cùm enim dixiſſet, quis eſt partis attactus: cùm hoc, eo quòd tacetur, accepiſſet, quòd per partes intelligibile attingunt, intulit.*

Præterea quomodo intelliget diuiſibile indiuiſibili: & indiuiſibile diuiſibili?

*Si enim non poſſunt partes totum intelligere: ſine partium autẽ intelligentia totũ non intelligit: accumulatio enim intelligẽtiæ partium totius eſt intelligentia: nihil indiuiſibile poterit intelligere. Intelligibile itaq;, quod eſt diuiſibile, ipſe non intelliget, cùm ſit diuiſibilis. Præterea ſi unaquaq; parte pars intelligit, totus mentis conceptus erit compoſitus. Quomodo ergo intelliget ſimplicem mentis conceptum? Omnis enim mentis conceptus ſic erit compoſitus. Atqui ſi mentis non ſit ſimplex conceptus, ne compoſitus quidem erit. Omne enim compoſitum eſt ex ſimplicibus. Nullus ergo erit mentis conceptus. Non ergo intelliget, nec mente cõcipiet. Mẽs enim de medio tolletur, ſi non ſit mentis conceptus. Addidit autem illud, uel diuiſibile indiuiſibili, tanquam reprehendens, quod dicitur, Attactu fieri ut intelligatur. Si enim mens eſt indiuiſibilis, quomodo intelliget, quod eſt diuiſibile? Indiuiſibili enim indiuiſibile attigerit, non diuiſibile. Vel diuiſibile indiuiſibili quomodo intelliget, ut apponatur illud, Secundum ſignum. Quomodo enim ſecundũ ſignum apprehenſio diuiſibilia intelliget, ei, quod eſt, Præterea quomodo intelliget diuiſibile indiuiſibili, uel indiuiſibile diuiſibili. Et ſic interpretantur tanquam ab alio principio. Quoniam aiunt mentem non eſſe magnitudinem, ne quis eum exiſtimet illam ita*

*indiuiſibilem dicere ut ſignum, hæc addidit. Neque enim ſi ſit, inquit, magnitudo intelliget indiuiſibilia: neq; ſi ſit ſignum, diuiſibilia. Aliter autem de mente dicit ipſe indiuiſibile. Quod enim mentis eſt indiuiſibile, ſubſtantia eſt per ſe ſubſiſtens, ab omni magnitudine ſeparata. Signum autem in linea habet ſuum eſſe, & eſt magnitudinis principium. Quomodo autem mens, cùm ſit indiuiſibilis, omnia intelligit, in tertio libro dicet. Et aliter tanquam aliud argumentum hoc eſt audiendum, quod dictis omnibus ſuppoſitionibus conuenit. Quoniam enim attactu intelligens circulus uel ſecundum ſignum attingit, uel ſecundum partem: ſi ergo ſecundum ſignum attingens intelligit: quomodo intelliget diuiſibilia, dico autem corpora? Non enim adaptatur ſignum magnitudini. Quomodo autem intelliget, quod non adaptatur? Quod enim non attigit, ne hoc quidem intelliget. Si autem ſecundum partes intelligit: quomodo indiuiſibilia intelliget? Diuiſibile enim indiuiſibili non conuenit. Hoc autem non ad ueram utiq; rationem inducere poterit in hunc modum. Quomodo ergo mens, cùm ſit indiuiſibilis, omnia & diuiſibilia & indiuiſibilia intelligit? Indiuiſibile enim nunc dicimus, quod diuiſibili opponitur: dico autem ſignum. Alia autem quædam eſt mentis indiuiſibilitas, & quæ corporis partium multitudini non opponitur. Intelligit autem, ut quæ omnium rationes in ſe contineat.*

Eſt autem neceſſarium mentem hunc eſſe circulum. Mentis enim motus eſt intelligentia: circuli autem ambitus. Si ergo intelligentia eſt ambitus: & mens fuerit circulus, cuius talis ambitus eſt intelligentia.

*Ne quis dicat Timæum non dixiſſe animam ſenſilem circulum, ſed uniuerſalem circulum, & circuli rationem, qui & caret magnitudine, & eſt incorporeus, omni ergo circulo ſimiliter conuenit & magno & paruo: id quoque per hæc confirmat. Ex dictis, inquit, omnino neceſſe eſt ſenſilem circulum mentem exiſtimare Timæum. Quod enim eius eſt demonſtratiuum ipſum ſenſile ſignificat: hoc eſt enim quod demonſtratur. Quomodo ergo eos hoc dicere cõſtabit? Vniuerſalis circulus non mouetur. Ratio enim eſt. Quam autem rationẽ mens habet ad intelligentiam, eam habet circulus ad circumactionem: mouet enim utrunq;, hoc quidem mentem: illud uerò circulum. Ergo & uiciſsim, quam rationem habet intelligentia ad circumactionem: eam & mens ad circulum. Si ergo intelligentia circumactio eſt, & mens utiq; circulus. Si autem circumactio eſt ſenſilis circuli: uniuerſalis enim circulus non circumfertur: & mens ergo ſenſilis eſt circulus.*

Semper autẽ vtiq; aliquid intelliget. oportet enim: Siquidem æternus eſt ambitus.

*Vel hoc dicit, quòd idem ſæpe intelliget: uel quòd ſemper in infinitum alia & alia intelligere oportet: ſiquidem circumactio eſt intelligentia: ea autem æterna eſt. Hoc autem nihil neceſſarium habere uidebitur. Dixerint enim, quòd neceſſe eſt ſemper aliquid intelligere, & ab eodem ad idem rurſus uenire. Quoniam enim nulla anima eſt qualis prima mens, quæ accumulatam & temporis expertem habet intelligentiam, non hoc quidẽ aliqñ, aliqñ uerò aliud intelligens, ſed ſimul omnia: Sed quoniam omnis anima, etiamſi uniuerſi animam dixeris, tranſitiuam habet intelligentiam, ab hoc intelligibili ad aliud tranſiens, eo, quòd ſit ſemper mobilis, ſemper aliquid intelliget: eo autem, quòd ſit æterna, neceſſe eſt propter temporis, ut hoc uerbo utar, infinitatem ad idem rurſus reflecti, & ea ratione circulum imitari. Non infinita autem intelliget, quoniam ne infinita quidem ſunt intelligibilia. Nunquid autem hoc fortaſſe dicit, quòd idem ſemper intelliget, eo, quòd nunquam totum intellexerit? Similis enim & eodem modo ſe habens circumactio de aliquo eodem erit. Oportebit ergo tale eſſe id, quod intelligitur. Quid ergo hoc eſt? Quòd autem nulla eſt infinita intelligentia, per hæc, quæ deinceps ſequuntur, inducit.*

Factiuarum enim, vel actiuarum intelligentiarum, ſeu mentis conceptuum ſunt fines. Omnes enim alterius gratia.

*Quòd actiuæ intelligentiæ finitæ ſint, ex actionibus oſtendit. Omnis enim actio fit alicuius finis gratia. Cùm itaq; finem, cuius gratia fiunt, aſſecutæ fuerint, ab operatione ceſſant. Nulla enim actio fit ad infinitum. Omne enim expetendum alicuius eſt gratia. Habent autem principia quoq; actiones. Vt ergo actiones habent, ſic habent &, quæ de eis ſunt, contemplationes. Finitæ ergo ſunt actiuæ contemplationes. ſed, ut in alijs ſæpe diximus, contrario ſe habent modo cõtemplationes, quàm actiones. Actionis enim finis contemplationis eſt principium, & contra. Eſt ergo ædificatiuæ, uerbi gratia, actionis, fundamentum fodere, materiam parare. finis autem tectum. id autem eſt tegumentum ad arcendos imbres, & æſtus. Contemplationis ergo, & huius actionis ijdem ſunt fines uiceuerſa.*

Contemplatiuæ autem rationibus ſimiliter finiuntur. Ratio autem omnis vel definitio, vel demonſtratio. Demonſtrationes autem & à principio: & habent quodammodo finem ratiocinationem, vel concluſionem.

*Quòd neq; contemplatiuæ intelligentiæ finitæ ſunt, ex rationibus, quæ de eis fiunt oſtendit, ex perfectioribus cõfirmans, quæ minus ſunt aperta. Mentis enim conceptuum nuncij ſunt rationes. Hæ autem clariores & notiores ſunt nobis, quàm habitus, ex quibus procedunt. Omnino ergo neceſſe eſt, ut ſe habent de contemplatiuis intelligentijs rationes, ita ſe habere & ipſas intelligentias. Si ergo oſtendero finitas earum eſſe rationes, omnino neceſſe eſt ipſas quoq; eſſe finitas. Contemplatiuarum autem intelligentiarum rationes ſunt, definitio, & demonſtratio. Quòd autem nulla earum eſt infinita, hinc manifeſtum eſt. Omnis enim demonſtratio habet principium & finẽ: principium quidem communes animi notiones: finem autem demonſtrationem ipſam, & concluſionem. Nulla ergo eſt infinita demonſtratio. Similiter & definitiones habent principium, & finem. Principium quidem genera generaliſsima: finem autem ſpecialiſsimas differentias. Nec definitiones ergo ſunt infinitæ. Et alioqui, cùm nulla ſit infinita ſubſtantia, ſed finita, earum quoque definitiuas rationes eſſe finitas neceſſe eſt. Et aliter. Si maxime communia eorum, quæ ſunt, genera decem ſunt: ex eis autem proceſſus non eſt ad infinitum: ſed uſque ad ſpecies, quæ diuidi non poſſunt: poſt quas ſunt ſingularia: Quod ergo ex omnibus eſt, nempe definitio, finitum eſt: ex eis autem definitiones: Omnis ergo finita eſt definitio. In demonſtratiuo autem ſyllogiſmo oſtenſum eſt fieri non poſſe, ut demonſtrationes in infinitum procedant. Sic enim omnis cognitio & ſcientia tolletur. Si enim ad ſumendas definitiones infinitas differentias accipere oportet: infinitum autem finito tempore non poſſumus percurrere: neque ergo quicquam definiri poterit. Non cognita autem definitione nec rei natura cognoſci poteſt. non cognita uerò rei natura, nec ea cognoſci poterunt, quæ per ſe ei inſunt, circa quæ eſt demonſtratio. Omnis ergo tolletur cognitio. Non ergo fieri poteſt, ut ad infinitum definitiones procedant. Quare ſi contemplatiuarum intelligentiarum rationes finitæ ſunt; & ipſas quoque finitas eſſe neceſſe eſt. Ratiocinationem autem concluſionem dicit: & ideo, cùm ratiocinationem dixiſſet, interpretans intulit, Vel concluſionem, tanquam unum pro*

*uno*

uno dicens. Quòd autem contemplatiuarum intelligentiarum ſolæ rationes duæ ſunt, definitio, inquam, & demonſtratio, hinc manifeſtum eſt. Omnia enim quæ ſunt, uel ſunt ſubſtantiæ: uel quæ ſubſtantijs accidunt. Eſt enim aliquid & animæ ſubſtantia: eſt aliquid & quod circa eam accidit, immortalem eſſe fortaſſe, uel medium ordinem in uniuerſo habere, uel quid tale. Subſtantiarum ergo comprehenſio per definitiones inuenitur. Accidentium autem per demonſtrationem. Accidentium, inquam, eorum, quæ per ſe inſunt.

Si autem non finiuntur: neque rurſus ad principium reflectuntur, ſed ſemper accipientes medium, & extremum, recta progrediuntur. Ambitus autem rurſus ad principium reflectitur. Definitiones verò omnes ſunt finitæ, & terminatæ.

Si quis, inquit, dixerit, quòd fieri poteſt, ut ad infinitum demonſtrationes extendantur, maxime quidem falſum dicet, ut oſtendemus. Deinde & ſi ad infinitum procedunt: ad rectũ quidem, & non ad id, quod eſt ex principio, recurrunt: ut ſi ſic dixero. Homo eſt riſibilis, Riſibile rationale. Homo ergo rationale. Huic demonſtrationi addito uno termino alteram demonſtrationem contexo, eum quidem, qui additus eſt, extremum faciẽs: eum autem, qui prius erat, extremus, medium. hoc enim & ipſe declarat, dicens, Accipientes medium & extremum. Addo ergo animal. Omnis homo rationalis. Omne rationale animal. Omnis ergo homo eſt animal. Connecto autem rurſus corpus animatum. Talis autẽ demonſtrationum proceſſus in recto fit. Neque enim rurſus ad principium reflectitur: id eſt, non reuertitur ad monſtrandum propoſitionem, quæ dicit, quòd Omnis homo eſt riſibile: Iam enim demonſtratum eſt. Niſi enim eſſet demonſtratum, non omnino proceſſiſſet demonſtratio. Vel ſimpliciter, quòd non reflectitur ad communem animi notionem, quæ eſt demonſtrationum principium, ex qua prima propoſitio contexitur. Eſt enim per ſe credibilis, & quæ demonſtratione non eget. Circulus autem in ſeipſum reuertitur. Quòd autem non eſt ad infinitum demonſtrationem procedere, hinc quoq; manifeſtum eſt. Vel enim à generaliſſimis generibus incipit: & in ſpecies ſpecialiſſimas deſinit. Vel cõtra ab his incipit, & in illa deſinit. Illud autem, Accipientes medium terminum, Alexander male exponit. Medium enim terminum propoſitionis ponit, ut medium hominis, & riſibilis, & rationalis. Non ergo ſeruat amplius demonſtrationem: ſiquidem habet propoſitionẽ, quæ demonſtratione indiget per medium aliquem terminum. ſed, ut dicebamus, extremum quidem exterius accedit: medium autẽ non accedit. Sed, qui erat ante extremus, habitudinem mutat, & fit medius. Quòd ſi ſic audiuerimus, ut intereà accipiant propoſitionis terminum, ut ad quem non eſt immediata propoſitio: neque ſic quidem rectà incedunt, nec circulum imitantur. Neque enim primus terminus, qui erat ſubiectus in concluſione, fuerit prædicatus, neq; prædicatus ſubiectus: niſi conuertantur termini: in quibus etiam circulo fit demõſtratio, non propter demonſtrationũ methodum, ſed propter ipſam materiam: ut quãdo dixero, homo riſibile. Riſibile mentis & ſcientiæ ſuſceptiuum. Homo ergo mentis & ſcientiæ ſuſceptiuũ. Et rurſus. Mentis & ſcientiæ ſuſceptiuum eſt riſibile. Riſibile eſt homo. Mentis ergo & ſcientiæ ſuſceptiuum homo eſt.

Præterea ſi idem eſt ſæpe ambitus: idem oportebit ſæpe intelligere.

Cùm dixiſſet infinitum ambitum infinitam ſequi intelligentiam, uel quòd idem ſemper in intelligendo ſit, & nunquam fuerit, uel eodem ſæpe reuoluto: poſtquam mõſtraſſet quod prius ſequitur abſurdum: nunc oſtendit quid hoc quoq; abſurdi ſequatur. Si enim idem eſt mentis ambitus, idem quoq; erit ſemper, quod intelligitur. Idem ergo ſemper intelliget, & nunquã aliud. Quare non omnia intelliget.

Præterea autem & intelligentia quieti cuidam, & ſtatui potius quàm motui ſimilis videbitur. Eodem autem modo & ratiocinatio.

Pulchram coronidem adiecit. Reuera enim quæſtio eſt motui ſimilis. Qui enim dubitat, in multo tumultu, & motu eſt. Qui autem aliquid inuenit, idem eſt autem dicere, intellexit, uel excogitauit, in magna deinceps eſt quiete & tranquillitate. Vnde & ſcientia ἐπιστήμη Græce dicitur, quòd animam ad ſtatum qui στάσις dicitur deducat. & qui aliquid ratiocinatus eſt, & per demonſtrationem inuenit, deinceps quieſcit. Si itaq; ipſam intelligentiam, & ſyllogiſmi concluſionem circuli ambitum eſſe dicunt, quies potius eſt, & non motus. Si autem uiam illam, quæ ad intelligentiam ducit, circuli ambitum eſſe dicunt: ueniemus ad ea, quæ prius dicta ſunt: quid unaquæq; pars facit uel finitarum uel infinitarum? Quid autem eſt & quod propoſitiones coniungit? Cùm enim alius aliud intellexerit: niſi ſit aliquid aliud, quod colligat, eo, quòd omnia apprehendat, ne inferetur quidem cõcluſio. Perinde eſt enim, ut ſi ego quidem hoc, tu uerò illud ſenſeris. Si autem ſit aliquid, hoc anima eſt, non circulus.

Atqui ne beatum quidem eſt, quod non facile, ſed violentum eſt. 49

Poteſt hoc per ſe quoq; eſſe argumentum: poteſt & ſuperioribus eſſe cõiunctum. Cùm enim dixiſſet, quòd ſimilis eſt intelligentia quieti cuidam potius quàm motui: & ex hoc oſtendiſſet, quòd ſecundum naturam potius quies menti eſt: tanquam ex eo colligeretur: Motus ergo eſt præter naturã. Si enim quies ſecundum naturam: neceſſariò motus præter naturam erit. Ergo ſi mens moueatur, ui mouebitur. Quicquid enim eſt præter naturam, uiolentum eſt. Eo ergo ex dictis collecto, quòd ui mens mouetur, hoc meritò infert. Atqui ne beatum quidem eſt, quod non facile, ſed uiolentum eſt, Vniuerſi autem animam in beatitudine eſſe oportet. Si autem neq; ſecundum naturam mouetur, eo quòd quies potius eſt intelligentiæ, quàm motus: neq; præter naturam, ne ſit beatitudinis expers. Nullo ergo modo mouetur. Poteſt autem & per ſe eſſe argumentũ. Cùm enim demonſtraſſet abſurda, quæ ſequuntur opinionem dicentem ſecundum naturam moueri animam, nunc aperit, ſi non ſecundum naturam moueatur, quid ſequitur. Si enim præter naturam mouetur, ui mouetur. Quicquid autem uiolentum, non beatum. Vniuerſi autem animam beatam eſſe oportet.

Si autem eius motus non eſt ſubſtãtia, præter naturam moueatur.

Poteſt & hoc præcedenti eſſe continens. Cùm enim dixiſſet, quòd non beatum eſt, quod non eſt facile, ſed uiolẽtum, quomodo erit uiolentum per hæc infert: ſi quidem, inquit, non in ſubſtantia ipſe motus eſt. Non erit autem in ſubſtantia motus: quoniam intelligere quieti, quàm motui ſimilius eſt. Poteſt autem & abſolutè per ſe intelligi. Si cum mouetur mens & anima, cum quiete autem magis conuenit menti quàm cum motu, præter naturam habet motum. Nihil autem ſemper eſt in eo, quod eſt præter naturam. Sed ubi id quidem eſt, quod eſt præter naturam, omnino ſequitur & id, quod eſt ſecundum naturã. Non itidem autem id, quod eſt ſecundum naturam, id omnino ſequetur, quod eſt præter naturam. Si itaq; id quod præter naturam mouetur, habitudine quoq; & reſpectu ſecundum naturam mouebitur.

*uebitur. Atqui non poteſt, ut oſtenſum eſt, ſecundum naturam moueri. Præter naturam ergo non mouebitur.*

Eſt autem laborioſum & corpori coniunctum eſſe, neq; poſſe diſſolui.

*Quomodo id, & præter naturam motus, & non facilis, per hæc declarauit. Eo enim, quòd corpori connexa ſit, & ipſum una ſecum trahat, laborioſum habet motum, id quodammodo ſuſtinens quod Ixion. Si enim cœlo cõnexa ſit, ut ſuo motu ipſum circum agat, laborioſum & non facilem habet motum. Hoc autem non beatum.*

Et præterea fugiendum: ſiquidem menti melius eſt non eſſe cum corpore, vt dici ſolet, & multis quoq; videtur.

*Ex iis, quæ à Platone dici conſueuerunt, & quæ multis quoque ita uidentur, abſurdum conſtituit. Platoni enim uidetur melius eſſe animæ ſine corpore uiuere. Ei enim in corpore laborioſa uita eſt. Iam uerò etiam mundus ei nunquam uidetur ſoluendus. Deteriori ergo loco æterno erit tempore uniuerſi anima, ut quæ cum noſtris animabus ne æquali quidem ſit conditione, quæ à corpore aliquando ſoluuntur, eo quòd ipſa in æternum corpori connexa ſit. Hoc quidem pulchre colligeret Ariſtoteles, ſi re uera, ut uidetur Timæus dicere, eius ſubſtantia corpori connexa ſit: ſed quemadmodum anima, cùm corpus dominio & imperio tenuerit, corpus habet quod ſequitur: non ipſa corporis ſequitur motus: ſic multo magis cœli corpore ab omni mortali difficultate liberato, & quod ſola animæ uoluntate mouetur, nulla ex eo animæ difficultas uel moleſtia accedit, quemadmodum nec noſtræ ex ſplendore.*

50 Incerta eſt autem & cauſa, cur cœlum circulo feratur. Neque enim animæ ſubſtantia, quòd circulo feratur, cauſa eſt, ſed per accidens ſic mouetur: neque corpus cauſa eſt. anima enim illi potius.

*Perinde ac monſtrauerit animã per ſe non moueri, cùm magnitudine careat, & ſit incorporea, ſed per accidens, meritò dicit quòd propter hæc, quæ dicta ſunt, circularis cœli motus cauſa incerta eſt. Si enim anima eo, quòd mouetur, mouet: per ſe autem mobilis eſſe demonſtrata eſt: quæ cœlo circularis motus cauſa eſt? Neq; enim anima, per ea, quæ demõſtrata ſunt, à ſeipſa mouetur. Neq; uerò ipſum corpus ſibi motus cauſa erit. Neque enim uult Plato ei ſecundum naturam circularem eſſe motum, ſed ab anima. Incerta ergo eſt circularis motus ſecundum eum cauſa. Ariſtoteles enim naturalem quoque cœleſti corpori dat motum: cum naturali autem eum quoq;, qui ex anima eſt, motum concurrere dicit, eo ipſo quòd ſic moueat.*

Atqui neque, quòd melius, dicitur. quanquam deum oportebat propterea facere, vt circulo ferretur anima, quòd ei melius ſit moueri, quàm manere, ſic autem moueri, vel aliter.

*Non ſolum, inquit, effectiuam circularis cœli motus cauſam, quoad ea, quæ à Timæo dicta ſunt, ignoramus, ſed & finalem. Nuſquam enim cõfirmauit, quòd cœlo melius eſt moueri, quàm quieſcere, & circulari, quàm alio motu, moueri: & quòd omnia, quæ natura fiunt, ad finem reſpiciunt: quod eſt pulcherrimum eorum, quæ contingunt circa illud fieri. Ipſe enim motus, & circularis motus finalem quoq; cauſam tradit: quoniam circularis motus æterno conuenit, qui nec principium habet, nec finem: & quòd bonum erat ei potius moueri, quàm ſtare, quoniam operari quàm non operari melius eſt. Plotinus autem circularis motus finalem cauſam tradit, dicens. Cur enim, inquit, circulo mouetur? quoniam mentem imitatur. Mentis enim operatio circulo ſimilis eſt, ut iam prius diximus. Quoniam ergo quæ minora & deteriora ſunt, meliora & potentiora imitantur: ſic & ipſum, quod circulo mouetur, mentis operationem imitatur. Et aliter. Quoniam Deus ubiq; eſt, quòd circulari motu ubiq; fiat, imitatur, quod ubiq; eſt. Plato autem finalem ſphericæ figuræ cauſam tradit. Figuram enim, inquit, ei dedit decentem & cognatam. Ei enim, quod omnia ſuſcepturũ erat, omnium figurarum dedit capaciſſimam. Eorum autem, quæ æqualis menſuræ ambitu continentur capaciſſima ſunt, in planis quidem circulus, in ſolidis globus.*

Quoniam autem talis conſideratio alijs tractatibus magis conuenit, eam quidem in præſentia omittamus. 51

*Quærere enim cur cœlũ ſic mouetur, & cur ſic pulchrius, non præſentis inſtituti, ſed tractatibus de cœlo & de motu accommodata eſt hæc conſideratio. Nunc autem de anima propoſitum eſt. Poſtquam ergo hoc ſolum dixiſſet, quòd ea à Timæo prætermiſſa ſunt, ad inſtitutum reuertitur.*

Illud autem abſurdũ, & huic quod dictum eſt, & plurimis, quæ de anima dicuntur, euenit. Compingunt enim & indunt in corpus animam, cùm nihil præterea definierint, propter quam cauſam, & cur ſic habente corpore. Atqui videatur hoc eſſe neceſſarium. Pro- 52
pter ſocietatem enim, & communicationem, hoc quidẽ agit, illud verò patitur: & hoc quidem mouet, illud verò mouetur. Eorũ autem nihil temere ineſt quibuslibet adinuicem. Illi 53
autem dicere ſolum aggrediuntur cuiuſmodi ſit anima: De eo autem, quod illam ſuſcepturum eſt, corpore, nihil vltra definiunt: perinde ac contingat iuxta Pythagoricas fabulas quãlibet animam quodlibet corpus ingredi. Videtur autem vnumquodq; propriam habere ſpeciem, & formam. ſimiliter autem dicunt, vt ſi quis dicat artem fabrilem in tibias ingredi. Oportet enim artem quidem vti inſtrumentis: Animam vero corporibus.

*Poſtquam particulatim unicuique de anima opinioni contradixit: nunc unam, & iis omnibus ſimul communem adducit reprehenſionem, qui de anima dixerunt. Quòd, qui de anima dixerũt, de eius ſuſceptiuo corpore nihil dixerũt: nec qualis anima quali corpore utatur. Atqui anima & corpus, illa quidem facit, hoc uerò patitur. Eorum autem, qui faciunt & patiuntur, habitudo quædam eſt & communicatio. Non enim quodlibet à quolibet patitur. Non enim albedo à dulci. neque ipſa anima in quoduis corpus egerit. Neque quoduis corpus à quauis anima patietur. Si enim ſecundum formam à ſe inuicem animalia differunt: Animatorum autem forma uniuſcuiuſque eſt anima: Ipſa enim ſubiectum perficit: Ipſa autem forma in differenti non fiet materia: uniuſcuiuſque enim formæ propria eſt materia: alia enim æris, & alia lapidis, & aliorum ſimiliter. Neq; ergo quælibet anima erit in quouis corpore. Quemadmodum ergo & eum, qui de ære naturaliter differit, non ſo-*

lum

lum eius formam, ſed & materiam oportet dicere. ut & ipſe in quarto Meteororum, & alibi quoq; fecit: Sic ergo & eum, qui de anima dicit, de corpore quoque eam ſuſcepturo dicere oportet, qualenam eſt natura & facultate: ſi quidem anima corporis eſt anima. Illi autem, cùm de anima dixerunt, de corpore nihil ante definierunt. Perinde ac contingat, inquit, iuxta Pythagoricas fabulas quamlibet animã in quodlibet corpus ingredi. Valde aſpera & mordaci reprehenſione utens, fabuloſa, inquit, & nec relatu digna ſunt, quæ ab eis dicuntur: cuiuſmodi eſt & illud Empedoclis.

*Ipſe puer quandoq; fui, quandoq; puella,*
*Arbuſtum, & uolucris, grádienſq; per æquora piſcis.*

Eſt autem hoc abſurdum. Vnaquæq; enim res propriam habet formam. Quare ſi diuerſæ ſunt animalium formæ: forma autem maxime anima eſt: non eadem erit anima omnium animalium. Quemadmodum enim alia ars alijs inſtrumentis utitur: & fabrilis nunquam tibijs utatur: ſic & animis propria ſunt inſtrumenta naturalia, quibus utentur corpora. Oportet enim ad animæ motus & impetus aptum corpus habere, quod eorum ſit ſuſceptiuum. Sicut enim ſe habet anima ad inſtrumentum, ſic ad corpus anima. Si itaque fieri non poteſt, ut ars quouis inſtrumento utatur: neque quælibet anima quolibet corpore utetur. Eos ergo oportebat de anima dicentes, de corpore quoque animã ſuſcepturo dicere: quod ipſe fecit in tractatu de partibus animalium. Fingi enim & formari unamquanq; partem neque ex ſola animali operatione, nec ex ſola corporali compoſitione, ſed ex ambobus. Quemadmodum oculus non eſt ſimpliciter, quæ ex tot & talibus tunicis, compoſita pars eſt, ſed cum tali animali facultate: Et hic quoque non ſolum de ſenſibus differet, ſed & de ſenſorijs, quæ ſenſitiuas facultates ſuſcepere. Rectè autem non dixit, omnibus, qui de anima uerba fecerunt, ſed plurimis, Platonem excipiens. Hic enim de anima differens, de eo quoque, quod illam ſuſcepit, corpore plurima uerba facit, & in Timæo, & in Phædro. Propterea enim caput & totum corpus ſupereminere, & rotundum eſſe, ut quod rationalis partis ſit maxime ſuſceptiuum, quæ corpori præeſt, eiq́; dominatur: Quandoquidem &, quod mundo præeſt, cœlum, &, quæ in animalis uita eſt, totum mundum ſupereminet, & rotundum eſt. Dicit autem, & cur cor ſit figuræ coni ſimilis: quoniam iræ ſedes in eo locata eſt, quæ eſt ignea: propterea imitatur & ipſum igneam ſubſtantiam ad coni ſimilitudinem figuratum. Et de iecore, & reliquis ſimiliter naturaliter differit. Atque de toto quoque humano corpore naturaliter differit in hunc modum. Quod totum quidem corpus ſupereminet, rotundum eſt caput: ſequitur autem reliquum, quod eſt rectum, id, quod humanæ animæ mixtum eſt, indicans. Dico autem, quod ex ratione eſt, & rationis uacuitate, ex mortali & immortali uita. Quæcunq; enim ſunt immortales uitæ, hæ ſolum quoque corpus rotundum ſunt adeptæ. Aeterno enim proprium eſt orbiculatum corpus, quod neque principium habet, neque finem. Quæ autem uitæ ſolæ ſunt mortales, ut ratione carentium, rectè ſolum corpora ſortitæ ſunt (rectæ enim, ut diximus, ſimiles ſunt irrationales uitæ) eaq́; obliqua & prona, deorſumq́; ſpectantia, ut quæ cum cœleſtibus nihil affine & cognatum habeant. Quod mixtum autem eſt, homo, proprium quoque & conueniens corpus aſſecutum eſt: ſuperius quidem rotundum, ut præſit rationale & æternum: inferius autem rectum, eo quòd rationale & immortale ſequitur mortalis & rationis expers uita. Hac quidem ratione & cum in Phædro dixiſſet de animæ immortalitate, & de corpore ei conuenienter, ut diximus, figurato, ait. Neque enim eo, quod eſt, nondum uiſo in hanc figuram ueniet: quaſi ſit aliqua anima, quæ, quod eſt, non uidit, & quæ nunquam in hanc humanam figuram ſit uentura, uidelicet ut imperet & præſit corpori, hoc Ariſtotelis ante eum dicens, non quamlibet animam in quæuis corpora ingredi. Quid autem dicebat, quod eſt? Scimus quòd intelligibile. Quod enim re ipſa eſt, hoc ut immateriale, & quod potentia nihil habet, ſed ſine potentia actu eſt: Quod non eſt autem, quodcunque ſenſile, eo, quòd in eo, quod eſt potentia, ſemper eſt, idem eſt autem dicere, in eo, quod non eſt. Sola ergo rationalis, ut intellectiua, quod eſt intellectiuum cognoſcit.

## Porrò & alia quædam opinio de anima tradita eſt.

Cùm Ariſtoteles eos omnes, qui de anima dixerunt, communiter reprehendiſſet, eo, quòd de illam ſuſcepturo corpore nihil diſſeruerint: Oportebat enim quoniam quæuis anima in quoduis corpus non uenit: ſed tali habitudine corporis opus eſt ad talis animæ ſuſceptionem: alia enim eſt temperatura & compoſitio eorum animalium, quæ ſecundum animoſam & iræ obnoxiam partem figurantur: alia eorum, quæ ſecundum deſideratiuam: alia timidorum: &, ut ſemel dicam, ad animæ operationũ aptitudinẽ corporis quoq; elementorũ tẽperaturæ, & inſtrumentorũ apparatus fuerint: Hæc ergo cùm dixiſſet, apte, quæ hæc conſequitur, de anima opinionem adiungit. Cùm enim quidam ad hoc reſpexiſſent, quòd non temere corpus eſt animæ particeps, ſed tali opus habet temperatura: ſicut & harmonia non quomodocunque ſe habentibus chordis fit, ſed tanta intentione opus eſt: animam quoque exiſtimauerunt eſſe corporis harmoniam: & iuxta differentes corporis harmonias eſſe quoque differentes animarum ſpecies. Hanc igitur ponit opinionem, & refellit. Et nunc quidem in his opinionem ſolum narrat: paulopoſt autem rationes quoque, per quas in hanc ſententiam inducti ſunt, ponit. Iam autem & alibi huic opinioni contradixit. Dico autem in Eudemo dialogo. Et ante eum Plato in Phædone quinque uſus eſt argumentis, dum huic opinioni repugnat. Hoc quidem primo. Harmonia & concentus accedit aptatis & concinnatis. Chordas enim eſſe oportet, & ſic eſſe poſitas, & ſic harmoniam accedere. Eſt ergo harmonia aptatis poſterior. Anima autem ante aptatum & concinnatum corpus præexiſtit, ſi quidem diſciplinæ ſunt reminiſcentiæ. Non eſt ergo anima harmonia. Hoc autem argumentum dictum eſt, tanquam prius oſtenſum eſſet animam præexiſtere, eo, quòd oſtenſum eſſet diſciplinas eſſe reminiſcentias. Tanquam ergo aduerſus rationalem animam hoc argumentum directum eſt. Aliorum autem argumentorum hæc quidem omni animæ conueniunt: illa autem ſoli animæ rationali. Ea eſt una quidem ratio: Hæc autem ſecunda. Harmonia, inquit, cum aptatis non pugnat, ſed ſequitur, ita ſe habens, ut ſe habent adaptata. Anima autem cum corpore pugnat, & ei imperat: non eſt ergo anima harmonia. Quòd autem fieri non poteſt, ut harmonia cum adaptatis pugnet, manifeſtum eſt. In eis enim ſuum eſſe habet. fieri ergo non poteſt, ut eis repugnet. Nihil enim non eſſe deſyderat. Anima autem corpus contemnit, & eius motibus & impulſibus aduerſatur id'que corruptum uellet, ut, quæ in eo eſſe ſuum non habeat. Tertia. Harmonia magis & minus ſuſcipit. Dicimus enim hanc lyram illa magis eſſe adaptatam. Anima autem magis & minus non recipit. Non enim fit anima ſeipſa magis uel minus anima, neque alia magis quàm alia, non eſt ergo anima harmonia. Quarta. Anima uitium & uirtutem admittit. Quorum uirtus quidem eſt harmonia: eſt enim animæ facultatum concentus: uitium autem diſcrepantia: eſt enim pugna & diſſidium facultatum animæ. Anima ergo harmoniam & diſcrepantiam admittit. Hoc enim uirtus eſt & uitiũ. Harmonia harmoniam

monium & diſcrepantiam non admittit. Ridiculum enim eſſet dicere, harmoniam diſcrepantiam admittere: uel rurſus manentem harmoniam diſcrepantiam ſuſcipere. Anima ergo non eſt harmonia. Quintò. Si anima harmonia eſt, non admittit diſcrepantiam. Diſcrepantia autem animæ uitium eſt. Si itaq; non admittit uitium anima, omnes ſimiliter erunt bonæ. Atqui ſecundũ falſum eſt. Dico autem conſequens. ergo & antecedens. non eſt ergo anima harmonia. Aduerſus tertiam autem rationem dicentem, Harmonia magis & minus harmonia eſt: Anima autẽ non eſt magis & minus anima, ſic enim accipit Plato propoſitiones, affertur quod ab Epicuro dicitur, quæ eam per ſimilia refellere nititur. Dulce, inquit, magis & minus recipit. Mel magis & minus non recipit: ſubſtantia enim eſt. Mel ergo non eſt dulce: quod eſt abſurdum. Vterq; autem ſyllogiſmus in ſecunda figura uidetur ſimiliter connexus eſſe, nec incommodè ratiocinationem inferre. Neceſſe eſt ergo uel utroſque eſſe ueros, uel ſi Epicuri ſyllogiſmus manifeſte falſus ſit, & non apte ratiocinatione colligens, Platonis quoq; talem eſſe. Eſt enim in omnibus ſimilis comparatio. Quòd autem non uerè ratiocinatione colligant, intellexeris, ſi, qui in utroq; ſyllogiſmo eſt, medium terminum acceperis, & in præſentia quidem Platonis. Non enim inuenies eundem medium terminũ in utriſq; propoſitionibus. Sic enim habet ſyllogiſmus. Harmonia magis & minus eſt harmonia. Anima non eſt magis & minus anima. Quare in maiore quidem prædicatum eſt magis & minus harmoniam eſſe: in minore autem magis & minus non eſſe animam. Quare non eſt unus medius. Ratiocinatione ergo non colligit. Similiter & in alio ſyllogiſmo: illic enim acceptum eſt prædicatum magis & minus dulce: hic uerò magis & minus mel. Non eſt ergo unum medium. Et ſi enim uidetur in utriſq; medium accipere, quod dicat. Mel magis & minus non recipit. Dulce autem magis & minus recipit. In utriſque enim unum prædicatum eſſe uidetur, Magis & minus recipere: ſed re uera unum non eſt. Non enim dulce ſimpliciter magis & minus recipit: ſed quatenus dulce: non enim quatenus corpus. Similiter & mel non ſimpliciter magis & minus non recipit, ſed quatenus mel eſt. Quatenus quidem dulce eſt, recipit. Similiter & anima, quatenus eſt anima, magis & minus non recipit: quoniam ſecundum affectus recipit. Oportet ergo in propoſitionibus accipere, quatenus hoc quidem illorum magis & minus recipit: illud uerò non recipit. His autem additis alius fit medius. Si autem alius eſt medius, non eſt ratiocinatiua connexio. Eſt autem uidere non ſimilem comparationem: Sed Platonem quidem ratiocinatione colligentem: At non Epicurum. Sic enim dico. Harmonia magis & minus eſt harmonia. Anima non eſt magis & minus harmonia: & ſic unum facio terminum. Apertior autem erit oratio, ſi propoſitiones non ſic acceperimus, ut accepit Plato, ſed parumper immutatas adaptauerimus. Hic enim accepit, Harmonia magis & minus eſt harmonia: nos autem ſic accipiamus. Omnis harmonia magis & minus recipit. Si enim ſic dicamus, non opus habet additamento, quatenus harmonia eſt: non enim in harmonia utrunq; eſt, neq; cum ſubiecto eſt, ut dulce: hoc enim dulcefactum corpus ſignificat: Sicut & ad harmoniam aptatum. Harmonia quidem ſimplex quid eſt, ut & dulcedo. Ipſam enim ſolam qualitatem ſignificat. Si enim ad harmoniam aptatum acceperimus, additione opus habemus. Omne ad harmoniam aptatum magis & minus recipit, quatenus ad harmoniam aptatum eſt. Si autem harmoniam, non itidem. Harmonia ergo recipit magis & minus. Anima autem, quatenus anima eſt, nõ recipit magis & minus. Animæ enim addi oportet, Quatenus eſt anima. Quare diximus, anima, quatenus eſt anima, non eſt harmonia. Sic ergo monſtrare licet ſyllogiſmo Platonem colligere: Epicurus autem non, ut qui in dulci argumentum ceperit, non dulcedine: nihil enim falſum collegiſſet. Verum enim eſt, quòd mel non eſt dulcedo. Quoniam ergo dulce utrunq; ſimul eſt, additione opus habet. Non enim uniuerſalis propoſitio uera erit. Quicquid eſt dulce, quatenus dulce, recipit magis & minus, & non ſimpliciter. Mel autem, quatenus mel eſt, non recipit magis & minus: ex quibus nihil colligitur. non eſt enim communis medius. Si ergo illud, quatenus hoc eſt, prædicatis additum fuerit, commune medium non accipiemus, ut dictum eſt. Si autem ſubiectis, ut quatenus dulce, dulce recipit magis & minus: quatenus mel, mel non recipit magis & minus: colligetur. Non eſt ergo mel, quatenus mel eſt, dulce quatenus dulce eſt. Id autem non eſt mente perceptibile. Hæc ſunt ergo quinq; Platonis argumenta. Vſus eſt autem & ipſe Ariſtoteles, ut dixi, in Eudæmo dialogo duobus his argumentis. uno quidem ſic. Harmoniæ, inquit, eſt aliquid contrarium, diſcrepantia. Animæ autem nihil eſt contrarium. Non eſt ergo anima harmonia. Dixerit autem ad hoc quiſpiam, quòd harmoniæ non eſt contrarium propriè contrarium, ſed indefinita potius priuatio, & animæ quoq;, ut quæ aliqua forma eſt, eſt aliquid oppoſitum indefinitum. & quemadmodum dicimus talem harmoniam mutari in non harmoniã, & diſcrepantiã: ſic & talem priuationẽ mutari in animam. Secundo autem. Harmoniæ, inquit, corporis contrarium eſt corporis diſcrepantia & inconcinnitas. Animati autem corporis diſcrepantia & inconcinnitas eſt, morbus, & imbecillitas, & deformitas. Quorum illud quidem non conueniens elementorum commoderatio & proportio eſt, uidelicet morbus: hoc uero ſimilarium partium, nempe imbecillitas, ſeu infirmitas. Tertium inſtrumentariarum partium, quæ dicitur deformitas. Si ergo diſcrepantia eſt, morbus, imbecillitas, & deformitas: harmonia utique eſt ſanitas: uires: & pulchritudo. Nihil autem horum anima eſt, neq; ſanitas, inquam, neq; uires, neq; pulchritudo. Animam enim habebat Therſites, quamuis eſſet deformiſſimus. Non eſt ergo anima harmonia. & hæc quidem in illis. Hic autem quatuor utitur argumentis, quæ hanc opinionem refellunt. Quorum tertium eſt, quod in Eudemo ſecundum dictum eſt. Quænam autem ea ſunt, uerba eius interpretando perſequentes ſciemus.

Multis quidem probabilis, & quæ nulla earum, quæ dictæ ſunt, inferior eſt.

Quòd credibilis quidem eſt opinio, quæ animam corporis harmoniã eſſe dicit, nunc ſimpliciter ponit: poſtea autem ubi illi contradixit, ſimul quoq;, cur ſit credibilis, exponit. Et in Phædone Simmias inquit, nullam de anima magis eſſe probabilem orationem, quàm, quæ eam harmoniam eſſe dicit.

Quæ tamen tanquam correctorium iudicium ſubire coacta, rationem reddidit ijs quoque, quæ vulgo dicuntur, orationibus. Harmoniam enim quandam eam eſſe quidam dicunt.

Et ſi credibilis, inquit, eſt opinio: ſed tamen tanquam correctorium iudicium ſubire coacta rationẽ reddidit, id eſt, cùm ad rationes uentum eſt, correcta eſt, & tanquam falſa refutata eſt. Deinde autem addit & ubi correctorium iudiciũ ſubierit. In ijs inquit, quæ uulgo dicuntur, orationibus. Dicit autem uel eas, quas cum alijs ſine ſcriptis exercuit, congreſſiones: uel externa ſua ſcripta. Quorũ ſunt et dialogi, ex quibus eſt Eudemus. Quæ ideo externa appellantur, quòd non ſuis ueris & germanis auditoribus ſcripta ſint, ſed ad cõmunem & multorum utilitatem.

Harmoniam enim eſſe temperaturam, & quandam contrariorum compoſitionem, eſſe autem corpus compoſitum ex contrarijs.

Expoſita

*Expoſita opinione, quòd animam harmoniam dicebant, affert & rationem, per quam eam confirmare nitebantur. Eſt autem hic ſyllogiſmus. Harmonia ex contrarijs eſt compoſita. Et Animatum quoq; corpus ex contrarijs eſt compoſitum, ex quatuor elemētis, uidelicet ſicco: humido: frigido: calido. animatum ergo corpus eſt harmonia. Ex contrarijs itaq; compoſitam eſſe harmoniam utiq; uerum eſt. Eſt enim harmonia ſecundum Pythagoreos uariè mixtorum, & quæ ſeparatim ſentiunt, unio. At animatum corpus ex contrarijs eſſe compoſitum non utiq; uerum eſt penitus. Cœleſtia enim, cùm ſint animata, ex contrarijs non ſunt compoſita: ſunt enim ſimplicia. Deinde nec alioqui ratiocinatione colligens ſyllogiſmi eſt connexio in ſecunda figura, quæ ex duabus conſtat affirmatiuis. Deinde & ſi maxime ratiocinatione colligeret, non quòd anima harmonia eſt colligeret, ſed quòd corpus. Temperaturam autem & compoſitionem dixit harmoniam. Temperaturam quidem elementorum. Dicimus enim rectè aptatam & cōgruentem eſſe uini & aquæ mixtionem. Dicimus autem & in appoſitione harmoniam. Dicimus enim pulchre & concinne aptatam eſſe portam, quam compoſitionem appellauit, Dico autem appoſitionem. Quando enim ita compoſitæ ſunt tabulæ, ut nihil cognatum & quod ſit eiuſdem generis admittant, rectè concinnatam portam eſſe dicimus.*

55 Atqui harmonia quidem mixtorum ratio quædam eſt, vel compoſitio. Neutrum autem eorum animam eſſe fieri poteſt.

*Hinc ſunt confutationes. & hoc quatuor argumentorū primum eſt. Eſt autem ſyllogiſmus talis. Harmonia ratio eſt, hoc eſt proportio, uel compoſitio mixtorū. Anima autē nec proportio eſt, nec compoſitio. Anima ergo non eſt harmonia. Quòd autē neq; proportio, neq; compoſitio eſt anima, nunc quidem tanquā manifeſtum accepit: abſurdum enim compoſitionem uel proportionem animā dicere, ut duplam: uel hemioliam: uel quamuis aliam: uel rurſus compoſitionem, quæ eſt corporum appoſitio. ſubſtantia enim eſt anima. Eorum autem neutrum eſt ſubſtantia. Poſtea autem idipſum quoq; progreſſus oſtendit.*

Præterea harmoniæ non eſt mouere. Hoc autem omnes animæ in primis, ferè dixerim, tribuunt.

*Hic eſt ſecundus ſyllogiſmus, & ipſe in ſecunda figura. Harmonia, inquit, non mouetur ex ijs, ex quibus eſt. Neq; enim chordas mouet harmonia. Anima autem mouet corpus, cuius eſt animæ. Non eſt ergo anima harmonia. Nullo enim motu mouet harmonia ea, quorum eſt harmonia. Neq; enim ſecundum locum mouet ea, quæ numeroſè aptata ſunt, harmonia. Artifex enim ea mouet exterius, nec ſecundum quantitatē, nec ſecundum alterationem. Neq; enim harmonia chordas alterat, ſed ipſa motis uel alteratis chordis accedit. Non autem, cùm acceſſerit, ea, in quibus eſt, alterat.*

56 Magis autem conuenit de ſanitate harmoniam dicere, & de corporeis omnino virtutibus, quàm de anima.

*Hoc eſt tertium argumentum. Eſt autem ſecundum eorum, quæ ſunt in Eudemo. Quòd autem harmonia ſanitas eſt, in illis oſtendit, ex morbo, qui eſt contrarium. Syllogiſmi autem ductū ſuperius diximus.*

Manifeſtius autem, ſi quis animæ affectus, & opera alicui harmoniæ attribuere conetur. Adaptare enim eſt difficile.

*Aperte, inquit, abſurda uidebatur oratio, quæ dicit animam eſſe harmoniam, ſi unumquodq; operum uel animæ affectuum alicui harmoniæ aſſignare conemur. Si enim anima harmonia: & eius opera, & affectus erunt harmonia. Quemadmodū ergo & eius, quæ ſimpliciter harmonia eſt, partes & ſpecies ipſæ quoq; ſunt harmoniæ: Cuiuſmodi ergo harmonia ira, uel cupiditas, uel ſenſus, uel reliqua? utrum lydia, uel phrygia, uel iaſpia, uel quæ alia? Si autem nihil eorum eſt harmonia, ne anima, quidem, ex qua hæc ſunt. Hoc ergo quartum eſt argumentum. Sic autem habet ſyllogiſmus. Si anima eſt harmonia. Harmoniæ autem ſpecies lydia, phrygia, & reliquæ. Earum ergo aliqua eſt anima. Atqui hoc eſt abſurdum. Non eſt ergo anima harmonia. Sed ad hoc rurſus dixerint. Non eam, quæ in cordis eſt, harmoniam animam eſſe dicimus: ſed aliquam eiuſmodi cōpoſitorum uel commixtorum proportionem. Neq; enim corporis harmonia, uel elementorum ſecundum facultates, uel inſtrumentariorum ſecundum compoſitionem, uel lydia, uel phrygia eſt harmonia. Nunquid autem non ad hoc rationem deducit Ariſtoteles, ſed illud. Alicui harmoniæ, id eſt ei, quæ eſt ſecundum concinnatarum rerum proportionem, non autem lydiæ, uel phrygiæ: Sed hoc eſt eorum, qui interpretantur. Quòd autē fieri non poteſt, ut alicui corporis harmoniæ animæ opera & affectus attribuantur, per ipſum exitum apertum eſt. Mentē enim, uerbi gratia, duplam eſſe temperatorum proportionem: ſenſum autem uerbi gratia, hemioliam: ſed & aliam proportionem aliam facultatem ridiculum: ſed neq; hoc fingere eſt facile.*

Præterea autem ſi dicimus harmoniam ad duo reſpicientes. Magnitudinum quidē valde propriè in ijs quæ motum, & poſitionem habent. Et poſitionem eorum cōpoſitionem, quando ſic concinnant, & componunt, vt nihil cognatum & quod ſit eiuſdem generis admittant. Hinc autem & mixtorum rationem, ſeu proportionem. 57

*In primo ſyllogiſmo dixit harmoniam mixtorum eſſe proportionem, uel compoſitionem: eorum autem animam neutrum eſſe. Cur autem anima neutrum eorum eſſet, illic quidē ſine demonſtratione accepit: hic autē deinceps oſtēdit. Dicimus enim, inquit, harmoniam duobus modis. Et ſecundum primum quidem modum corporum compoſitionem, quando ſic appoſita fuerint ut nullum cognatum, uel eiuſdem generis corpus inter ea poni poßit: ut quando adeò exactè compoſiti fuerint lapides, ex quibus domus cōſtat, ut nullus inter eos lapis, uel lignum, uel quod aliud cognatum & graue corpus inijci poßit, concinnatos & compoſitos dicimus eſſe lapides, & harmoniam eorum compoſitionem. Addidit autem cognatum, quoniā fieri poteſt, ut aēr, uel glutinum inter compoſita inijciatur, uel quid eiuſmodi. Ex ijs autem, inquit, transferimus harmoniæ nomen ad mixtorum quoq; proportionem: ſicut in temperatis, & in ijs, quæ ſunt ſecundum muſicam. Mixtorum enim proportionem hemioliā, uel ſupertertiam, uel aliquam aliam dicimus ex compoſitis ſecundum metaphoram harmoniam. Cur autem, cùm dixiſſet, Magnitudinum quidem ualde propriè, ſubiunxit, In ijs, quæ motum & poſitionem habent? Ad mathematicarum differentiā. ſunt enim & hæ magnitudines: ſed quæ neq; motum, nec poſitionem habent, quoniam neq; ſubſiſtentiam: in ſola enim mentis conceptu eſſe habent. Et motum quidem, ut naturalia corpora à mathematicis diſtinguat: poſitionem autem, ut & lineas, & ſuperficies naturales mathematicis opponat, & ab eis diſcernat. Poſitionem enim hæc naturalia dico, etſi motum non habeant. Cur autem ſecundum primum modum harmoniam in appoſitione dicit conſiderari? Dico autem ideo, quòd ſit nobis magis cognita. Et enim in prædicamentis & primò & maximè indiuiduam dicit eſſe ſubſtantiam, uel ut nobis magis cognitam.*

Neutro

Neutro autem modo rationi conſentaneũ: Neq; partium corporis compoſitio valde facile inquiri poteſt. Multæ enim partium compoſitiones, & multis modis. Cuius enim, vel quomodo exiſtimare oportet mentẽ eſſe compoſitionẽ, vel etiã ſenſitiuũ, vel appetitiuum?

Neq; compoſitiouem, inquit, neq; mixtionem animam facere rationi couſentaneum eſt: ſed nullo magis modo cõpoſitionem. ea enim oratio facile refelli poteſt. Si enim ſimilariũ compoſitio animam facit, quoniam in unaquaq; inſtrumentariarum partium ſimilarium compoſitio eſt, & manus enim ex oßibus, & neruis, & carnibus, & reliquis: ſimiliter & pes, & caput, & reliqua: ſecundum unamquamq; partem anima fuerit. Si enim ſimpliciter compoſitio anima eſt: unaquæq; autem alia pars aliter componitur: & animam habeat, & unuſquiſq; multas. Aliter enim omnis manus compoſita eſt, & aliter manus partes digiti, uel quid aliud, & in unaquaq; parte plures animæ. quod à ratioue eſt alienum. Non eſt ergo compoſitio anima. Si quidem nulla animæ pars alicui corporis cõpoſitioni congruit. Ex quali enim compoſitione mens uel ſenſus? neq; ergo tota eſt tota cõpoſitione. Ex ea enim, quæ per ſingula eſt, cõpoſitione tota compoſitio. Secundum qualem ergo compoſitionẽ, & cuius partis ſit animæ unaquæq; facultas, uel fingere eſt difficile, ut ipſe dicit. Multæ autem partiũ compoſitioues, & multis modis. Multæ quidem, quoniam multa quoq; ſunt membra. Multis autẽ modis, quoniam aliud aliter ſimilarium compoſitionem habet.

58 Similiter autem eſt abſurdum & mixtionis proportionem eſſe animam. Neq; enim eandem habet rationem elementorum mixtio, ſecundum quam caro, & ſecundum quam os. Multas ergo habere animas continget, & per vniuerſum corpus. Siquidem omnia ſunt ex mixtis elementis. Mixtionis autem proportio harmonia eſt, & anima.

Et ſecundam alterum harmoniæ ſignificatum abſurdum eſt animam harmoniam dicere. Quoniã enim multæ ſunt in corpore temperaturarum proportiones ſecundum ſimilares partes: eadem enim ſunt elementa: eorum autem temperaturæ proportio, alia quidem in oſſe: alia in carne: alia in ſanguine: & in alijs ſimiliter. Secundum hanc ergo rationem corpus multas animas habeat neceſſe eſt: ſiquidem temperatura quidẽ harmonia eſt, harmonia autẽ anima. Multæ autem ſunt partium corporis temperaturæ. Si quis autem dicat, quòd non quamlibet ſimpliciter compoſitionem ſiue harmoniam animã dicebant, uel huius etiam partis harmoniam, ſed totius compoſitionem & harmoniã, hoc eſſe animam: Dicimus, quod maxime quidem tanquam ſimpliciter harmoniam dicant, & non diſtinguant, ab eis oratio probata eſt: deinde & ſi quis hanc rationem confutauerit, aliæ quidem certe ſunt quæ confutari non poſſunt. In omnibus autem dicemus, quòd ſi harmonia anima eſt, quæ ſuperiora ſunt, inferiora faciet. Erunt enim inanimata animatorũ cauſæ: irrationalia rationis: inſenſilia ſenſus. Quod eſt abſurdum, ut deteriora meliorum eſſe cauſæ dicantur.

59 Hoc autem quiſpiam ab Empedocle quoque petiuerit. Eorum enim vnumquodq; in aliqua ratione & proportione eſſe dicit. Vtrũ ergo proportio anima eſt, vel potius, cùm ſit aliquid aliud, membris ineſt? Præterea verò vtrum amicitia cuiuslibet mixtionis cauſa eſt, an eius, quæ eſt ſecundum proportionem? Et ipſa vtrum eſt proportio, an præter proportio
nem quid aliud? Hæc ergo habent tales dubi- 60
tationes.

Cùm eos refelliſſet, qui harmoniam animam eſſe dicunt, eo quòd oſtenderit, quòd quamcunq; ſpeciem harmoniæ poſuerimus, & eam, quæ ſecundum temperaturam, & eam quæ ſecundum compoſitionem, abſurda multa ſequentur, ueluti in digreſſione aduerſus Empedoclem mouet dubitationem ex iſs, quæ dicta ſunt. Quoniam & ipſe ex elementorum temperatura partium animalium formas fieri dicebat: Dicebat enim, quòd hæc quidem ratio ſeu proportio elementorum carnẽ facit: illa uerò os: alia autem aliquid aliud: & eius in ſequentibus uerba afferet, quæ hoc conantur dicere: quæ eſt iu unaquaq; parte elemẽtorum temperaturæ proportio? Quoniam ergo partiũ formas eſſe temperaturæ proportionem dicebat, eſt autem & anima totius animalis forma, iure quærit, utrum & ipſa mixtorum proportio eſt, ex quibus totum animal: uel, cùm ſit aliquid præter proportionem, mixtis ineſt. Si enim mixtorum ratio & proportio anima eſt, quomodo dicit? Nam terram terra conſpeximus. Non ſunt enim elementa proportio. Præterea autem, ſicut iam dixit, ſi multæ ſunt in animali animæ: uel potius in uuaquaq; parte: quandoquidẽ & multæ rationes: ſi cùm ſit aliquid aliud præter rationem, mixtis ineſt, quid eſt, & quomodo ineſt? Si autem elementa anima, cur in alijs quidem formis, oßis, & carnis, & ſimilium, non elementa, ſed proportionem cauſam eſſe dixit: in anima autem ipſa elementa? Si enim forma materia melior eſt, ſunt autem elementa animalis partium materia, forma autẽ proportio. Melior ergo elementis eſt eorum temperaturæ proportio. Quare deteriores formæ, os dico, & carnem, & ſimilia, ex melioribus erunt, dico autem ex proportione temperaturæ, uel ipſa erũt potius proportio. Melior autẽ forma, nempe anima, ex deterioribus, Dico autem materia: ea enim erant aliarum formarum materia. Meliora ergo ex deterioribus erunt, quod eſt abſurdum. Deinde quoniam Empedocles amicitiam quoq; dicebat elementorum eſſe temperaturæ cauſam, cõſequenter & de ea dubitat. Amicitia enim uel cum mixtione eadem eſt, ut mixtio amicitia ſit, uel alia. Et ſi alia, uel cuiuslibet mixtionis cauſa eſt, uel eius, quæ eſt ſecundum proportionem. Si ergo cum mixtione eſt eadem, quæ mixtionis cauſa eſt? Neq; enim omnino fieri poteſt, ut ſine cauſa generationẽ habeat, ut inquit Plato. Si autem alia, cuius eſt mixtionis cauſa? Si quidẽ cuiuslibet: continget formas fieri ex mixtione qualibet, non has ſolum quæ generantur, ſed & diuinas, quod eſt abſurdũ. Non enim uidemus, quòd quælibet mixtio quodlibet facit: ſed cuiuſcunq; formæ definita eſt mixtionis ratio. Si autem eius, quæ eſt ſecundum proportionem, quod & rationi eſt conſentaneum: & ſi neq; hoc ipſe Empedocles dixerit: neq; ex iſs, quæ ab eo dicta ſunt licet colligere, dicere oportebat quænam ea ſit, & quam naturam habeat. Non enim amicitiam dicere ſatis eſt, ſed addere etiã oportebat, quid eſt amicitia. Hæc ergo aduerſus Empedoclem dicere conuenit. Diuiſionem autem non ſic fecit Ariſtoteles, ut diximus, melius autem ſic habet. Cùm hæc ergo in digreßione aduerſus Empedoclem dixiſſet, reuertitur ad ſuum de harmonia inſtitutum.

Si autem aliud eſt anima, quàm harmonia: quî fit, quòd ſimulac carni eſſe aufertur, ſimul etiã tollitur alijs quoq; animalis partibus eſſe?

Exponens eorum opinionem, qui harmoniam dicunt eſſe animam, hanc orationem dicebat eſſe probabilẽ. Cùm ei ergo contradixiſſet, nũc cauſas ponit, propter quas probabilis eiuſmodi eſſe uidetur oratio. Et, ut paucis dicam, hoc ait. Si non eſt anima harmonia, quæ ſecundum mixtionis proportionem efficitur, quare ſublata corporis harmonia, una etiam tollitur anima?

Si enim

*Si enim anima aliud eſt ab harmonia, ut cytharœdi à cythara: quemadmodum laxata fidium harmonia, cytharæ cytharœdum adeſſe nihil prohibet: cùm is alius ſit à cythara & harmonia: ſic & animam, ſiquidem non idem erat, quod harmonia, oportebat harmonia reſoluta adeſſe corpori. Hæc ergo eſt propoſitorum ſententia. Dictionis autem contextus ſic habet. Si anima à mixtione eſt aliud, id eſt, ſi harmonia non eſt anima: harmonia autem, quæ eſt ſecundum mixtionem & temperaturam (eſt enim & ea quæ eſt ſecundum compoſitionem) cur ſimul at carni eſſe auffertur, ſimul etiam tollitur alijs quoq; animalis partibus eſſe pro eo quod eſt. Cur unius partis harmonia ſublata, una etiam tollitur reliquarum quoq; partium harmonia? ut nos exterius ratiocinatione colligamus, quòd omnium partiũ harmonia ſublata, una quoq; tollitur anima. Et in carne, ut pote manifeſtiore, id quod dicitur, aperit Si enim carnis forma ex animali ſublata ſit, reliquarum quoq; partium formæ una ſublatæ fuerint, oſſium, neruorum, & reliquorũ: cum his autem una quoq; animæ. Non ſolum enim carne ſublata reliquorũ ablatio ſequitur, ſed & uno aliorum, quæ dicta ſunt. Sic autem exponit Alexander admodum apposite: ut ipſa dubitatio ſimul etiam ſit ſolutio reliquorum, quæ de harmonia dicta ſunt, uel potius unius quod dicit, ex eo, quòd animam dicant harmoniam, multas in uno corpore animas contingere animal habere. Si enim, inquit, anima non eſt harmonia, ſed quid aliud à mixtione: cur carnis mixtione corrupta, reliquarum quoq; partium una corrumpitur mixtio? Si enim hoc ita eſt, uideatur una quoque omnium eſſe partium mixtio, & non plures. Cur enim cum una corrũpuntur omnes? Sic ergo una erit anima, & non plures. ad quod abſurdum deducere uidebatur oratio, quæ animam harmoniam dicebat. Quare ſi una mixtione ſublata ſimul etiam tollitur animal, una ergo eſt & anima, quæ eſt harmonia. Exponit autem & aliter. Si non eſt anima harmonia, cur cum carne ſublata una quoque tollitur? Deinde tanquam ab alio principio. Similiter & alijs animalis partibus, pro eo quod eſt, una cum alijs partibus tollitur unaquæq; ſublata. Partes autem accipit ſimilares, os, carnem, neruos, uenas, & reliqua. Earum enim qualibet ſublata, unaquoq; tollitur animal: ſed non inſtrumentariarum qualibet. Tolli autem dicit non ipſum ſimilarium ſubiectũ, ſed formam. Et ideo non dixit, carne ſublata, ſed carni eſſe.*

Deinde, ſi non vnaquæq; partiũ habet animam, ſi non eſt anima mixtionis proportio, quid eſt, quod corrumpitur, cùm reliquit anima?
61 Quòd itaq; fieri non poteſt, vt anima ſit harmonia, nec vt circulo circunferatur, ex ijs, quæ dicta ſunt, apertum eſt.

*Altero modo circa idem dubitat, uel potius non omnino altera dubitatio eſt ab ea, quæ præcedit, ſed conuerſo potius modo ad illam habet, cùm ſit eadem. Prius enim dubitauit, cur compoſitione, & corporis harmonia corrupta, una perit anima, ſi non eſt harmonia. Nunc autem contra. Cur, cùm anima corpus reliquerit, corrumpitur harmonia? Illic quidem ab harmonia incipiens in animam deſinit: hic autem ab anima in harmoniam corporis. Si enim nõ eſt, inquit, harmonia corporis anima, quare, cùm anima corpus reliquit, eueſtigio corrumpitur Harmonia? Non aperte autem hoc dixit. dico autem illud, Non eſt harmonia corporis anima, ſed, quod eam abſurdum opinionem ſequitur, ut prius accepit. Quòd autem anima dicebatur harmonia, abſurdum ſequebatur, quòd in ſingulis partibus erat anima. Si ergo, inquit, non eſt in unaquaq; parte anima, id eſt, ſi anima non eſt hamonia: Et ideo quia obſcuritatem ſentiebat, quod dixerat repetiuit, dicens: Si non eſt anima mixtionis proportio, deinde ſubiungit. Quid eſt, quod corrumpitur, cùm anima corpus reliquit? pro eo quod eſt, Dum corrumpitur animal, quãdo anima corpus reliquit, nihil aliud uidemus, quod corrumpatur, quàm temperaturam & corporis harmoniam. Quæ enim contemperata ſunt elementa non corrumpuntur, ſed adhuc ſunt. Anima ergo eſt harmonia, ſiquidem animæ corruptio nihil aliud efficit quàm harmoniæ corruptionem. Porrò Ariſtoteles quidem, cùm dubitaſſet, ſolutionem non attulit, ut & quæ aperta ſit, & in prioribus quodammodo dicta ſit. Eam autem ſic ſoluerit, ut et alias diximus, quod cõpoſitio, et mixtionis proportio, idem eſt autem dicere, harmonia, eorum ſine quibus non, rationem habent ad animam. Neq; enim fieri poteſt, ut ſi ea non ſint, corpus ſit inſtrumentarium. Quòd ſi non ſit inſtrumentarium corpus, fieri non poteſt ut in eo ſit anima. Atqui non ſunt illa tamen anima. Vt non ſine lapidibus & lignis quidem domus eſt. non ſunt autẽ lapides & ligna domus. Et quemadmodum non ſine aeris perſpicuitate lumen operatur: non tamen lumen idem quod perſpicuum. Sic & in anima habet & corporis harmonia. Cur ergo ſublata harmonia, tollitur quoq; anima, uel animæ potius in corpus operatio? Quemadmodum & perſpicuo aere ſublato, non lumen tollitur, ſed eius in perſpicuum operatio. Rationem uidelicet eorum, quæ non ſine, obtinet harmonia ad operationem animæ. Rurſus autẽ relinquente anima relinquet quoq; harmonia: eo quòd ea eſt id, quod continet, & ſemper adtexit id, quod ex ijs, quæ ab illa concinnata, & compoſita ſunt, deficit. Quòd autem non eſt anima harmonia per plura demonſtratum eſt. Dicere autẽ cytharœdum cytharæ adeſſe, chordarum quoq; harmonia ſoluta, perinde eſt, ut ſi quis indoctum ei quoq; adeſſe dicat quiſpiã, uel etiã quidpiam omnino inanimatum. Non enim, ut cytharœdus, uel ut ad eam habitudinem habẽs, adeſt: ſed ut ſi lapis adeſſet. Neq; enim in eam operationem cytharœdicè exercere poterit, ſi non compoſita & concinnata fuerit: ut neq; anima in corpus non cõcinnatum. Hoc ergo exemplum ei magis, quod in anima ſit, accedit, quàm ei repugnat. Adeſſe enim fortaſſe animam quoq; corpori uel poſt exitum nihil prohibebit. non autẽ in ipſum quoq; operari contingit.*

Per accidens autem moueri, vt dicebamus, eſt, & ſeipſam mouere. vt moueri quidem id in quo eſt: id autẽ ab anima moueri. Aliter fieri non poteſt, vt ipſa ſecundũ locũ moueatur.

*Cùm, quòd anima per ſe moueatur, peremiſſet, quod dicebãt Democritus & Timæus: ille quidem ſecundum rectum mouẽs, hic uerò circulo: Cùm ergo oſtendiſſet, quòd per ſe eſt immobilis, nunc dicit, quòd per accidẽs ſe ipſam quoq; mouere dicatur, eo, qui ſecũdum locũ eſt, motu. Quoniam enim ipſa corpus mouet: eſt autẽ in eo, dum corpus mouetur: Cum eo ergo mouebitur. Quare per accidens ſeipſam mouet, eo quòd corpus mouet, in quo eſt. per ſe autẽ, & ſecundũ ſubſtantiam neq; mouetur, neq; in loco eſt, quoniam & incorporea eſt. Solo ergo, qui ſecundũ locũ eſt, motu ſeipſam mouere dicatur anima per accidens: alio autem nullo. Neq; enim alteratur corpore alterato, neque augetur, uel minuitur. Per accidens autem moueri, ſicut diximus. Dicebat enim quando Timæo cõtradicebat, incerta eſt autẽ cauſa, cur cœlũ circulo feratur. Neq; enim animæ ſubſtantia cauſa eſt, quòd cœlũ circulo feratur, niſi per accidens.* Cap. iii

De ea autem iuſtius quiſpiam dubitauerit, 62
quòd moueatur, ſi ad talia reſpexerit. Dicimus enim animam dolere, gaudere, cõfidere, timere: præterea autem iraſci, & ſentire, & cogitare. Hæc autem animæ motus eſſe vidẽtur: vnde & eam moueri quis exiſtimauerit.
63 Illud autem non eſt neceſſarium.

*Cùm,*

*Cùm, quòd ea per ſe ſecundum locum moueatur, peremiſſet. Si enim, inquit, ſecundum locum per ſe mouetur & iam in loco eſt: Si autẽ ita eſt, & corpus quoq; eſt. Cùm hoc ergo peremiſſet, nunc quoniam alteratiuis quidem motibus moueri uidetur maximè, alteratur enim per timorẽ & iram, & reliquos affectus, aduerſus hoc contendere aggreditur. Et quòd anima quidem ſic moueri uideatur, hoc modo confirmat. Anima dolet: gaudet: & timet: & ſimilia: Hi autem ſunt motus. Anima ergo mouetur. Earum autem propoſitionum maiori quidem adſentitur dicenti timorem, & iram, & cætera eſſe motus. Minori autem non ita. Non enim concedit animam his affectibus per ſe affici, ſed eſſe utriuſq; ſimul. Animalis enim ſunt hi affectus ſecundum animam. Hoc autem ex manifeſtioribus comprobatur: Quemadmodum enim, inquit, texere, uel ædificare, non iure animæ opera eſſe duxerimus ſed neq; corporis: ſed animalis corpore: ſic in eo, quod eſt iraſci, & timere, & ſimilibus; animalis eſſe hæc anima dicimus. Animal enim eſt, quòd illic quidem ſecundum corpus texit & ædificat: hic autem ſecundum animam iraſcitur, & dolet. Quare & ſi eius concedantur eſſe motus, non ſunt animæ per ſe, ſed utriuſq;. Quærimus autem nos, an ipſa per ſe mouetur anima. Quæſiuerit autem quiſpiam, quomodo cogitationem quoq; utriuſq; eſſe dicit. Aliæ enim, cùm ſint ratione carentis animæ partis, quæ non eſt à corpore ſeparabilis, ſed eſt animati corporis forma, tanquam in materia, nempe corpore, exiſtens forma inſeparabilis: ſi ergo ſine per ſe quidem eſſe poteſt, merito eius nulla ſolam operatio eſſe dicitur, ſed utriuſq;. Cogitare autem rationalis eſt animæ, quæ eſt ſeparabilis. Quomodo ergo eſt & hoc utriuſq;? Dicimus ergo, quòd rationalis anima, quando extra corpus eſt, & ab ea, quæ ad ipſum eſt, habitudine ſeparata eſt, cogitatione non utitur. Non enim quærit & inuenit: neq; per propoſitiones ad concluſiones procedit. Sed, cùm mens pura ſit, ſine inquiſitione rebus ſe applicat, ut quæ omnium in ſe rationes habeat, & corporis mole non perturbata ad eas aggreditur ſine tempore, quando uult. Ignorantiæ enim ei cauſa corpus eſt, & propterea inquiſitione & inuentione opus habet. Quoniam enim eius ad ipſam uinculũ non ſine habitudine & relatione ad ipſum, eſt, ſed conſentiens & compatiens: ab animæ motibus ad corpus tranſeunt ueſtigia, & ex corporis ad animam. Alia itaque ſpecies eſt & eius, quod cogitat, & eius quod dolet. & in reliquis, ut dicebã, in corpore apparet aliquod ueſtigium motus animæ. Vnde & qui ſunt Phyſiognomoniæ periti animæ cõſtitutionẽ & affectũ ex formæ corporis cõijciunt. Quòd autẽ ex corporis quoq; affectu ad animã aliquid tranſit, clarũ eſt. Cum dolente enim ſimul dolet: Cum gaudente collætatur. Quòd autẽ corpus hoc uel illo modo affectum ei impedimentum præbet, uel non præbet, nemo eſt qui ignoret. Quod quidem non fieret, ut ea ab illo impediretur, niſi ab ea, quæ ad ipſum eſt, habitudine aliquid ad ipſam tranſiret, ita ut poſteriore cerebri uentriculo affecto, una afficiatur & memoratiua facultas. alia autem ipſa quoq; ratiocinandi poteſtas: & ſic quidem affecto corpore facile imaginetur anima, ſic autem difficiliter. Porrò differentes animarum aptitudines, & quod ad hos, uel illos affectus ſunt procliues, ab ea, quæ ad corpus eſt, habitudine, & conſenſione proficiſcuntur. Vnde & nonnulli exiſtimauerunt corporis temperaturas animæ facultates ſequi. Propterea ergo cogitationem, quæ imperfecta eſt, utriuſq; eſſe dicit.*

Si enim vel maximè dolere, vel lætari, vel cogitare motus ſunt, & vnumquodq; eorum moueri: moueri autem eſt ab anima, vt iraſci, vel timere, eo quòd cor ſic moueatur: cogitare verò vel tale, fortaſsis autem aliquid aliud.

*Non eſt, inquit, ex iis quæ dicta ſunt, neceſſariũ dicere animã moueri. Quomodo autem non eſt neceſſarium, per ſequẽtia adſtruit, dans per conceſſionem motus eſſe quæ dicta ſunt. Hoc autem monſtrat per hoc. Si enim uel maximè, pro eo quod eſt, etiam ſi maximè conceſſerimus. Et ſuperius etiam dum dicit. Hæc autem omnia motus eſſe uidentur. Habet autem contextus obſcuritatem, quod multis interiectis, ſententiæ redditionem paulo longiorẽ fecerit, Eorum autem, quæ dicta ſunt, redditio in eo eſt, Dicere autem animam iraſci. Eſt autem hoc ut ad conſtructionem ſupercaneè: eo autem quòd multa interpoſuiſſet, ſententiã rurſus accipiens inchoatiua, Autem, coniunctione uſus eſt. Dictionis uerò contextus conſtructio ſic habet. Si enim uel maximè dolere, uel gaudere, uel cogitare motus ſunt, & unumquodq; moueri: Dicere eam iraſci, ſimile eſt, & cætera. Sicut enim texere, inquit, uel ædificare non eſſe animæ quiſpiam dixerit, ſed hominis corpore: Sic miſereri, diſcere, iraſci, & ſimilia, hominis opera ſunt per animam. Quare & hi motus non ipſius per ſe animæ ſunt motus, ſed utriuſq; ſimul per animam. Eſt autem, quod quæritur. Vtrum anima per ſeipſam mouetur? Hæc itaq; eſt dictionis contextus conſtructio. Reliqua autem per interpoſitionẽ dicta ſunt. Cùm enim dixiſſet quòd dolere & gaudere & reliqua motus ſunt, quomodo ſunt motus expoſuit. Iraſci enim, inquit, uel timere, & eiuſmodi, motus ſunt, qui ab anima fiunt. Quòd autem motus ſunt, manifeſtum eſt. eorum enim unumquodq; ſic corde moto fit. In ira enim ebullit ſanguis, qui eſt circa cor, & eſt in ſuperficie. In timore autem in profundum contrahitur. Et ipſa quidem ſic uel ſic uibrat & exagitat. Non ſolum autẽ hæc & eiuſmodi ab anima ſecundum aliquem motum fiunt, ſed & ipſum cogitare non ſine tali motu fit, cerebro, uel aliqua alia parte motũ ſuſtinente. Vnde & cogitantium uultus alieniores fiunt, & immutantur.*

Eorum autem alia quidem accidunt, cùm ſecundum localem motum quædam mouentur: alia autem ſecundum alterationẽ. Quænam autem ea ſunt, & quomodo, alius eſt tractatus. Dicere autẽ animam iraſci, ſimile eſt, 64
vt ſi quis dicat animam texere, vel ædificare. Melius autem fortaſſe non dicere animã miſereri, vel diſcere, vel cogitare, ſed hominem anima.

*Eorum, iraſcendi ſcilicet, timẽdi, cogitandi, & reliquorum, alia quidem accidunt dum locali motu quædam mouentur: alia ſecundum alterationem: alia uerò ſecundum localem motum, & ſecundum alterationem. Iraſci enim ſecundum utrunq; accidit. Cor enim uibratur & palpitat, quod eſt ſecundum locum motus: & alteratur, qui circa cor eſt, ſanguis. Ebullitionem enim eſſe dicimus ſanguinis, qui eſt circa cor. Ebullitio autem alteratio eſt. Miſereri autem, uel timere, uel gaudere alterationes quædam ſunt. Fortaſſe autem & ſecundum locum motus, diffuſione uel contractione facta ſanguinis. Cogitare autem alteratio quædam & cerebri, & reliqui corporis, maximè autem uultus. ſed ipſa quidem ſequitur, quæ fit per cerebrũ, & ut cauſa quædam eſt. Vnde & qualis eſt cerebri temperatura, tales & tales facit circa rationales operationes. Cogitare autem, inquit, uel tale, uel forte aliquid aliud. Vel tale, id eſt motus ſecundum locum. Eo enim cor moueri dicebat, cùm in ira uibratur & palpitat. Vel ſi hoc non eſt cogitare: Sed tale quidem certe eſt, id eſt alteratio. Quales autem, & quomodo, alterius tractatus, id eſt, quales ſunt motus uniuſcuiuſq; partis, uel operis animæ, ut quales motus in iraſcendo accidunt: Vtrum uel ſecundum locum uel alterationem: Similiter in dolendo, gaudendo, uel cogitando, uel quomodo hi fiunt, id eſt qua parte coniuncta animali affectus:*

ut cup

*at cupiditati quidē iecore, iræ autē corde, et alij aliqua alia: & quomodo hoc mouetur, id eſt quomodo affectū à motu affectus animalis: alterius fuerint hæc tractatus. fuerit autem uel tractatus de partibus animalium, uel de motu animalium.*

Hoc autē nō tanquā in illa ſit mot⁹, ſed aliquādo quidē vſq; ad illā: aliquādo aūt ab illa. Vt ſenſus quidē ab his. reminiſcētia aūt ab illa ad eos, qui ſunt in ſenſorijs, motus, vel ſtatus.

*Quoniam dixit, quòd oportet dicere hominē anima moueri, non ita, inquit, dixi tanquam in ea per ſeipſam ſit motus: ſed quòd aliquando quidem uſq; ad illam fit motus, qui à corpore incepit, ſicut habet in ſenſu. à ſenſilibus enim fit initium ad ſenſoria. Deinde his uel diſcretis uel concretis. uel eo modo à ſenſilibus affectis, ad facultatem affectus tranſit. & ſic ad ipſam animam, quæ affectum cognoſcit, & iudicat. Fit autem eiuſmodi motus etiam circa inanimata. Plana itaque corpora, quæ in rectis quibuſdam ſunt ſita, ab ijs, qui in uiſibilibus ſunt, coloribus illuſtrantur, ut ſpecula: ſed non ſentiunt eo, quòd non habent in ſeipſis animam affectum iudicantem. Sentiunt autem quæcunq; habent animam, ad quam, qui in eis fit, affectus remittitur. Eo ergo, quòd ad illā uſq; affectus in ſenſibus trahatur, anima moueri dicimur. Quia et per animam ſentit animal, & uſq; ad eam tranſit affectus. Reminiſcentia quidem certe cum ab anima ceperit, uſque ad uita præditum corpus tranſit. Recordati enim alicuius, quod nobis terribile euenit, ſæpe expalleſcimus, & nauigationis recordati nauſeamus. Quomodo autem dicimus ab anima motum incipere in reminiſcentia? Non tanquam illa ipſa per ſe recordante: ſed quemadmodum in ſenſibus diximus, quòd motus à ſenſilibus incipiens, ad illud uſque tranſijt, in quo eſt iudicatiua, & ſenſitiua facultas: eſt hoc autē ſpiritus: ſic et in reminiſcentia dicimus, quòd à ſpiritu, in quo eſt anima, cius motus ſit principium, qui eſt ſecundum reminiſcentiam. Contra autem in ſenſu. In quod enim finitur ſenſus, ex eo eſt reminiſcentiæ principiū. Reminiſcentia enim eſt alicuius uiſi inuentio, quod fuit aliquando in ſpiritu. In eo enim inſunt uiſa, in quo & ſenſitiua collocatur anima. Ab his igitur quæ in ſpiritu ſunt, in quo eſt anima, reliquijs, quas uiſa uocamus, quas quidem reliquias ab ijs, quæ ſecundum ſenſum ſunt apprehenſionibus habuit, ab ijs, inquam, eorū, qui ſecundum reminiſcentiam ſunt, motuum ſit principium. Ad uiſum ergo ſe rurſus applicans, quod prius habebat, id eſt, quod prius in ſpiritu inerat, expreſſe recordatur & per quod id ſenſoriū ſenſerat. Et ſic ergo corpus afficitur ſenſorio. Vt ſenſus quidem ab his. Tanq̄ pro eo exemplo dicitur. Ab his, nempe, ſenſilibus, habet motus principiū. Reminiſcentia autē ab illa ad eos, qui in ſenſorijs ſunt, motus uel māſiones. Illud autē, Vel manſiones, addidit: quoniam, nō, ſicut quādo ſentimus, neceſſe eſt ſenſoria moueri, deinde ad animā ſic affectū tranſire, ſic & quando reminiſcimur, omnino illud ſenſorium moueri; oportet, per quod prius hunc motum habuimus: Sed hoc quidem aliquando fit, ut in ijs quæ appoſuimus exemplis: aliquando uerò non. Nō enim omnino cum reminiſcentia commouebitur ſenſorium. Sed & eis quieſcētibus reminiſcimur, ſi ſolùm cogitauerimus, quòd per hoc ſenſorium hæc nobis facta eſt apprehenſio.*

65 Mens autem ineſſe videtur quædam exiſtens ſubſtantia, & nō corrumpi: ab ea enim, quæ eſt in ſenectute, infirmitate & hebetatione corrumperetur.

*Cùm oſtendiſſet, quod nō mouetur per ſe anima ſecundū locum: Deinde quæſiuiſſet an alteratiui animæ motus eſſe maximè uiderētur ira, et cupiditas, & timor, et ſimilia: Deinde oſtēdiſſet, q̄, etiā ſi motus eſſe conceſſum fuerit, hi ſunt utriuſq; ſimul motus & nō animæ, conſequēter ad mentē orationē transfert, & aperte ea immortalem eſſe dicit. Quare & Alexāder, cùm ea, quæ ab Ariſtotele aperte dicuntur, contra intueri non poſſet, fatetur & lubēs & inuitus eam eſſe immortalē: quoniā alia nō inueniebat expoſitionem ſuo inſtituto & ſcopo uerbis cōuenientē. Multis certe in locis cū dubitatione uerba facit. Et hic quidē fatetur immortalē eſſe mentē dicere Ariſtotelē: Parū autem progreſſus, cùm cōtinens adhuc eſſet oratio, & in eum locū incidiſſet, qui dicit. Mens fortaſſe & diuinū & affectibus non eſt obnoxiū, ait de diuina mēte hoc dici. Atqui ſi de diuina mente dicebat, cur addidit, fortaſſe? Exactius autē ſciemus cùm ad eū locū peruenerimus. Scripſit autem & de anima propriū librū hic ipſe Alexander: in quo ait, quòd cùm in ijs, quæ ſunt, duo ſint, materia & forma: unūquodque ſecundum ſuam formā figuratur & imprimitur. Materia enim omnibus communiter ſubſtrata eſt. Ergo et homo ſecundū ſuā formā figuratur & imprimitur, ea eſt autem rationalis anima. Atqui unaquæq; forma eſt corruptibilis, & à materia inſeparabilis. Et rationalis ergo anima. Sed dicimus, quòd formarum aliæ quidem ſunt à materia inſeparabiles: aliæ ſeparabiles. Eſt autem ſeparabilis & rationalis anima. Quamobrem Ariſtoteles quoque cùm animam definiſſet, & ſi non proprie rationalem, ſed omnem ſimpliciter animam: & dixiſſet eam eſſe actum & perfectionem naturalis inſtrumentarij corporis potentia uitam habentis, adijcit. Manifeſtum autem quomodo actus, utrum ut inſeparabilis, uel ut uector nauis. Nouit ergo & formam ipſe ſeparabilem. Quòd autem hic quoq; de humana mente aperte diſſerit, conſidera ex dictione. Mens autem uidetur ineſſe quædam exiſtens ſubſtantia, & non corrumpi. Atqui quis diuinam in nobis mentem ſecundum ſubſtantiam ineſſe exiſtimauerit? Quis autem eſſe corruptibilem diuinam mentem unquam ſuſpicatus fuerit? Videtur enim, inquit, non corrumpi. Deinde & hoc quoq; manifeſtius. Maximè enim, inquit, corrūperetur ab ea, quæ eſt in ſenectute, infirmitate & hebetatione. Quid hoc manifeſtius, quòd de noſtra mente ab eo agatur? Parum autē progreſſus mentis nomen ad animam tranſſumit. Quare ſenectus, inquit, non quòd anima aliquid paſſa ſit, ſed eo, quòd quemadmodum in ebrietatibus & morbis. Aperte ergo calumniantur, quicunq; Ariſtotelem mortalem eſſe animam rationalem dicere ſuſpicantur. Pulchre autem quærit, cùm ad hunc locum uenit Alexander ipſe, quomodo hæc ijs, quæ prius dicta ſunt, congruunt. Prius enim agebatur, utrum motus uocare oporteat actiones animæ, iram, & timorem, & quæ ſunt eius ordinis: non autem utrum eſſent corruptibilia, an incorruptibilia. Quomodo ergo qui de illis quæſiuerit, de mente quoq; ſubiungit, Mens autem uidetur ineſſe, ſubſtantia quædam exiſtens, & non corrumpi. Pulchre autem dubitationem ſoluit. Ait enim, quòd potentia de illis quoque oſtendit, an ſint corruptibilia, cùm oſtenderit, quòd, quæ uidentur eorum eſſe actiones utriuſque ſimul propriæ, ſunt per animam: ſicut texere utriuſq; eſt corpore. Potentia ergo oſtenderit, quòd ſunt corruptibiles. Superius enim præſumptū eſt, quòd ſi eſt aliquod opus, & affectus animæ proprius, cōtingit eam eſſe ſeparabilem: ſin minus, non. Quoniā ergo nullam habēt hæ facultates operationē à corpore ſeparabilē: hæ quoq; iure erūt à corpore inſeparabiles. Tanquā ergo hoc oſtenſo, meritò de mēte quærit, quomodo habeat. Ait ergo, quòd uidetur mēs nō ſic habere, ſed ſubſtātia eſſe, & ineſſe, & nō corrūpi. & cōſidera dictionē. Cū enim dixiſſet, Videtur ineſſe, maximè quidem ſignificauit nō ex corpore, uel ex ea, quæ ad ipſum eſt, animæ cōnexione ipſam germinare, ſed exterius ingredi, ut in ſequētibus inquit: Deinde quoniā uidentur accidētia quoq; corpori ineſſe, et ſi nō exterius, addidit, Quædā exiſtens ſubſtantia. Sed quoniam formæ quoque materiæ inſunt*

*& ſubſtantiæ, ſunt tamen corruptibiles, addidit illud, Et non corrumpi. Deinde & eius probationem ueriſſimè addidit. Maximè enim corrumperetur ab ea, quæ eſt in ſenectute, infirmitate & hebetatione. Si enim à corpore eſſet inſeparabilis, oporteret & cum eo augeri, & cum eo minui. Si quidem in eo habent ſubſiſtentiam. Eiuſmodi autem ſunt ira, & cupiditas, & quæ ex illis ſunt. Mens autem contrario modo habet. Augeſcente quidem & uigente corpore exilis eſt: fortaſſe autem ne eſt quidem: ſeneſcente autem augetur. Prudentia enim, inquit, et quod eſt ueræ opinionis, expetendum fuerit ſi uel ad profundã ſenectutem acceſſerit.*

Nunc autem quemadmodum in ſenſorijs contingit, ſi enim acceperit ſenex oculum talem, videat ſicut & iuuenis.

*Dubitationem quandã, quæ meritò fit ad ea, quæ dicta ſunt, ſoluit Ariſtoteles. Diceret enim aliquis. Si quòd in ſenectute mens nõ marceſcit, id eã incorruptibilem oſtendit: quòd una marceſcat & deficiat, corruptibilem oſtendit. In extrema itaq; ſenectute et delirijs corrũpi uidetur. Delirant enim qui nimio ſenio confecti ſunt. Idem autem patitur & in ebrietatibus, & in alijs quibuſdam affectibus, ut in atra bile. Præterea autem & in ſomnis quoq;. Si autem una cum corporis motibus coalteratur: ergo uidetur eſſe corruptibilis. Hanc itaq; dubitationem ſoluens dixit, quòd in dictis affectibus idem menti accidit, quod ſenſitiuæ facultati læſis ſenſorijs. Quemadmodum enim læſis ſenſorijs non ſentimus quidem: non autem iam & læſa eſt ſenſitiua facultas. Non enim cum craſſi corporis inſtrumentis ſimul patitur, quæ eis utitur facultas. Quòd enim non ſimul patitur facultas, ſed laborat ſenſoriũ, ex ijs, quæ ſubiecimus, apertum eſt, quòd ſenex qui oculum cœperit qualem iuuenis, idem operabitur ſenex, quod iuuenis. Hoc autem non fieret, ſi læſa eſſet facultas. Apertius autem eſt hoc in ſuffuſionibus exemplum. Si enim humorem illum detraxerimus, uident, qui prius non uidebant. Cauſa eſt autem, quoniam nõ in hoc corpore eſſe habet ſenſitiua facultas, ſed in ſpiritu. Sic ergo, ſi cũ ſenum oculus tempore imbecillor factus ſit, ſintq; tunicæ craſſiores redditæ, & ueluti ſordidatæ, & non adeo perſpicuæ, & quæ intus ſunt, humida tẽpore ſicciora euaſerint, & propemodum concreta ſint, nec poſſint à ſenſilibus affectus ad uiſorium ſpiritũ traijcere, contingit ſenes minus uidere: nõ quòd uiſiua facultas affecta ſit. Si itaq; in ſenſibus hoc contingit, in quibus minus oportebat: multo magis in mente, ut affectum ſolum & aliquid paſſum corpus mentis operationes impediat: ſicut nugator uicinus, qui à bona aliqua actione uicinum depellit, ut à lectione, meditatione, oratione. Si ille ergo, qui ad uirũ bonũ & ſtudioſum nullã penitus habet habitudinem, propter loci tamẽ uicinitatem eũ exagitat & expellit, quanto magis corpus mentem, quod ad eam non eſt habitudinis expers, propter naturale uinculum? Neq; enim eſt hoc uinculum à conſenſu omnino alienum. Si autem dixerit quiſpiam: unde & hoc fiet apertum: num & mens, ſicut ſenſus, in aliquo præter hoc corpus eſſe habet, ſicut in ſpiritu? Quod enim ad ea, quæ iam dicta ſunt, attinet, hoc nondum eſt apertum, ſed; quòd ſolum in hoc eſſe non habet, ſicut ſenſus. Dico ergo, quòd hoc ipſum deinceps oſtendet philoſophus, quòd ab omni eſt corpore ſeparabilis: et non ſicut ſenſus ab hoc ſolum. nullum autem negotium & id prius ſumere in quo exiſtens dicit. Quòd enim nõ habet mens, ſicut ſenſus, in alio ſuum eſſe, hinc eſt manifeſtum. Senſus enim maiora ſenſilia apprehẽdentes minora apprehendere nequeunt. Vt cum magnum ſtrepitum auditus audiuerit, minorẽ non audiet. & lingua, quæ uehementiſſimum ſuccum guſtauerit, minorem non ſentiet. & in alijs ſimiliter. Hoc autem ideo fit, quoniam, quod ſenſuum propriè eſt inſtrumentum & uehiculum, ſpiritum autem dico, corpus eſt. Mens autem, ut quæ incorporaliter intelligat, & ad ſui agitationem nullo corpore utatur, quo maiora intelligibilia apprehendit, tanto magis & minora. & aliter. Nulla facultas in ſubiecto corpore eſſe habens, ipſa ad ſeipſam poteſt ſe conuertere. Simul enim ad ſe cõuertetur & corpus, in quo eſt. Nullum autem corpus ſibi ipſi adaptari poteſt: ſed neq; alij quidem, niſi ſecundum ſuperficiẽ. Mens autem ipſa ad ſeipſam cõuertitur, & ſeipſam uidet. ipſa de ipſa quærit, & ipſa inuenit. Eſt ergo à ſubſtantia corporis ſeparabilis. & aliter. Nihil pugnat uel aduerſus ſe, uel aduerſus ſuum ſubiectum. Anima autem aduerſus corpus & affectus pugnat. Perſer cor &c. Nihil ſuum ipſius ſubiectum corrumpit. Omnia enim eſſe expetunt. Ipſa autem uirtute corpus conſumit. Non habet ergo in eo eſſe. Et ſi quandoq; ſeparabiliter operatur, quando in rerum diuinarum contemplatione uerſatur, planum eſt, quòd & ſubſtantiam habet ſeparabilem.*

Quare ſenectus non eo quòd anima quid paſſa ſit, ſed id, in quo. Quemadmodum in ebrietatibus, & morbis.

*Senectutem, uidelicet, non eandem exponemus, quam dixit, Maximè autem corrumperetur ab ea, quæ eſt in ſenectute, infirmitate & hebetatione, & quæ nunc dicitur. Sed illic quidẽ moderata. Hic uerò multa, & extrema. Quemadmodum enim dicebam, Quoniam non omnis ad corpus habitudinis expers eſt mens noſtra, corporis opus habet commoderatione, ut cùm moderatè habeat, nihil negotij & moleſtiæ exhibeat. Ei autem ad proprias operationes fit immoderatum, & in ætatis uigore ſeu adoleſcentia, propter affectuum turbam: & in extrema ſenectute, eo quòd fit mortificatum, & fit ipſum prope materiam. Eodem ergo modo mens in ſenectute afficitur, quo in ebrietatibus & morbis. Sicut enim in illis, propter malã corporis temperaturã ab operationibus arcetur. & ex hoc manifeſtum eſt, quòd ſi corpus ab hac conſtitutione liberatum fuerit, rurſus reſplendet: ſic & in ſenectute accidit. Quòd autẽ poſtquam ab ebrietate liberatũ fuerit, nõ alia quædã mens ineſt, ueluti rurſus ex bona tẽperatura, ex hoc manifeſtũ eſt, quòd cum priore una & eadem eſt numero. Si enim ex temperatura ſimpliciter fit, ut album, non una eſſet & eadem numero. Quandoquidem neq; una & eadem eſt numero temperatura ante ebrietatem, & poſt ebrietatem, niſi utique ſpecie. Quòd autem una & eadem eſt mens numero, ex hoc apertum eſt, quòd & poſt ebrietatem ea meminit, quæ prius fuerunt. Si enim eſſet, ut quiſpiam exiſtimauerit, ſpecie quidem eadem, non eadem autem numero, non meminiſſet priorum: ſed ei alia rurſus diſciplina opus eſſet. Simile eſt enim, inquit Ariſtoteles, ut ſi ego quidem hoc, tu uerò illud ſenſeris. Neque enim quoniam eædem ſunt animæ ſpecie, iam &, quæ ego noui, & alius nouit. Si autem una & eadẽ eſt numero, &, quæ eſt ante ebrietatẽ, et quæ poſt, nihil aliud, quàm eius operationes impediebat ebrietas. Sciendũ autem, quod, qui omnẽ animã ſeparabilẽ eſſe uolunt, hæc dicta reprehendunt. Ecce enim dicit, inquiunt, quòd anima non aliquid patitur, ſed id, in quo eſt, corpus. Dicimus autem, quòd nõ de omni anima loquitur, ſed de mente, & eam nunc appellat animam. & ex prædictis manifeſtum eſt, & ex ijs, quæ infert. Adhuc enim de mẽte uerba facit. Ac ſi enim hoc dixiſſet, quòd mens nõ eſt ipſa patiens, ſed corpus, in quo eſt. Quare, inquit, neq; intelligere & cõtemplari corrũpitur, ſed aliquo alio corrupto marceſcit. Mẽte enim nõ patiẽte, neq; eius operationes, intelligere, ſcilicet, et cõtẽplari, pati poſſint. Nõ ei ergo de omni anima ſermo eſt. Ridiculũ enim eſſet de omni anima eum putare dicere, cùm ipſe nobis apertè regulas tradiderit &*

*ſeparabilis*

ſeparabilis à corporibus ſubſtantiæ, & inſeparabilis. Et nota, quòd mentem, quam incorruptibilem eſſe dicit, & corpori aliunde ineſſe, eam ſtatim animam uocauit: ut intelligas, quòd nõ aliquam aliam mentem eſſe dicebat præter rationalem animam aliunde in nos ingredientem: ſed ipſam rationalem animã mentem uocauit: Per hæc ergo apertiſsime immortalem eſſe noſtrã animã pronuntiat Ariſtoteles Corpori autẽ inditur rationalis anima poſt perfecti animalis formationem, animalibus alijs ſeminalibus, ſiue ipſis rationibus cum ſemine una deiectis. Si quis autem ad omnem quoq; animam hoc dictũ acceperit, quare nõ & nos, quòd non anima quid paſſa ſit, accipiemus, ut & Alexãdro quoq; uidetur, omnem quidem animam nullis per ſe eſſe affectibus obnoxiã: Sed irrationalem quidem, quòd neq; per ſe quidem ſit, ſed una cum ſpiritu corrumpitur: Mentem autem, ut quæ ſit ſubſtantiæ ſeparabilis, non eſſe affectibus obnoxiam.

66 Et intelligere quidem, & contemplari flaceſcit aliquo alio intus corrupto. Ipſum quidem non eſt affectibus obnoxium.

Aliquo alio intus, Dicit autẽ ſpiritu. Quoniã enim nõ in ſolis delyrijs cõtingit, ut intelligere flacceſcat, ſed & uigẽte ætate deſipientias ſæpe fieri cõtingit, & intelligentiarũ hebetationes, dicit hoc fieri ſpiritali corpore, in quo primo relucent animales facultates, corruptionẽ aliquam ſuſtinẽte, & quòd nõ ſit moderatum, intelligentiam turbante & impediente.

Cogitare autem, vel amare, vel odiſſe non ſunt illius affectus, ſed huiuſce, quod illud habet, quatenus illud habet. Quare & eo corrupto neq; meminit, neque amat. Neq; enim illius erat, ſed eius communis, quod perijt.

Quòd cogitare quoq; non eſt animæ per ſe, ſed utriuſq; ſimul, iam diximus. Nõ enim, inquit, ſicut intelligere, & cõtemplari proprij ſunt mentis affectus. (Affectus enim, ut ſæpe diximus, operationes uocat) ſic & cogitare, & amare, & odiſſe. Sed huiuſce, id eſt animalis animam habentis. Quatenus illud habet, id eſt quatenus habet animã. Sicut enim texere, ut ſæpe dictũ eſt, animalis eſt ſecundũ corpus: ſic ea ſunt animalis ſecũdũ animã. Quare eo, inquit, corrupto, nihil eorum habebit anima, quæ ex cõnexione ad corpus ei acceſſerunt. Meritò autẽ neq; meminiſſe eã dicit, quòd hic quidẽ præterfluens eius eſt cognitio, & memoria habet opus ad ea retinẽda, quæ nouit. Poſtquã autẽ e corpore exceſſerit, ut quæ cõſtantẽ habeat cognitionẽ, & ipſis rebus ſe applicet, memoria nõ eget. Memoria enim eſt eorũ, quæ olim cognita fuerũt. Tũc autẽ nõ habet prius & poſterius cognitio, niſi ſecũdũ contẽplationũ tractationẽ: ſed ſemper ſtat, & in eo, quod nũc eſt, & in præſenti tẽpore inquirit.

Mens autem fortaſſe diuinius quid eſt, & affectibus non obnoxium. Quòd igitur fieri non poteſt, ut anima moueatur, ex hoc apertum eſt. Si autem omnino non mouetur, clarum eſt quòd neque à ſeipſa.

Non tanquã dubitans illud, Fortaſſe, addit: ſed ut qui nondũ perfecte demonſtraſſet. Si autẽ & hic, & ſuperius, & adhuc magis deinceps, immortalem eſſe uult mentem, id autem eſt ipſam per ſe rationalem animam: inepti ergo & uani ſunt, qui eũ exiſtimauerũt illã eſſe mortalẽ putare. Manifeſtũ enim eſt, quòd nõ de diuina mẽte, ſed de noſtra anima ratiõali loquitur. Neq; enim illa eſt in corpore: neq; ab ijs, quæ dicta ſunt, impeditur Ex ijs enim, quæ nobis cognita ſunt, de ea diſſeruit: illius autem ignotæ ſunt operationes. Et ſi alioqui de mente diuina loqueretur, nõ illud, fortaſſe, addidiſſet, tanquã dubitans, an illa ſit diuina, & affectibus non obnoxia. Ex his ergo demonſtratis quidquid dixit in ſummam colligens ait, quòd, cùm ſit demonſtratum animam non moueri, apertum eſt, quòd ea per ſe non mouetur, ſiquidem neq; omnino mouetur.

Eorum autem, quæ dicta ſunt, à ratione eſt 67
alieniſsimum, dicere animam eſſe numerum ſeipſum mouentem. Eis enim inſunt quæ fieri non poſſunt: prima quidẽ, quæ ab eo quod eſt moueri accidunt: ſeorſum autem ex eo, quòd dicant ipſam eſſe numerum.

Propoſitum eſt refellere Xenocratis, qui Platoni ſucceſsit, de anima opinionem, qui dicebat animam eſſe numerũ ſeipſum mouentem. Et clarum eſt, quòd ſi ſic iuxta id, quod apparet, dicebat, poteſt eius facile refelli ſententia, ut prius dixi. Nemo autem, qui uel ſummo digito Mathemata guſtauerit, talia dixerit. Dicebat itaq; numerum quidem animam. eo quòd formarũ complementum ſit anima & ratio. Ex omnibus enim rationibus rationes in ſe habet, ut diximus. Numeros autem formas appellabant, ut dictum eſt. Et ipſe quidem in ijs, quæ ſequuntur, dicit. Et recte quidem, qui dicunt animam eſſe formarum locum. Numerum itaq; propterea. Seipſum mouentem, eo quòd per ſe uiuat. Non enim ab alio ei uita eſt. Ipſa enim eſt per ſe uita. Ariſtoteles autem, ut ſolet, id, quod apparet, ex eo, quod dicitur, redarguit. Alia itaq; dicit eſſe huic opinioni cõmunia cum ijs, quæ confutatæ ſunt: Quæcunq; enim eos ſequebantur abſurda, qui animam moueri dicunt, ea illum quoq; ſequentur, qui dicit numerum eſſe ſeipſum mouentem. Alia autem propria, quatenus ait numerum eſſe animam: Cui nunc inſiſtit.

Quomodo enim mẽte complecti oportet unitatẽ, quæ mouetur, et à quo, & quomodo, cùm ſit indiuiſibilis, & indifferens? Si enim eſt motiua, & mobilis, eam differre oportet.

Idem dicere uidetur, cùm bis dixerit illud, Quomodo. Sed nõ ita eſt, ſed primum quidem eſt modi cognitionis, id eſt, quis eſt modus intelligentiæ, qui facit, ut poſsimus cognoſcere unitatem moueri? Neque enim ſenſu, neque cogitatione hoc poteſt cognoſci. Illud autem, A quo. Vtrum ipſa ſibi ipſi motus cauſa, uel alia unitas. Secundum autem, quomodo, modi motus. Vtrum ſecundum rectum mouetur: uel circulo: uel aliquo alio modo: ut ſecundum alterationem: auctionẽ: uel diminutionem. Quomodo ergo oportet mente concipere unitatem moueri? Si enim omnis numerus unitatum eſt multitudo, neceſſe eſt, dum mouetur numerus, unitates moueri. Quomodo ergo mouetur unitas? Si enim a ſeipſa, quoniã, quod mouet, quatenus mouet, eſt aliud quidpiam ab eo, quod mouetur: neceſſe eſt unitatem à ſeipſa differre. Quæ eſt ergo eius ad ſeipſam differentia, cùm unitas ſit indiuiſibilis, & indifferens? Si autem aliæ quidem mouent, aliæ uerò mouentur, quæ eſt unitatis ab unitate differentia? Oportet enim id, quod mouet, quatenus mouet, ab eo, quod mouetur, differre. Siquidem aliqua naturæ potentia illud quidem apte ſe habet ad mouendum, hoc uerò, ut moueatur. Et alioqui, ſi hæ quidem unitates mouent, illæ uerò mouentur: Quæ mouent quidem fuerint anima: non eæ quæ mouentur. Quemadmodum enim & in animali, quod mouet quidem anima, quod uerò mouetur corpus eſt: Sic & quia unitatum aliæ quidem mouent, aliæ uerò mouentur, quæ mouent fuerint anima. Quòd ſi hoc ita eſt, non fuerit numerus ſeipſum mouens anima, ſed ſolum mouens.

Præterea autem quoniam motam lineam 68
ſuperficiem facere dicunt, punctum autem lineã, Vnitatũ quoq; motus lineæ erũt. Eſt enĩ

punctus vnitas ſitum habens. Numerus autem animæ iam alicubi eſt, & ſitum habet.

*Aliud argumentũ.Eos autē in eo illudit.Geometriæ,inquit, eſſe uidetur,quòd fluens punctus lineā facit. & ipſa fluens ſuperficiem.Quòd ſi hoc eſt,animæ motus,cùm unitatũ ſint motus,lineæ erunt:ira:cupiditas:& reliqua.Vnitas enim,inquit,à puncto nullo alio differt, quàm quòd punctus alicubi ſitus eſt. In linea enim.Vnitas autem non eſt ex ijs,quæ ſitum habēt.Nihil ergo aliud eſt unitas,quàm ſignum punctum non habens.& ſignum,unitas ſitum habens. Qui ergo animam numerum eſſe dicunt,in corpore eam eſſe confitentur. Numeri ergo unitates alicubi ſitæ ſunt.In corpore enim. Ipſæ ergo unitates, quæ ſitũ habent,ſigna ſunt.Eæ autem motæ lineas facient.*

Iam verò à numero ſi quis numerũ detrahat vel vnitatem, alius relinquitur numerus. Atqui plantæ & multa animalia diuiſa viuũt, & videntur eandem habere animam ſpecie.

*Tertiũ hoc argumentũ. Si à numero,inquit,unitatem detraxero,ut à decem,alium facio numerũ,nouem:illum quidem parem.hunc uero imparem.Similiter & ſi numerũ detraxerimus, alius fit,qui relinquitur,ſpecie. Si enim à ſedecim qui eſt quadrangulus tria abſtulero,non erit amplius quadrangulus.Si autem & gnomona quadranguli abſtulero,ut ſeptem à ſedecim, fit nouem etiā quadrāgulus.Atqui nō idem eſt ſpecie,ſed genere.Si autē,inquit,à planta ramũ abſcideris, eadem manet & in eo quod relinquitur anima,& in ipſo ramo. Similiter autē & in inſectis animalibus hoc accidit.Abſciſſa enim aliquandiu uidentur eam habere operationē,quæ ex anima eſt,ſenſum dico, & motũ,Nō eſt ergo anima numerus.In plantis autē,quod dicitur,manifeſtum eſt.Si autem nō in omnibus partibus,quod dicitur,acceperis,uerum erit et in alijs quoq; animalibus.Quibuſdam enim amputatis partibus eadem manet anima.& ſi non in uniuerſis animatis uera eſt oratio,ſed cùm in quibuſdā uera ſit, bonum oſtendit eſſe argumentum.*

69 Videatur autem nihil differre an vnitates dicas,vel parua corpuſcula.Si enim Democriti orbiculis puncta fiunt, ſola autē quantitas maneat,erit in eo aliquid quidem, quod mouet:aliquid verò,quod mouetur : ſicut in magnitudine. Non enim eo quòd magnitudine differant,vel paruitate,hoc,quod dictum eſt, accidit,ſed quòd quantitatem ſubeant.Quare aliquid eſſe neceſſarium eſt, quod vnitates moueat.Si autem in animali, quod mouet anima eſt,& in numero. Quare non, quòd mouet,& quòd mouetur, anima eſt, ſed, quòd mouet ſolum.

*Vult compellere Xenocratis opinionē ad ſententiam Democriti.Ille enim dicebat ex orbiculatis atomis animam conſiſtere.Si itaq;,inquit,atomorum magnitudinem aliquis abſtulerit,erunt puncta.Vtroſq; ergo eadem ſequentur abſurda. Democriti autem opinioni nihil incōmodi afferebat atomorũ continuitas.neq; enim,quòd continua eſſent corpora, ea moueri dicebat,ſed propter eorum multitudinē mutua contra ſe inuicē protruſione.ſic & Xenocrates,non quoniā indiuiſibilia ponebat ea.ex quibus anima,unitates dico, propterea eas moueri dicebat,ſed quòd quantitas eſſet,quæ ex eis eſt,numerus. In hoc ergo conueniunt,quòd moueri dicebāt, hic quidē atomos : ille uerò numerũ. Vtriſq; autē ex neceßitate ſequitur,ut dicant,uel atomorum,uel numerorũ alios quidem mouere:alios uerò moueri.In ſeptimo enim & octauo Phyſicæ monſtratũ eſt, quòd fieri nō poteſt,ut idem per idem & moueat & moueatur, neq; in quantitate continua, neq; in diſcreta. Hæc autem hoc conſequitur,quòd eorum uterq; diſcretam quantitatē facit, animam per ſe mobilem.Quare ſi atomorũ,& numerorũ hi quidem mouent,illi uerò mouētur:erit tota cōgeries ipſa per ſe mobilis, quemadmodũ & animal dicitur ipſum per ſe mobile, quamuis hoc quidē moueat:illud uerò moueatur.Sed quemadmodũ in animali,quod mouet,anima,& nō quod mouetur:ſic & in animæ numero nō omnis erit anima,ſed,quæ mouēt unitates.Similiter & in orbiculatis atomis,quæ mouēt,animæ.Hac quidē ratione in eādē deducitur opinionē Democritus et Xenocrates. Quæcunq; ergo abſurda Democriti opinionē ſequi mōſtratũ, eadē Democriti quoq; ſequentur. Dixerit autē quiſpiam nō uerum eſſe in idem per omnia conuenire Democriti & Xenocratis opinionem. Non enim ſimpliciter faciebat animam Democritus quantitatem diſcretam,ſicut Xenocrates.Ponebatur ergo non ex quibuslibet atomis eſſe animam,ſed ex orbiculatis,ut motus cauſam reddat. Non ergo in idem ſimpliciter deducit utraſq; opiniones.*

Contingit autem vtique ea eſſe unitatem. 70
Oportet enim eius eſſe ad alia differentiam: Puncti autem monadici.

*Vnitatem dixit pro eo quod eſt, ex unitatibus. Si ergo anima unitas eſt,uel ex unitatibus,clarum eſt,quòd oportebit unitates,ex quibus conſtat anima,ab alijs unitatibus differre, quæ animam non faciunt.Non enim omnes ſimpliciter unitates,præterquā eæ ex quibus conſtat anima,ſunt animæ effectrices, ſed eæ ſolùm,quæ mouent.*

Quæ itaque ſit vnitatis ad vnitatem differentia,ne mente quidem cogitari poteſt.

*Præterquā,quòd eæ quidem illarũ ſitũ habent:illæ uerò non habēt.Sed omnes unitates,ex quibus numerus,id eſt anima,ſitũ habent.In corpore enim.Quæ ergo eſt earum differētia? Oportebat enim eſſe differentiam,ut eæ quidem mouerent, illæ uerò mouerentur.Hoc autē fieri non poteſt. Non ergo contingit numerum,uel unitatem eſſe animam.Recte autem dixit. Puncti monadici. Si enim monas ſiue unitas accepto ſitu pũctus fit:unitates autem,ex quibus anima,in corpore : Puncti ergo erunt. Quoniam ergo non ſimpliciter punctos dicebant,ſed unitates, meritò dixit punctos monadicos.*

Si ergo ſunt aliæ, quæ in corpore ſunt,vnitates quàm puncti, in eodem erunt vnitates. Puncti enim locum occupabit.

*Aduerſus Xenocratē hæc adhuc ratio oſtēdit, quòd unitates,ex quibus anima,pũcti ſunt.quādo quidē unitas ſine ſitu pũctus eſt.Vnitates autē animæ ſitum habēt.Sunt enim in corpore.Puncti ergo ſunt.Similiter pũcti ſunt unitates ſitũ habētes. Si itaq; unitates puncti ſunt, & puncti unitates: ſunt autem in omni corpore pũcti:utrũ unitates,quæ animā faciũt, ſiue puncti,eædē ſunt,cũ ijs,quæ ſunt in corpore,in quo eſt anima,punctis ſeu unitatibus,an aliæ?Si itaq; animæ aliæ fuerint ab ijs,quæ ſunt corporis:quādo anima fuerit in corpore,animæ pũcti corporis pũctis quadrabũt,& apponētur. Punctus autem puncto additus unũ facit punctũ.Indiuiſibile enim cum indiuiſibili cōpoſitum facit indiuiſibile. Si autem una alteri apponitur, quæ animæ eſt,ei,quæ eſt corporis : & nihil amplius fit quod ex ambobus componitur:quid uetat & plures animæ punctos eidem puncto corporis adaptari? Decies enim mille indiuiſibilia compoſita non faciunt magnitudinem. Fieri ergo poteſt, ut omnes animæ puncti uni corporis puncto apponātur. Quotquot autem puncti adaptati fuerint, unum punctum facient.*

Secundum

*Secundum ergo ſui ſignum erit corpus animatũ, quatenus appoſiti ſunt omnes corporis puncti. & nihil, quod non fieri poſſit, habet ſuppoſitio. Si enim numerus anima eſt, idem eſt autem dicere, punctorum diſcretorum congeries, infinitos autem punctos uni & eidem adaptari contingit, quemadmodũ centro circuli rectarum, fines linearum à circunferentia ad idem centrũ deductarum, omnes quoq; punctos ex quibus anima, uni corporis puncto contingat applicari. Cõtingens autem eſt, quod cùm non ſit neceſſarium, ſi poſitum fuerit, nihil, quod non fieri poſſit, accidit. Atqui ſi numerus eſt anima, idem eſt autem dicere punctorum multitudo, contingat omnes uni corporis ſigno adaptari, cùm actu quidem diuiſi fuerint. Hoc autem conſequitur, ut ſecundum unum ſignum corpus animatum ſit: quod fieri non poteſt. Vniuerſum enim uiuit, & eſt animatum. Non eſt ergo anima numerus. Hanc enim ſuppoſitionem hoc abſurdum ſecutum eſt. Et alioqui, continget animam unum quoque eſſe punctũ. Quòd ſi quis non hoc ſuppoſuerit, omnes animæ punctos uni animæ puncto apponi: ſed animalem unum punctum uni corporis puncto adaptari: ne ſic quidem abſurdum oratio effugerit. Et ſic enim neceſſe eſt non uniuerſum corpus ipſum eſſe animatum, ſed ſecundum aliquos punctos, qui in eo ſunt: non eſſe autem omnino animatum corpus. Puncti autem non omnino corpus ſunt. Quare animales puncti in corporis punctis inſunt. Non eſt autem idem corpus & ij, qui in illo ſunt, puncti, ſicut non idem eſt dicere, finem & finitum. nullum ergo corpus animatum. Si autem animæ puncti idem ſunt cum punctis corporis: Omne autem corpus punctos habet: erit ergo omne corpus animatum. Si ergo aliæ ſunt in corpore unitates & puncti. Vnitates et punctos de eodem dicit. Dico autem de punctis, qui ſunt in corpore. Dixit enim quòd & puncti unitates ſunt ſitum habentes. Si ergo unitates, inquit, ſeu puncti, qui ſunt in corpore, alij ſunt à pũctis, ſeu unitatibus, quæ ſunt in anima, pũcti locum occupabit unitas. Vnitas, ſcilicet, animæ puncti corporis locum occupabit. Communius autem dixit locum puncti. Quod enim indiuiſibile eſt, in loco non eſt. Poteſt autem animalis puncti locum dicere eum, qui in corpore eſt, punctum.*

Atqui quid vetabit in eodem eſſe, ſi duos, & infinitos? Quorum enim locus eſt indiuiſibilis, & ipſa.

*Habet ueriſimilitudinem ſuppoſitio. Si enim duo puncti ex neceßitate conuenirent, eo quòd animæ puncti, cùm ſint in corpore, corporis punctis omnino apponentur, quid uetabit in eodem conuenire & plures, & omnes? Quare uel ſecundũ unum corporis pũctum erit animatum animal: uel omnes animæ puncti uni corporis puncto aptabuntur: uel ſecundum unumquenq; eorum, qui ſunt in anima, punctorum animam habebit animal. & uel infiniti in corpore puncti, uel omnibus adaptabuntur animales puncti. & ſic infinitæ erunt in animali animæ. Sic autem erit actu quoq; infinitum, uel omnibus, & non erit uniuerſum corpus animatum: neq; omnino animatum, ut dictum eſt. Quorum enim locus eſt indiuiſibilis, & ipſa. Quoniam dixit, quòd nihil uetabit in eodem corporis ſigno infinita animæ ſigna adaptari, ut unum ſignum fiat anima, hoc ipſum uult confirmare. Si enim infinitorũ animæ punctorum locus corporis ſignum eſt, id autẽ eſt indiuiſibile, infinita, ſcilicet, ſigna, quæ corporis ſigno aptabuntur, erunt indiuiſibilia. Vt enim ſe habet locus, ſic & ea, quæ in eo ſunt. Quare unum ſignum erit anima, & ſecundum unum ſignum animatum corpus.*

Si autem qui in corpore puncti ſunt, ſunt animæ numerus: vel ſi qui ex eis, qui in corpore puncti ſunt, eſt numerus, anima eſt: cur non omnia habent animam corpora? Puncti enim in omnibus eſſe uidentur, & infiniti.

*Hæc eſt altera pars diuiſionis. Diximus enim, quòd uel ijdẽ ſunt animæ puncti cum punctis corporis: uel alij. Cùm alios ergo eſſe aperuiſſet, nunc reliquum aggreditur. Cùm ergo dixiſſet, quòd qui in corpore ſunt, puncti ſunt numerus animæ: quod dixerat reſumit, ut id ſit apertius. Non enim dicebant punctos numerũ eſſe animæ, ſed numerũ pũctorũ, qui in corpore ſunt, animã, ſi idẽ ponebãt eſſe punctos corporis, qđ pũctos animæ.*

Præterea autem quomodo fieri poteſt vt animæ ſeparentur, & à corporibus ſoluantur, ſi quidem non diuiduntur lineæ in punctos?

*Xenocrates, ut qui eſſet Platonis diſcipulus, dicebat eſſe animã à corpore ſeparabilẽ. Quò fit ut clarũ ſic quòd nõ hũc cognitum numerum eam dicebat: Quomodo enim contingit per ſe eſſe numerũ? Sed ſecundũ conuenientiam. Ei autem quod apparet occurrẽs Ariſtoteles, Si anima, inquit, eſt ſeparabilis, fieri autem nõ poteſt, ut puncti à corpore ſeparẽtur, non eſt ergo numerus anima. Quod enim numerum dicebat, ſequebatur, ut etiam punctos diceret. Numerus enim unitates. Ipſæ autẽ, cùm ſitum habeant, puncti ſunt. Fieri autem nõ poteſt, ut qui in corpore puncti ſunt, ſeparentur: quoniam non diuiduntur lineæ in punctos: ſicut neq; ſuperficies in lineas: neq; corpora in ſuperficies. Lineæ enim pars eſt linea. Pũctus autẽ finis eſt lineæ. Diuiduntur autem, quæ diuiduntur, in partes, non in fines. Finis enim eſt inſeparabilis ab eo cuius eſt finis.*

Accidit autẽ, ſicut dicebamus, partim quidem vt idem dicant, quod ij, qui eam tenuiũ partium corpus ponunt: partim autem, ſicut Democritus ab anima dicit moueri, propriũ abſurdum. Si enim anima eſt in omni, quod ſentit, in eodem neceſſe eſt duo eſſe corpora, ſi corpus aliquod eſt anima: ijs autem, qui numerum dicunt, in eodem puncto multos punctos, vel omne corpus habere animam, ſi non differens aliquis numerus inſit, & alius ab ijs, qui in corpore ſunt, punctis.

*Xenocratis opinionem eadem ſequentur abſurda, partim quidem, quæ eos, qui tenue aliquod corpus eſſe dicũt animam: partim, quæ Democriti opinionẽ. Illi enim ſubtile corpus eſſe dicebant animã: ut per totũ corpus poſſet peruadere, & totũ à ſe animatũ omnino mouere. Quare ſecundũ eos, ſi anima, cùm ſit corpus, per totũ corpus peruadit: & totũ animans per totũ mouet: duo corpora in eodem erunt: quod eſt abſurdum. Idem ergo abſurdũ ſequebatur ijs quoq;, qui numerũ dicũt. Si enim ſunt aliæ unitates animæ à corporis punctis, ſequebatur omnes animæ punctos uni corporis puncto poſſe adaptari. Hac itaque ratione cõmune hoc inter ſe habent. Et aliter. Vnitates, ex quibus ſtatuebat Xenocrates eſſe animã, uel ſunt corporeæ & numerabiles: uel non corporeæ, neq; numerabiles, ſed indiuiſibiles, & ſolũ numerantes. Omnis enim corporeus numerus eſt omnino numerabilis. Numerans autẽ incorporeus. Vt ſemel ergo dicam, uel corporeæ ſunt animæ unitates, uel nõ, ſed indiuiſibiles. Si corporeæ ergo ſunt, corpus per corpus peruadet: et idem ſequetur, quod eos, qui ſubtile corpus eſſe dicunt animã. Si autem ſunt indiuiſibiles, ad eadem abſurda deducetur, quæ Democriti opinio: ſi quidem & ipſe atomis quoq; corpus mouebat, nõ quòd aliquantã molem, uel molem ſimpliciter haberẽt, ſed quatenus numerus. Cùm autem dixiſſet, quòd non ſolũ inſectileũ numerorum animã eſſe dicebat Democritus: ſic enim quæuis atomi animam facerent: ſed cum magnitudine orbiculariter figuratã. neque enim fieri poteſt, ut ſine magnitudine ſit figura. magnitu-*

dimis enim finis figura eſt. Hec ergo ita ſunt, ſi non ijdem ſunt animæ puncti cum punctis corporis. Si autem cum corporis punctis ijdem ſunt puncti animæ: ſequeretur omne corpus eſſe animatum. Eſt autem magis rationi conſonum eos primum ponere: ſiquidem non omne corpus animatum dicebant. Hoc ergo modo idem abſurdum ſequetur & eos, qui ſubtile corpus animam dicunt, & eos, qui numerũ. Sequitur aliud commune abſurdum ijsq;, qui numerum dicunt, & Democrito. Superius enim oſtendit nihil differre, an paruos motos orbiculos una etiã corpus attrahere dicas, an numerũ. Non enim, quòd illi quidem ſunt magnitudines, unitates uerò ſint indiuiſibiles, moti fuerunt: ſed propter quantitatẽ. Quare quod alterũ ſequitur abſurdũ, reliquum quoq; ſequetur. Sequuntur autẽ & Xenocratis opinionem multa abſurda, & Democriti. Alterius ergo alia. Quenã autem ea ſunt, ſuperius dictũ eſt. Accidit autẽ, ſicut dicebamus, partim quidem, ut idem dicant: Illud, idem, non ad opinionẽ referens, ſed ad id, quod ſequitur, abſurdũ dixit. Nõ eadem enim de anima dicebant: ſed in eadem abſurda incidebãt. Partim autem, ſicut Democritus moueri ait ab anima, propriũ abſurdum. Quatenus animam moueri dicebat Democritus, ſecundũ hoc cum Xenocrate cõmunicans. Vterq; enim eorum dicebat: Hic quidem per motas unitates mouẽs animam: Ille uerò per inſectilia. Et in hoc ergo communicantes, cõmune quoq; habeant abſurdũ, quod ſequatur. Quod quidem abſurdũ, ut ad eorum opinionem, qui ſubtile corpus eſſe dicunt animã, propriũ eſt Democriti & Xenocratis. Secundũ hoc ergo communicabant: Differebant autem, quòd hic quidem numeros: ille uerò corpora atomos dicebat. Si enim anima eſt in omni, quod ſentit: in eodem neceſſe eſt duo eſſe corpora, ſi corpus aliquod eſt anima. Quid cõmune habeat Xenocrates cũ ijs, qui ſubtile corpus dicunt, per hæc oſtendit. Sequitur enim ijs, qui ſubtile corpus dicunt, ut corpus per corpus peruadat: ſiquidem per totum corpus animam peruadere oporteat, ut totũ animatum ſit corpus, & totum moueatur. Si quis autem dicat, quòd, cùm in uacuis corporis partibus ſit anima, ſic illud poteſt mouere, ut, quæ ſunt in uaſis: ſic autem maximè non fuerit in corpore. Et enim adhærebit: non in toto erit. Quomodo ergo totum animatum? Deinde ſi exterius adiuncta non facit ipſum animatũ, nec ergo interius.

73 Etiam accidit corpore moueri animal à numero: ſicut & Democritũ dicebamus ipſum mouere. Quid enim intereſt paruos orbes dicere, uel magnas vnitates, vel omnino vnitates, quæ feruntur? Vtroq; enim modo neceſſarium eſt animal mouere, quòd ipſæ moueantur.

Democriti & Xenocratis per hæc opinionem confert. Eadem, inquit, eis abſurda ſequentur, quoniã utriq; eo, quòd atomi moueantur, uel unitates, corpus moueri dicebant. Quæ autẽ eos abſurda communiter ſequuntur, nõ ſubiũxit, utpote qui iam dixerit: Vt, quòd uel à ſeipſis mouẽtur, uel ab alijs. Quæ eſt ergo unitatis differentia uel ad ſeipſam, uel ad aliam? Vnitates enim potentia ſunt Democriti quoq; atomi: quniam, non quatenus continuæ ſunt, mouebant, ſed quatenus quantitas diſcreta, ſicut & numerus. Volens autem has opiniones inuicem conciliare, orbes quidem paruos dixit, unitates autem magnas. Si enim ab orbibus continuum abſtuleris, puncti erunt, uel unitates magnitudine priuatæ. Siue acceperint puncti ſeu unitates magnitudinem, tales erunt quales erant orbes Democriti. Magnas unitates, uel omnino unitates. Quoniam uolens oſtendere, quòd ad mouendũ nihil conferebat, neq; atomis magnitudo, neq; unitatibus indiuiſibile, atoma quidem dixit parua, unitates autem magnas: ut oſtendat, quòd hoc nihil differt, ſubiunxit, Vel omnino unitates.

Iis itaq;, qui ſimul connexuerunt motum, & numerum, & hæc eueniunt, & multa alia eiuſmodi. 74

Hæc eſt eorum, quæ dicta ſunt, concluſio. Oſtendit autem quòd non ſolũ quæ dicta ſunt abſurda, ſed & multa alia eis ſequuntur. Quedam autem adducit.

Non ſolum enim fieri non poteſt, ut animæ definitio talis ſit, ſed & accidens. Clarum eſt autem, ſi quis ex hac ratione animæ affectiones, & opera conetur tradere. vt ratiocinationes: ſenſus: uoluptates: triſtitias: & quecunq; alia eiuſmodi. Sicut enim prius diximus, ex eis ne diuinare quidem eſt facile.

Poſtquam probauit, quòd ſubſtantiæ animæ definitio eſſe nõ poteſt, quæ à Xenocrate tradita eſt, quòd anima eſt numerus ſe ipſum mouens, deinceps oſtendit, quòd neq; quidquam eorum, quæ animam conſequuntur, & quæ ei inſunt, quæ ſunt affectus & operationes, poteſt eſſe numerus ſeipſum mouens. Affectus enim animæ ſunt ratiocinationes, triſtitiæ: uoluptates: & eiuſmodi. Quid ergo poßit dici numerus ſeipſum mouens, ne diuinauerit quidem quiſquam, tantum abeſt ut probabili ratione utatur, quomodo motus numerus erit cogitatio, uel quomodo ſenſus, uel quomodo triſtitia, & in reliquis ſimiliter. Et aliter. Si numerus ſeipſum mouens anima, quoniam diuerſæ ſunt animæ partes, ſeu facultates, neceſſe eſt non eundem eſſe numerum animalem omnem facultatem. Qualis ergo erit numerus rationalis pars animæ, & eius diuerſæ facultates, qualis cogitatiua, qualis & opinatiua, & in irrationali, qualis imaginatiua, uel qualis ſenſitiua, uel aliarum quæpiam, ne fingere quidem eſt facile. Et hæc ergo præter ea, quæ dicta ſunt, abſurda Xenocratis opinionem ſequentur.

Cùm autẽ tres modi traditi ſunt, per quos animam definiunt: hi quidem, quod eſt maxime motiuum pronuntiarũt, eo quòd ſeipſam moueat. Illi verò corpus quod eſt ſubtiliſsimum, uel quod eſt aliorum maxime incorporeum. Hæc autem quas nam dubitationes, & contratrietates habeant, percurrimus propemodum. Reſtat ut conſideremus, quomodo dicitur eam eſſe ex elementis. Dicũt enim, ut quid ſit eorum, quæ ſunt, ſentiat, & vnumquodq; intelligat. Huic autem orationi multa etiã euenire neceſſe eſt, quæ fieri nõ poſſunt, 75 76

Ea quæ dicta ſunt, concludit, ut, quod reſtat, adijciat. Dixit enim, quòd eorum, qui de anima dixerũt alij ad eius motiuã facultatem reſpexerunt: alij ad cognitiuam: alij ad id, quod eius eſt ſubtile, uel incorporeum. Poſtquam ergo eos refellit, qui ad uim eius motiuam reſpexerunt, & id, quod eſt eius incorporeum: nunc tranſit ad reliquũ. Ipſam enim mouere ipſe quoq; uult: & ea ratione illos admittit, qui ad id reſpexerunt, ſicut & eos, qui ad uim eius cognitiuã, & quod eius eſt incorporeũ. Reprehendit autem illos quidem, quod eo, quòd moueatur, ſic moueri dicebant: illos autem, quòd, cùm incorpoream maginati eſſent, inſtitutam orationem non tenuerunt: ſed ſubtile corpus eam eſſe dixerunt. Hæc autem quaſnam dubitationes & cõtrarietates habeant percurrimus propemodum. Sequebatur enim & eis, qui maxime motiuum, & ijs qui ſubtiliſsimum dicunt, & corpus per corpus peruadere, & ab anima corpus

*ita moueri, ut ab argento uiuo Venus lignea. Huic autem conſequens erat, ut rurſus poſſet in corpora mortua ingrediens ea mouere, & quòd non ſit animali anima ſtatus cauſa. Quæ autem aduerſus per ſe mobile dicta ſunt, aperta ſunt. Reſtat ergo ut eos refellat, qui ad uim eius cognitiuam reſpexerunt, qui quidem ex elementis rerum eam dicebant, ut ſimili ſimile cognoſceret. Quam orationem, inquit, multa quæ fieri non poſſunt conſequuntur.*

Statuunt enim ſimili ſimile cognoſcere, perinde ac ſi res animam ſtatuant. Non ſunt autem hæ ſolæ, ſed multæ, uel fortaſſe potius
77 infinitæ numero, quæ ex eis ſunt. Ex quibus ergo vnaquæque eſt, eſto animam cognoſcere, & ſentire: Sed vniuerſum ſimul quanam re cognoſcet, & ſentiet? vt, Quid deus, vel homo: vel caro, vel os: Similiter autem & quoduis aliud compoſitum. Neque enim quomodocunque ſe habentia elementa eorum vnumquodque, ſed proportione quadam & compoſitione. ſicut & de oſſe dicit Empedocles.

*Quoniam cognitiuam formam animam habere ſtatuunt, dicunt autem ſimili ſimile cognoſci, tantum non dicunt quæcunque ſunt eſſe animam. Sed tanquam abſurdum hoc uitantes, eam ex rerum elementis faciunt. Quod autem ſic ab eis dicitur multa conſequuntur, quæ fieri non poſſunt. Si enim ſimili ſimile cognoſcit, ea cognoſcet ex quibus ipſa componitur, Dico autem elementa, & rerum principia. Non ſunt autem in ijs, quæ ſunt, principia, & elementa ſola: ſed ſunt multa, & numero infinita, quæ præter principia, & ex ijs ſunt compoſita, quæ & à ſe inuicem, & à principijs differunt. Quomodo ergo ea cognoſcet? Ea quidẽ, ex quibus ea, quæ ſunt, cognoſcet, dico autem elementa, non utiq; autem & ea, quæ ex elementis ſunt. Cum qua enim compoſitione eſt eorum unumquodque? Cuius compoſitionis cùm non ſit anima particeps, ea non cognoſcet, ſi quidem ſimili ſimile cognoſcit. Quia autem eſt propria uniuſcuiuſq; compoſitionis ratio, ad fidem eius rei faciendam Empedoclis quoque carmina hoc declarantia ea de cauſa adijcit. Quare, ſi ea oportet animam cognoſcere, ipſarum quoq; compoſitionum rationes eam oportet habere. Si autem non habet, ea non cognoſcet. Quam ob rem Plato quoque in Timæo non ſatis habuit animam ex elementis facere: ſed & eius compoſitionem ſecundum harmonicos numeros facit. Si autem & elementa, ex quibus res, ſunt in anima, & compoſitorum rationes, ſecundum quas componuntur, rurſus neceſſe eſt res omnes eſſe animam Si enim & hominis elementa in anima: & eorum compoſitionis rationes: homo ergo eſt anima. Et ſimiliter in lapide & alijs. Nihil enim eſt aliud res unaquæq; niſi elementa cum qualitate quadam prædita compoſitione. Si enim compoſitionis elementorum proportiones, ut forte Hemiolia, uel quæcunque alia, ei ſua natura per ſe ineſſe poſſent, eſſet ſatis ueriſimile & probabile figmentum, quòd elementa habens anima, habens autem & rerum rationes, ſic cognoſcit compoſita. Quoniam autem compoſitionum rationes in ipſis ſunt elementis compoſitis, omnino neceſſe eſt eum, qui in anima elementa eſſe dicit, eſſe autem & rerum compoſitionis rationes, nihil aliud dicere, quàm quòd res ſunt in anima, ut equus, & lapis, & reliqua. Hoc autem quàm ſit abſurdum ne dicere quidem opus eſt. Infinitæ autem, inquit, res ſunt, non naturæ ſed nobis, uel ſi hoc non ita eſt, quòd ſemper fiant, infinitæ.*

Terra decora duas amplis ſortita caminis
Iubaris eſt fluidi partes ex partibus octo.
Quatuor aſt ignis. candentiaque oſſa fuerũt.

Nihil ergo iuuat elementa eſſe in anima, niſi & proportiones inerunt, & compoſitio. Cognoſcet enim vnumquodque id quod eſt ſimile. Os autẽ vel hominem nihil, niſi ea inerunt. Quòd hoc autem fieri non poſſit, dicere non opus eſt. Quis enim dubitauerit, an in anima inſit lapis, vel homo? Similiter autem & bonum, & non bonum. Eodem autem modo & in alijs.

*Quoniam horum uerſuum meminit ad probandum, quòd ſecundum aliquam compoſitionis proportionem ipſi res fiant, ſi hos uerſus aſſequi uolumus, de eis pauca dicenda ſunt. Octo partes ad oſsium generationem aſſumit Empedocles. Quorum quatuor quidem ignis: duas uero terræ: aëris autem et aquæ circa unam. Cur autem octo dicimus? Scimus, quòd ad eorum, quæ ſunt, generationem aſſumebant Pythagorei harmonicos numeros. Ad oſsium itaq; generationem octo accepit: eo quòd primus cubus octo eſt. Cubicam autem figuram terræ attribuunt: non quòd cubica ſit terræ figura, ſed quòd ea ſit immobilis. Ad oſsium ergo generationem, utpote quæ terrena ſunt, meritò cubum accepit. Cubus autem ex harmonicis numeris componitur. Habet enim latera quidem duodecim: angulos uerò octo: ſuperficies ſex. Habent ergo duodecim ad octo proportionem hemioliam: ad ſex autem duplam. Octo autem ad ſex ſupertertiam. Hi autem numeri faciunt proportiones harmonicas. Duplorum enim proportio facit eam, quæ Diapaſon, id eſt, per omnes appellatur, harmoniam. Diapaſon autem, ſeu per omnes appellatur, quòd ex hemiolia, & ſupertertia proportione componitur. Quando enim ſic ſe habent chordæ, ut prima quidem ad ſecundam hemioliam proportionem habeat, ſecunda autem ad tertiam ſupertertiam, tunc prima ad tertiam duplam habebit proportionẽ. ut habet 12. 8. 6. Diapaſon ergo ſeu per omnes, quod omnes habeat harmonicas proportiones. Quæ autem in ſupertertia proportione fit harmonia, Diateſſaron, ſeu per quattuor uocatur. Duobus enim poſitis, latera quidem ſunt in ſubiecto cubo ab a. uſque ad m, anguli autem ab n. uſq; ad y. Quòd autem ſex ſunt ſuperficies, apertum eſt. Cùm enim tria ſunt ſpatia, unũquodq; duos fines habet. Quòd autem octo cubus eſt, clarum eſt. Cubus enim eſt, qui tria habet æqualia ſpatia, longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Sic autem metimur. Accepto latere unius interualli, in ſeipſum multiplicamus. Vt ſi habet unũquodq; latus trium cubitorum, uno in ſeipſum multiplicato, ut ter tria nouem. Deinde rurſus latere ad id, quod factum eſt, multiplicato, ter nouem dicimus uiginti ſeptem ſolidorum cubitorum eſſe cubum. Sic & in numero. Quando tres numeri æquales in ſeipſos multiplicati fuerint, qui ex ipſis fit cubus eſt. ut bis duo quatuor. & bis quatuor octo. Quare & eum cubum definiunt dicentes eſſe numerum æqualem æqualiter æqualem. Et rurſus, quando facto quadrangulo numero in quadrangulum multiplicatus fuerit, cubum facit. Omnis autem numerus in ſe multiplicatus facit quadrangulum. bis duo quatuor, & bis quatuor 12. Terra decora Græce eſt χθὼν ἐπίηρος, id eſt bene cõpoſita. Bene compoſita autẽ ut cubica, eo quòd ex harmonicis numeris cubus eſt. Amplis caminis. Græce eſt εὐστέρνοις χοάνοις, id eſt pectoroſis fornacibus ſeu fuſorijs, pro eo quod eſt, latis. ſunt enim pectora cæteris animalis partibus latiora. Quemadmodũ autem poëta fingit Vulcanũ in fornacem aurũ, et æs, & reliqua immittentem: ſic & ipſe fornacem in terra fingit. Iubaris fluidi. dicit autem aëris, & aquæ duas partes in terram iniectas eſſe Significat autẽ per νήστιδος, quod fluidũ latine eſt, aëris & aquæ humi-*

 dum,

*dum, à uerbo νήειν, quod nare ſignificat. Per ſplẽdorem autem perſpicuum. Quatuor aſt ignis inquit. Quare, quæ ſunt reliqua, duo terræ fuerint: quæ aer & aqua in terram iniecta, ut in fornacem, excepit & temperauit. Quoniam autem ſicca & alba ſunt oſſa, ignis & terræ plus accipiunt. duas quidem terræ: quatuor autem ignis. Igneæ enim ſubſtantiæ album attribuunt. Vtriuſq; autem humidæ ſubſtantiæ, aëris dico, & aquæ circiter unam partem. Et aliter. Si oportebat octo in harmonicos numeros diuidere, fieri non poterat ut in alios diuiderentur, quàm in quos diuiſit. Oportebat enim in quatuor diuidi, ut unicuiq; elementorum pars quædam attribueretur. In æqualia autem non oportebat propter iam dictam rationem. Reſtabat ergo, ut uel in duas trinitates, uel duas unitates, uel ut ipſe diuiſit. Aliæ duæ trinitates non habent harmonicum inuicem numerum. ſicut neq; duæ unitates: illic enim plures ſunt harmonicæ habitudines. Quaternio enim ad dualitatem: & ipſe ad unitates harmonicam ſeruat proportionem.*

78. Præterea autem, cùm id, quod eſt, multis modis dicatur. Significat enim hoc quidem hoc aliquid: illud verò quantum: vel quale: vel aliquod aliud ex diuiſis prædicamentis: vtrũ ex omnibus erit anima, an non? ſed nõ vidẽtur eſſe omniũ elementa cõmunia: an quæcunq; ſunt ſubſtantiæ, ex ijs ſolis? quomodo ergo cognoſcit & aliorum vnumquodq;? aut vtriusq; generis dicent eſſe elementa & propria principia, ex quibus conſtituta ſit anima. Erit ergo & quantitas & qualitas, & ſubſtantia. ſed fieri non poteſt, vt ex quantitatis elementis ſit ſubſtantia, & non quantitas. Iis ergo, qui dicunt ex omnibus, hæc & alia eiuſmodi eueniunt.

*Si ſimili ſimile cognoſcit, & propterea eam eße oportet ex eorum, quæ ſunt, principijs, quoniam multa ſunt, inquit, ea quæ ſunt, diuiduntur autem in decem prædicamẽta, quæcunq; autem ſunt cognoſcit anima, neceſſe eſt eſſe communia decem prædicamentorum principia & elementa, ex quibus cùm ſit anima, omnia quæ ſunt cognoſcet: uel ſi communia non ſint principia, ſed uniuſcuiuſq; prædicamenti propria ſint principia, ut Subſtantiæ quidem materia & forma: Quantitatis autẽ, ſiue quantitatis continuæ & diſcretæ ſignum, & unitas: illud quidem principium quantitatis continuæ: hæc autem diſcretæ: ſimiliter autem & uniuſcuiuſq; aliorum, quæ ſunt, principia. Prædicamentorum autem principia nunc dico elementaria & coordinata, ſicut & lapidis principium fortaſſe eſt ſubſtantia. Sunt autem & quatuor elementa. Vel ergo ex omnibus erit prædicamentorum principijs, uel ex ſubſtantiæ. Sed ſi ex ſubſtantiæ principijs erit anima, quomodo cognoſcet quantitatem, uel qualitatem, uel ulla alia prædicamenta? Si autem ex quantitatis principijs anima, uel alicuius alius præter ſubſtantiam: quomodo ex quantitatis principijs ſit ſubſtantia? Anima enim eſt ſubſtantia. & rurſus, quomodo reliqua cognoſcet prædicamenta? Si autem eſt ex omnibus prædicamentorum principijs, erit ipſa & ſubſtantia, & quantitas, & qualitas, & unumquodq; aliud prædicamentum. Hoc autem fieri non poteſt eo, quòd quantitatis elementa faciunt quantitatem, & qualitatis qualitatem: & in reliquis ſimiliter. Fieri autem non poteſt, ut animam quantitas uel qualitas faciat, cùm ſit ſubſtantia. Si autẽ dicit aliquis, quòd partim quidem erit ſubſtantia: partim quantitas: partim qualitas: partim autem unumquodq; aliorum: Quomodo ex ijs omnibus una ſit anima, dicat. Nihil enim ex ijs compoſitum ſit unum. Præterea autem ſi in genere ipſa à ſe nõ dißideat, quam adhuc animæ partem, uel facultatem cui prædicamento attributuri ſumus, ne fingi quidem poteſt. Reſtat ergo, ut communia eſſe elementa dicamus decem prædicamentorum, ex quibus ſit anima. Hoc autem fieri non poteſt. Nullum eſt enim decem prædicamentorum genus commune: ſed ſunt à ſe inuicem diuiſa, nullo communi genere coniuncta. Ens enim de eis æquiuoce prædicatur. Si quis autem dicat, quòd eſt & quantitas & qualitas aliqua ſubſtantiæ conſubſtantiata, ſi eo uerbo uti licet, quòd una cum ſubſtantiis ſubſiſtat. Quare quamuis ſit ſubſtantia, poterat & quantitatem & qualitatem apprehẽdere. Ignis enim, quatenus quidem corpus eſt, hoc cum ſua ſubſtantia habet, quod ei quoq; formam tribuit, quòd ſit triplici internallo diuiſibile. Quatenus autem ignis, calidam & ſiccam qualitatem. Ad hoc ergo dicimus, quòd & ſi hoc ita eſſet, quomodo res cognoſcet, quæ ſunt ſub reliquis prædicamentis? Deinde & ſi ſit aliqua quãtitas, & qualitas, quæ alicui ſubſtantiæ formam præbet, eam quidem certe quantitatem & qualitatem, quæ eſt ut accidens, quod ei adeſt, & ab eo recedit, non cognoſcet, niſi ſit ex qualitatis & quantitatis principijs. Iis ergo, inquit, qui dicunt ex rerum principijs eſſe animam, hæc abſurda eueniunt, et ex eorum, quæ dicta ſunt, ſimilitudine inuenire licet multa quoq; eiuſmodi his conſequentia.*

Eſt autem abſurdum dicere non pati quidem, nec affici ſimile à ſimili. Simile autem ſentire ſimile: & ſimili ſimile cognoſcere. Sentire autem aliquid pati, & moueri ſtatuunt. Similiter autem & intelligere, & cognoſcere. 79

*Illi quoq;, inquit, ponunt, quòd ſimile à ſimili non patitur, ut & ueritas habet. Neq; enim ſiccum à ſimiliter ſicco patietur, neq; humidum à ſimiliter humido, neq; ullum aliud. Et ſi enim patitur lucerna à magna lãpade extincta: ſed non tamen, quatenus ſimile eſt, patitur, ſed quatenus dißimile. Vt enim imbecilior à ualentiore. Si itaq; ſimile à ſimili non patitur, quomodo rurſus aiunt, quòd ſimile à ſimili cognoſcitur? Quod enim cognoſcit patitur, agente eo quod cognoſcitur. Senſile enim agit in ſenſorium, uel diſcernens ſeu diſgregans, uel coniungens & congregans, uel, ut ſemel dicam, mouens & cognoſcens à cognoſcibili mouetur, ut & ipſis uidetur. Sentire enim animam moueri dicunt. Quare ſi ſimile à ſimili non patitur, agit autem, & patitur &, quod cognoſcitur, &, quod cognoſcit, non ergo ſimile à ſimili cognoſcitur. Et ipſe dicit in libro de generatione & corruptione non quodlibet à quolibet pati: neq; enim, quod eſt omnino dißimile, agere in id quod eſt dißimile: neq; id, quod eſt idem omnino: ſed oportere agẽs quidem, & patiens partim quidem eſſe ſimile, partim autem dißimile. Potentia quidem ſimile: actu autem dißimile. Agit enim calidum in frigidum, quod potẽtia quidem eſt calidum, actu autem frigidum. Et ſi agat id, quod eſt ualde calidum, in id, quod eſt mediocriter calidum, non tamen quatenus calidum agit, ſed quatenus frigidum. Quod enim eſt minus calidum, eſt frigidi particeps. Ex his ergo infert, quòd ſibi ipſis contraria dicunt, qui animã dicunt ſimile ſimili cognoſcere, & hoc quoq; dicunt, quòd ſimile non patitur à ſimili.*

Cùm multas autem dubitationes, & difficultates habeat, Si dicatur, vt dicebat Empedocles, quòd corporeis elementis vnaquæq; cognoſcũtur, & ad ſimile, teſtificatur quoq;, quod nunc dictum eſt. Quæcunque enim in corporibus animaliũ ex terra ſimpliciter inſunt, vt oſſa, nerui, pili, nihil ſentire videntur.

Quare

Quare nec ſimilia. Atqui conueniebat.

*Dicere ſimile à ſimili cognoſci, ſicut Empedocles, Nam terram terra conſpeximus, & ſiquis alius hoc dicit, multas quidem habere abſurditates, & dubitationes iam probatum eſt: maxime autem conuincetur ab eo, quod nunc dicendum eſt. Quod enim nunc dictum eſt dicit, pro eo, quod nunc dicendum eſt. Significat autem id ea, quæ ſubiungitur, cauſalis cõiunctio, enim. Quæcunq; enim &c. Si enim ꝓpterea dictũ ſit, Nã terrã terra conſpeximus, quòd ſimile à ſimili cognoſcatur: oportebat ea, quæ terræ magis accedunt, eam magis cognoſcere: nunc autem contra fit. Eorum enim, quæ in nobis inſunt, quæ terræ plus participant, pili, oſſa, & ungues ſunt penitus inſenſiles. Cùm ſunt autem omnino inſenſiles, clarum eſt, quòd nec ſimilia ſentiunt. Atqui ſenſitiua quidem eſſe, & maiorem terræ cognitionem habere oportebat, ſi ſimile à ſimili cognoſcitur. Non eſt ergo hæc uera oratio. Si quis autem, quod nunc & quod iam dictum eſt, audiat, poteſt ad id, quòd proximè dictum eſt, ſubaudire: nempe non poſſe ſimile à ſimili pati, eſſe autem ſentire, ut & ipſis uidetur, moueri & pati, maxime confutauerit id, quod dicitur, ſimile à ſimili cognoſci. Sed, ut dixi, quoniam ſubiungit coniunctionem, enim, magis ueriſimile fuerit, ut ad ea, quæ ſubiunguntur, dicat. Quod nunc dictum eſt.*

80 Ad hæc autem vnumquodq; principium ignorantia magis erit quàm cognitio. Vnum enim vnumquodq; cognoſcet. multa autem ignorabit: omnia certe alia.

*Si enim terram terra conſpeximus, aqua aquam: unũquodq; ergo principium unum cognoſcens, plura ignorabit. Quare ignorantiæ potius quàm cognitionis cauſæ ſunt elementa. Videtur autem hoc argumentum non ad abſurdum orationem deducere, ſed, quod hanc opinionem conſequitur, dicere. Quid enim abſurdi, ſi unum quodq; unum cognoſcet, ignorabit autem alia? Tactus enim cognoſcit quidem tangibile: uiſibile autem & audibile, & odorabile, & guſtabile nouit: nõ et alij ſenſus ſimiliter. Hoc autem argumentum uidetur & in amicitia magis abſurdum oſtendere: de qua, quæ ſequuntur, deinceps ſubiũgit: & propterea in alijs elementis præſumptum eſſe, ut quod conſequens eſt, in amicitia quoq; inferat.*

Empedocli autem euenit, vt deus quoque ſit ſtultiſsimus. Solus enim elementum non cognoſcet litem: mortalia autem omnia. Ex omnibus enim vnumquodq;.

*Et hoc, inquit, abſurdum Empedoclis opinionem ſequitur: quòd Deus illi eſt inſipientior craſſis & concretis mortalibus. Cûm enim omnia ſint ex quatuor elementis compoſita: & præterea ex lite & amicitia, & propterea omnia cognoſcãt, quòd omnia principia habeant: Sphærus, quem deum dicit, cùm litis non ſit particeps, eam non cognoſcit. Is enim apud illum fit ſecundum amicitiæ potentiam, & dominationem. Mortalia autem, cùm ſint ex omnibus elementis, omnia cognoſcent. Et ideo, inquit. Nã terrã terra cõſpeximus, & Viſus amoreq; amor, lite & contentio triſtis. Nonnulli autem in amicitia deum accipiebant, quòd deus, quem dicit, is autem eſt ei amicitia, litem, ut quæ ſit contraria, non cognoſcet. Quare inſipientior erit illis compoſitis, & quæ eam cognoſcunt. Si quis autem dixerit, quòd nec reliqua elementa ſciet, adhuc abſurdior erit oratio. Eſto autem alia elementa amicitiam cognoſcere, quæ in ſe habet eorum unumquodq;, ut & ipſa cognoſcat: ſiquis & hoc conceſſerit elementa quoque eſſe in ſe inuicem, litem quidem certe in ſeipſa non habebit. Erunt enim ſimul contraria, quod fieri non poteſt. Videtur autem, quæ de Sphero, id eſt apud eum deo, expoſitio eſt, eſſe conuenientior. Pulchre autem notauit Alexander hanc eſſe probabilem argumentationem. Non enim inſipientior eſt deus, qui deteriorum non habet apprehenſionem. Melius eſt enim ipſa ſola meliora apprehendere, deteriora autem non poſſe intelligere.*

Omnino autem quam ob cauſam non omnia, quæ ſunt, habent animam? Quandoquidem quodcunque eſt, vel eſt elementum, vel ex elemento vno, vel ex pluribus, vel omnibus. Neceſſe eſt enim aliquid vnum cognoſcere: vel aliqua, vel omnia. 81

*Maximè quidem. Si enim elementa anima: omnia autem, quæ ſunt, ex elementis ſunt: uel omnibus, uel aliquibus: uel uno: ut glacies ex una aqua: omnia eſſe animam et ſenſitiua oportebat, & unumquodq; cõpoſitum corpus, uel omnia cognoſcere, ſi ex omnibus ſit elementis: uel aliqua, ſi ex aliquibus: uel unum, ſi non ſit compoſitum, ſed ex uno elemento, ut glacies.*

Dubitauerit autem quiſpiam, & quid eſt, quod ea vnit. Materia enim elementa eſſe videntur: Illud autem maxime dominans, quod ea continet, quidnam eſt? fieri autem non poteſt, vt ſit aliquid anima præſtantius, & quod ei imperet: minus autem fieri poteſt, vt mente. 82

*Quoniam animam ex elementis dicebant, ea autem diſcreta ſunt, & materiæ rationem obtinẽt: ſiquidem non elementa ſimpliciter dicebant animam, ſed ex elementis: quid eſt, inquit, quod unit hæc diſcreta elementa, quæ ad generationem animæ conueniunt, ſiquidem quæ una eſt anima ex pluribus eſt elementis? Illud ergo, quod eius unionis cauſa eſt, anima eſt. In quibus autem eſt, quod continet, & quod continetur, natura prius & melius eſt id, quod continet, eo, quod continetur. Quare, ſi in compoſito, quod continet, & dominatur, anima eſt, ea enim egreſſa corruit compoſitum: Quod autem continet, id & natura primas partes obtinet, anima ergo primas partes obtinet. Elementa autem, quæ ex anima unionem habent, & continuitatem, poſteriore loco ſint. Quare anima eſt elementis principalior. In ijs enim, quæ ex materia & forma conſtant, principalior, & natura prima forma eſt. Propter eam enim eſt materia. Siquidem illa propter quod eſt: Hæc uero alicuius gratia, & ad eius ſuſceptionem accommodatur, & componitur aptitudo materiæ. In animatis autem forma eſt anima. Natura ergo primum eſt anima. Illi autem dicunt omnium principia eſſe elementa: & eius, quod continet, nempe animæ, quæ continentur, elementa eſſe dicunt principia & cauſas. Sic autem fuerit argumentum. Quod maxime dominatur, continet. Anima autem maxime dominatur. Ipſa ergo continet. Quod continet, principalius eſt. Anima ergo eſt principalior: Nõ ſunt ergo elementa omnium rerum principia. fieri autem non poteſt, ut ſit anima aliquid melius, & quod ei imperet. Anima enim hoc quidem corpore, præterea autem & ſpiritu eſt pretioſior: ſola mente non eſt antiquior. Mens autem anima & pretioſior eſt, & antiquior, ut quæ ſeparabilem habeat ſubſtãtiam. Omnium ergo ſecundum naturam mens eſt principaliſſimum. Quomodo ergo dicunt illi elementa? Rationi enim conſentaneum eſt, ut, quod natura eſt pretioſius, id ſit quoq; antiquius.*

Eſt enim rationi maxime conſentaneum id eſſe antiquiſsimum & dominans ſecundum naturam. Elementa autem dicunt eſſe rerum prima.

*Manifeſtè ergo per hæc quoq; uult ſeparabilem eſſe men-*

tem. Ariſtoteles: ſiquidem & eam anima antiquiorem eſſe dicit. Mentem autem dicit rationalem animam: animam autem reliquam. Hic habes illius ſolutionem, de quo cùm ſuperius dubitaſſet, ſolutionem non attulit, Quòd corporis temperaturas ſequantur motus animæ. Hoc enim accidit, quando præter naturam homo habet. Quando enim mens non imperat, quam ſecundum naturam imperium obtinere oportet, ordine conuerſo ſequuntur corporis temperaturas animæ facultates. Quando autem mens imperat, tunc, cùm ſecundum naturam homo habeat, non amplius corporis temperaturas ſequuntur animæ facultates, ſed animam corpus ſequitur.

83 Omnes autem, &, qui eo, quòd anima res cognoſcat, & ſentiat, ex elementis eam dicũt, & qui, quod eſt motiuum maximè, non de omni anima dicũt. Neq; enim omnia, quæ ſentiunt, ſunt motiua. Cernuntur enim quædam animalia ſecundum locum ſtabilia.

Cùm eos, qui de anima dixerũt, in tria diuiſiſſet: & in eos, qui ad motiuum reſpexerunt: & eos, qui ſenſitiuum: & eos qui incorporeum: & unamquamq; harum opinionum ſeorſum confutaſſet: ut iam enim dixi, uniuſcuiuſq; harum hoc quidem admittit: illud uerò reprehendit: Quòd enim, quòd mouet, & quod eſt ſenſitiuum animam dixerunt, & quòd quam maximè eſſe exiſtimauerunt incorpoream animam, admittit: reprehendit autem, hos quidem, quòd oportere exiſtimauerunt, eo, quòd moueatur, moueri: illos autem, quòd ex principijs eam eſſe dicunt, eo, quòd ſimili ſimile cognoſcitur: illos uerò, quòd, cùm incorporeum rectè imaginati eſſent, ſuam ſententiam non tenuerunt, ſed ad ſubtile corpus delati ſunt. Harum ergo opinionum cùm unamquamq; ſeorſum cõfutaſſet, & quæ unamquamq; abſurda ſequerentur, oſtendiſſet, nunc aduerſus omnes communem quandam confutationem intendit. His enim, inquit, omnibus euenit, ut non de omni anima diſſerant. Et qui corpus maximè motiuum eam dixerunt, uel ſubtiliſſimum, utriq; eam motu exprimentes, & formam imponentes, nihil neq; de plantali ſeu uegetatiua anima dixerunt, neq; de eorum anima, quæ inter ſenſilia & uegetabilia media ſunt, quæ ζωόφυτα id eſt plantanima appellantur. eorum enim anima à motu formam nõ capit. nihil enim eorum ſecundum locum mouetur. Et de plantis quidem clarum eſt. Videri autem poſſunt & Plantanima moueri, ut ſpongiæ. Non eſt autem hic localis motus: neq; enim locum mutat: ſed eſt ueluti quædam contractio. Motum autem accipiebant illi, qui facit ex loco in locum mutari ſecundum res totas. Eorum autem ſunt immobiles integritates ſeu, ut indicam, totitates. Qui autem ad cognitiuum & ſenſitiuum, & ipſi quoq; de uegetatiua nihil dixerunt. Plantæ enim animatæ quidem, ſed nullo ſunt ſenſu prædita, & cognitionis expertes.

Atqui videtur eo ſolo motu anima mouere animal.

Cùm dixiſſet, quòd, qui ad uim motiuam reſpexerunt, non de omni anima diſſerunt. Neq; enim de plantarum, neq; de plantanimorum. Quæ quidem plantanima ſenſus quidem partem habent, motu autem, qui ſecundum locum fit, carent: ne quis dicat, quòd & ea mouentur. (Alterantur enim, & augentur & plantæ, & plantanima). propterea addidit, eo ſolo motu, dico autem eo, qui eſt ſecũdum locum, anima mouet animal. Si ergo eo ſolo motu mouet animal, qui a motiuo eam definiunt, non de omni anima dixerint. Quod enim alteratio, & auctio non ſunt animæ motus, ex hoc manifeſtum eſt, quòd & inanimata augentur, ut lapides, & alterantur, ut omnia, quæ ſunt in generatione. Motu autem, qui eſt ſecundum locum, qui & ex ſeipſo eſt, & ſecundum impetum fit, ſola animalia mouentur. Præterea illorum unoquoque motuum etiamſi, quatenus eſt animatum, mouetur, non tamen ab anima, ſed à quibuſdam externis. Vel enim à ſenſilibus: uel ab intelligibilibus: uel ab eo, quod aggregat, & auget: ſecundum animam quidem certe, quatenus animatum. Eo autem, qui fit ſecundum appetitionem, non quatenus animatum ſolum, ſed & ab anima moueri uidetur.

Similiter autem & quicunq; mentem, & vim ſenſitiuam ex elementis faciunt. Cernuntur enim & plantæ uiuere: cùm neq; localis motus ſint participes, neq; ſenſus: & multa quoq; animalia cogitationem non habere.

Poſtquam oſtendit, quomodo, qui & à motu animam definiunt, non de omni anima dicunt, rurſus oſtendit, quòd neq; ij qui ab eo, quòd cognoſcat, eam definiunt, de omni diſſerunt. Tanquam ſenſum, & mentem eandem animam dicant, qui ab eo, quòd cognoſcit, eã definiunt, & eã propterea ex elemẽtis conſtituunt, ſic dixit. Sic enim dixit apertè quidẽ Democritus. Viſus eſt autem dicere & Anaxagoras. Neq; ij ergo de omni anima dixerunt: neq; enim ij de illa dixerint, quæ ſenſum & mentem non habet. Ea enim ſunt, quibus anima cognoſcit, mens, & ſenſus. Hi ergo nec de anima uegetatiua diſſerunt: Neq; enim plantæ ſentiunt. & hoc ſolum commune eſt & ijs, qui motiuum, & ijs qui ſenſitiuum dicunt. Plantæ enim neque mouentur, neq; ſentiunt. De pluribus autem diſſerere uidẽtur, qui ſenſitiuum dixerunt. Comprehendunt enim & plantanima, quæ ab ijs qui motiuum dicunt, non comprehendebantur. Aduerſus eos autem quiſpiam dubitauerit: cur nam, ſi excelẽtis eſt animæ, ut cognoſcat, aliæ quidem animæ & ſentiunt, & cogitant: aliæ uero ſolum ſentiũt? Hoc ipſum & aduerſus eos, qui motiuum dicunt, dicere conuenit. Cur enim, cùm eadem ſit natura, aliæ quidem ſecundum locum mouentur, aliæ non?

Si quis autem hæc quoq; conceſſerit, & poſuerit mentem aliquam animæ partem, ſimiliter & vim ſenſitiuam, nec ſic quidem de omni anima in vniuerſum dixerint, neq; de tota, neq; de vna. 84

Id eſt, etiam ſi concedamus omnis animæ partem eſſe mentẽ, & uim ſenſitiuam, uel tanquam idem ſit, uel tanquam hæc ſic concurrant, ut ubi ſenſus, illic quoq; mens ſit, ut dicere uidebãtur Pythagorei, qui in quodlibet corpus animam traducebant: ſed ne ſic quidem de omni anima diſſeruerint, qui ex cognitione eius ſubſtantiam definiunt. Vegetatiuæ enim non inſitum eſt ut cognoſcat, uel ſentiat. Neq; ergo de omni, neq; de una tota. Si enim uel maximè omnis anima & mentem & ſenſum habet: ſed & habet nutritiuã, & auctiuã & generatiuã facultatem, quæ aliæ ſunt à cognitiuis facultatibus: & quæ manifeſtius quàm illæ in omnibus inſunt, quæ animam habent, de quibus nihil dicunt. Sed neq; de ea, quæ eſt ſecundũ locum motiua. Quare uel in omni animato hæc ſunt: Illi uerò de eis nihil dicunt. De nulla tota diſſerunt. Tãquam enim una quæpiam eſt in uno quoq; indiuiduo anima, quæ pluribus facultatibus uel partibus utitur. De quibus, qui non diſſerunt, ne de una quidem tota diſſeruerint. Id autem fortaſſe eſt, eius, quod contra occurrebat, ſolutio. Ne quis enim pro ijs, qui id, quod eſt cognitiuum, animam eſſe ponunt, reſpondens dicat, eos non de omni anima loqui, ſed de humana: cuius totius proprium eſt cognoſcere: ideo dicit, quòd ne de una quidem tota loquuntur. Humana enim anima non tota ſecundum ſeipſam eſt cognitiua. In ea enim eſt & pars animoſa, quam iraſcibilem appellant, & deſyderatiua, & uegetatiua. Quarum nulla eſt ſenſus particeps. non ergo de omni humana diſſeruerunt.

Hoc

Hoc autem ei quoq; euenit, quod in ijs, qui Orphei ferũtur, verſib⁹ dicitur. Dicit em̃ animam ex vniuerſo ingredi à reſpirantibus ventis latam. Fieri autem non poteſt, vt hoc plantis accidat: neq; nonnullis animalibus, ſi quidem non omnia reſpirant.

*Quæ Orphei feruntur dixit. Neq; enim Orphei eſſe uidentur, ut ipſe in libro de philoſophia dicit. Eius enim ſunt placita, ea autem, inquit, melius nomen adipiſci contigit. Illic ergo dicit, quòd anima à uentis ex uniuerſo lata, ab animalibus reſpiratur. Quare & hoc non de omni anima dicitur. non enim omnia reſpirant animata. Neq; enim inſecta: neq; plantæ. Dicunt autem hos uerſus per reſpirationem quidem denotare ſuſcepturi animam corporis habitudinem: eo quòd reſpiratio innatum calidum refrigerans ad commoderationem deducit: Vẽtos autem dicunt facultates quaſdam ſignificare, per quas ad generationem deducitur anima ex uniuerſali operatione, quã à particulari hoc corpore & generatione liberata exercet.*

85 Hoc autem eos latuit, qui ſic exiſtimauerunt, ſi quidem oportet animam facere ex elementis, nihil opus eſſe ex omnibus. Altera enim pars contrarietatis ſufficit ad ſeipſam iudicandam & oppoſitum. Recto enim ipſum incuruum cognoſcimus. Amborum enim iudex eſt regula. Incuruũ autem neq; ſui ipſius, neq; recti.

*Latuit, inquit, eos, qui ex elementis animam faciunt, ut cognoſcat, quòd ex omnibus nihil opus eſt: ſed ex altera contrariorum parte eam facere ſatis erat. Alterum enim contrariorũ ad ſeipſum cognoſcendum ſatis eſt, quòd aptum ſit, & appoſitum conueniat, & contrarium per priuationem, quòd non ſit aptum, nec appoſitum conueniat. Sicut habet, inquit, in recto & incuruo. Recto enim rectum cognoſcitur, quòd appoſitum conueniat: & incuruũ, quòd non conueniat. Incuruum autem neq; ſibi conuenit: eſt enim incuruum indefinitum: neq; omnino conuenit: eo, quòd ſit indefinita incuruitas: neq; recto. Similiter ut cognoſcamus ignorantiam, non eſt nobis opus ignorantia, ſed ſcientia & ſeipſam nouit & ignorantiam. Similiter in uiſu, & cæcitate, ſed hic, eo, quòd ſecundum habitum & priuationẽ eſt oppoſitio, meritò ſolo habitu opus eſt ad utriuſq; cognitionem. Quoniam enim indefinita eſt priuatio: & nihil aliud eſt, quàm formæ abſentia: meritò formæ cognitio & eius, & priuationis eſt cognitio. Hoc enim eſt priuatio, quod nõ eſt habitus. In contrarijs autem utroq; formato, & definitã habente naturam, ad cognitionem non eſt ſatis dicere, quòd non eſt hoc. Si enim album ſcirem, nigrum autem ignorarem: deinde diceret quiſpiã, quòd nigrũ eſt, quod non eſt albũ. albũ quidem, uidelicet, imaginatio tolleret, in indefinito autem deinceps eſſet, ſicut in priuatione, non habens cui inniteretur. Oportet autem, ſi quidem habenda eſt nigri cognitio, eius naturam imaginatione circunſcribi. Forte autem quoniam & in elementis ſunt alia quidem actiua, uel potius formalia, ignis, & aër: alia uerò magis materialia & paßiua, ut terra, & aqua: quæ ſecundum formam ſunt ordinata, quæ & actiua, ad ſubſtãtiam animæ ſatis erant. His enim alia quoq; cognouiſſet abſentia. Ex analogia ergo & cõuenientia acceptum eſt, quod dicitur. Si enim ubi forma eſt, & priuatio, per formam & ipſam formam, & priuationem cognoſcimus. Quod autem deterius eſt, in contrarijs materiæ rationem, & priuationis obtinet. Altero ergo contrariorum, quod ad formam proportionem, & rationem habet, alterum quoq; cognoſcemus, quod cum priuatione conuenientiam habet. Nunquid autem, & tanquam contraria, ad amborum cognitionem alterum noſſe ſufficit, ſiquidẽ una eſt contrariorum diſciplina? Quando enim contrarium dixero, clarum eſt, quòd & paßiuas cognoſcam contrarietates. Quare ſi ſciuerim, quòd albũ uiſus eſt diſcretiuum & diſgregatiuum: hoc ipſo, uidelicet, contrarium quoq; nouero. Diſcretioni enim & diſgregationi contrarium eſt concretio, & congregatio: Quod itaq; albo contrarium eſt, concretiuum, & cõgregatiuum erit. Quare ſi in aliquid incidam, quod concernit & congregat: etiam ſi id non nouerim, eo, quòd album ſciam, quod diſcernit & diſgregat, eo ipſo noui &, quod incidit, nigrum, eo quòd albo ſit contrarium. Sic ergo ſatis erat animam ex uno eſſe elemento: ut igne. Si enim hic eſt calidus & ſiccus, quando uidelicet in reliqua elementa incidero, quæ contrario huic modo affecta ſunt, per eam, quæ ad ipſum eſt, contrarietatem illa quoq; cognoſcam. Quare & ex uno elemento facere animam ſatis erat. In unoquoq; enim elemento duarum contrarietatum ſimul altera pars eſt.*

Atq; in vniuerſo quidem eam mixtam eſſe quidam dicunt. Vnde & fortaſſe Thales exiſtimabat omnia eſſe dijs plena. Habet hoc autem dubitationes aliquas. Propter quã enim cauſam, quæ in aëre vel igne anima eſt, non facit animal: ſed in mixtis, idq;, cùm in eis melior eſſe videbatur? Quæſiuerit autẽ quiſpiã & propter quam cauſam, quæ in aëre anima eſt, ea, quæ eſt in animalibus, melior eſt & immortalior? 86

*Aliam opinionem de anima exponit. Exiſtimauerunt enim nonnulli animam in omni corpore eſſe mixtam: ut omne ſit animatum corpus. ex hac autem opinione Thaletem quoq; exiſtimaſſe omnia eſſe plena dijs. ſecundum locum exiſtimante Thalete deum eſſe ubique: uel quòd ipſam animam deum putaret, uel diuinæ partis eam eſſe. Tale eſt autem & id Arati.*

*Altitonoq; Ioue eſt omnis uicinia plena:*
*Omnia ſuntq; hominum fora plena, eſt & mare plenum,*
*Et portus.* *Dicunt autem & ſtoicos in hac eſſe opinione. Deũ enim corpus exiſtimabant. Secundum locum itaq; Deum ubiq; exiſtimare, & abſurdum & à ratione alienum eſt: ſi quidẽ, ne ut corpus quidem deus ſit, fieri poteſt, quando & ſenſum eſſe incorporeum oſtenſum eſt. Et aduerſus hoc quidem Ariſtotelis eſt inſtantia. Operationibus quidem certe ubiq; eſſe neceſſe eſt, ſiquidem omnium ipſe eſſe demonſtratur. Sic ergo illud intelligimus.*

*Omnia plena deis: illis ſunt undiq; & aures,*
*Per ſaxa & rupes, terras, hominemq; per ipſum,*
*Quemcunq; ipſe intra celat ſua pectora ſenſum.*

*Aduerſus hanc ergo opinionem, quæ in uniuerſo animam eſſe dicit, primum quidem dubitat, cur, cùm in uniuerſo anima ſit, alia quidem ſunt animalia, alia uero non. Atqui oportebat omnia eſſe animalia. Nihil autem ſimplex animal eſt, ut elementa. Atqui ea magis oportebat eſſe animalia. Cùm enim in igne & aëre ſit, ut quæ in purioribus & ſubtilioribus ſit corporibus, in his melior fuerit anima, quàm compoſitorum. Quare & eius magis apparere deberent operationes. Hoc autem, ut ab eis dictum, refert, quòd in igne & aëre purior eſt anima, & immortalior. Oportebat ergo compoſitis magis quoq; apparere. Et aduerſus hoc etiam mouet dubium: Quomodo aiunt eã, quæ eſt in elementis, eſſe immortaliorem & meliorem? Eque enim ac compoſita ſimplicia quoq; corrumpuntur, & alterantur, & mutãtur. Quæ ergo cauſa eſt, quòd immortaliores ſunt,*

quæ in

*quæ in eis ſunt animæ!*

87 Euenit autem vtroq; modo abſurdum, & à ratione paulo alienius. Dicere enim animal ignem, vel aërem, à ratione alienum eſt: & nõ dicere animalia, cùm anima inſit, abſurdum.

*Quoniam dixit propter quam cauſam, cùm anima in elemẽtis inſit, non ſunt animalia: nunc autem dicit, quòd utrumuis horum dederint, abſurdum, & à ratione alienum eſt, quòd ſequitur. Siue enim ea eſſe animalia dixerint, proiectior, id eſt audacior, & præcipitantior eſt oratio, & quæ facile ex ſenſu refellatur. Abſurdum eſt, & cùm eis inſit anima, non eſſe animalia. Talem enim ineſſe, uidelicet, animam eis exiſtimabant, qualis eſt animalium. Declarant autem &, quæ ſubiunguntur.*

88 Exiſtimare autẽ viſi ſunt in eis eſſe animã, quòd totum ſit eiuſdem ſpeciei cũ partibus.

*Vnde inducti ſint, ut elementa animata dicerent, nunc dicit. Ratiocinatione enim collegerunt, quòd ſi ſimilarium partium ſunt elementa, propterea totum quoq; eſt eiuſdem ſpeciei cum partibus. Totorum autem elementorum partes ſunt, quæ in animalibus animata ſunt: tota quoq; erunt ex neceſsitate animata. Si enim pars eſt animata, totum autẽ parti ſimile eſt, totum ergo animatũ eſt. Propterea enim eſſe animata animalia, quòd habeat unumquodq; partem aliquam cuiuſuis corporis, aëris, uel ignis, uel eorum, quæ in eo ſunt. Cùm ergo illa ſunt animata, & hæc quoq; meritò animata ſunt. Quæ autẽ abſurda hanc orationem conſequuntur, ſubiungit.*

Quare eis dicere neceſſe eſt animã quoq; eiuſdem eſſe ſpeciei cum partibus, ſi eo, quòd aliquid accipiant de eo, quod in animalibus continet, animata animalia fiunt.

*Si propterea, inquit, unumquodq; eſt animatum, quòd in ſeipſo recipiat uniuerſi particulam, ſunt autem omnes uniuerſi partes eiuſdem & cum ſeipſis, & cum toto ſpeciei: neceſſe eſt ea quoq; eſſe animata ſimiliter. Quare &, quæ in eis eſt, anima & eiuſdem cum ſeipſa ſpeciei eſt, & ſimilarium partium. Si enim non fuerit anima eiuſdem cum ſeipſa ſpeciei, & ſimilarium partium, ut aër, non uniuerſa in unoquoq; erit: ſed hæc quidem eius particula in hoc aëre, exempli cauſa, pars animoſa, quæ & iraſcibilis: illa uerò in illo, deſideratiua: & alia in alio. Quòd ſi hoc ita eſt: non erunt amplius aëris partes eiuſdem ſecum ſpeciei, & cum alio. Vel ergo tanquam ab eis dicatur, quòd ſimilarium partium ſit anima, hæc dicit: Vel tanquam ſit manifeſtum eam non eſſe ſimilarium partium, ad hoc abſurdũ orationẽ deducit. Neq; enim quoduis animatũ omnes habet animæ facultates: neq; in quibus omnes ſunt, ut hominibus, eiuſdem ſunt inter ſe ſpeciei. Hoc autem, quòd, ſcilicet, ex hac oratione neceſſe ſit eſſe etiam eiuſdem ſpeciei animã, quæ deinceps quoq; ſequuntur adſtruunt. Aduerſus hanc autem orationẽ tali quoq; diuiſione uti licet, quòd fieri nõ poſsit, oſtẽdentibus. Neceſſe eſt eam, quæ in uniuerſo aëre eſt, animam uel eſſe eiuſdem, uel diuerſæ ſpeciei. Si itaq; eiuſdem eſt ſpeciei, quoniam eo, quòd in animatis aliquam aëris particulam recipiant, animata fiunt, omnia oportebat eiuſdem animæ partem habere. Atqui ſecundum manifeſtè falſum eſt. Non eſt enim ſenſitiuum eiuſdem cum nutritiuo ſpeciei, uel cum alijs. Et primum ergo. Si autem diſsimilarium partium eſt anima, uel omnes eius partes per uniuerſum aërem peruadunt, ut in unaquaq; corporis particula eſt & nutritiua, & auctiua facultas: Similiter & in unaquaq; fronde arboris. Vel ergo omnes per uniuerſum peruadunt: uel unaquæq; animæ pars aliquam aëris particulam comprehendit. Si omnes itaq; animæ partes ſunt in qualibet parte aëris, oportebat omnia eſſe ſimiliter animata, & omnia quoq; rationis & ſenſus partem habere, & iræ, & cupiditatis. Atqui ſecundum falſum eſt. ergo & primũ. Si autem unaquæq; animæ particula aliquã aëris partem accepit: aliud animal oportebat alius animæ partem habere: hoc quidem deſideratiuæ ſolum: illud uerò animoſæ: aliud uerò rationalis: aliud autem alicuius alius: ſi quidem eò, quòd aliquam aëris partem accipiant, animata animalia fiant. Nunc autem uidemus aliqua omnium animalium facultatum partem habere: alia autem plurium: & nullius ſolius facultatis partem habẽt. Si quis autem dicat, quòd, eo, quòd plures aëris partes in animalibus recipiantur, contingit ea plurium facultatum animalium partem habere, dicat quanam hoc ſorte fiat, ut quædam animæ partes in omnibus, ut ſemel dicam, animalibus inſint: quædam uerò non. Nutritiua enim in omnibus, & auctiua. Reliquæ uerò non omnino. Et rurſus quænam ſors eſt inter ea, quæ ſenſus partem nacta ſunt, ut tactus quidem inſit omnibus, reliqui autem non itidem. Et alioqui, ſi ſimilarium partiũ eſt aër, quanam hoc ſorte fit, ut hanc quidem aëris partem ratiocinatiua animæ facultas ceperit, illam autem ſenſitiua, & aliam alia? Non enim quamlibet formam in quamuis materiam immitti à natura datum eſt. Quare ſi aliquam unam diuiſionis partem ueram eſſe neceſſe eſt, ſiquidem animata ſunt elementa: utrumq; autem fieri non poſſe oſtenditur: falſum ergo eſt animata dicere.*

Si autem aër quidem diuulſus eiuſdem eſt ſpeciei, anima autem diſſimilarium eſt partiũ, hoc quidem aliquid eius erit, ſcilicet, illud verò non erit.

*Quòd neceſſe eſt ſecũdum eorum ſuppoſitionem, eã quoq;, quæ in uniuerſo eſt, animam, ſimilarium eſſe partium, per hæc adſtruit. Si enim non fuerit ſimilarium partium, ſed diſsimilarium: eius quidem, inquit, particula in hac aëris parte erit: illa uerò non erit. Quòd ſi ita eſt, non erunt omnes aëris partes, & aliorum elementorum eiuſdem inter ſe ſpeciei: quod illi maxime uolunt. Eis ergo ad contrarium, quod ab eis dicitur, deducit. Illi enim uniuerſum eſſe animatum ex eo confirmabant, quòd partes acciperent, quæ & cum ſeipſis, & cum uniuerſo eiuſdem eſſent ſpeciei: ipſe uerò expoſita ab illis ſuppoſitione diſsimilarium eſſe partium animam adſtruit, quod eſt contrarium. Partes enim aëris, & ſi ſint inter ſe eiuſdẽ ſpeciei, quòd ſibypſi ſimilis ſit aër: ſed tamen, quia non eſt in uno quoq; eadẽ pars animæ, non erunt eiuſdem ſpeciei. Animata enim ſecundũ animæ proprietatem, formam & figuram maximè accipiunt. quoniam uniuſcuiuſq; forma & actus anima eſt. Quare ſi fieri non poteſt, quantum quidem ad id, quod ex eorum ſuppoſitione efficitur, ut diſsimilarium partium ſit anima, erit neceſſariò eiuſdem ſpeciei. Hoc autem aperte falſum eſt: Alius enim ſpeciei rationalis pars animæ: & alius animoſæ ſeu iraſcibilis: & reliquæ ſimiliter. Quare ſi neceſſe eſt ijs, qui uniuerſum animatum dicunt, eiuſdem ſpeciei animam, & ſimilarium partium eſſe dicere: hoc autem falſum eſt: falſum eſt ergo animatũ uniuerſum dicere.*

Neceſſe eſt ergo eam vel ſimilariũ eſſe partium, vel non eſſe in qualibet parte vniuerſi.

*Id eſt, quo ad eorum ſuppoſitionem, quæ dicit in qualibet totius parte eſſe animã, unde & animata, quæ de uniuerſi partibus participant, animata fiunt, neceſſe eſt animam ſimilarium eſſe partium. Niſi enim ſit ſimilarium partium, non erit ipſa in qualibet uniuerſi parte. Quòd autem neq; ſimilarium partium eſt, neq; eſt in omnibus, ex hoc erat oſtendere, quòd nonnullæ in eo partes apertè ſunt inanimatæ, ut lapides, & ligna, & ſimilia, quamuis ea aëris partem habeant. & ſi illi oſtendere conentur*

nentur

*uentur animata eſſe elementa, eo, quòd ſimilarium quidē ſint partium, eorum autem partes ſint animatæ, dico autem eas, quæ ſunt in animalibus, eodem argumento contrarium quoq; probare eſt. Quoniam enim elementorum partes, quæ ſunt in animatis, eiuſdem ſunt formæ & ſpeciei cum totis: eæ autem ſunt inanimatæ: inanimata ergo & tota. Illud autem, In qualibet parte uniuerſi, ſiue in uniuerſo aëre acceperis, euius, quòd animata partem haberent, eo ipſo animata erant, procedit oratio: ſiue de uniuerſo & mundano corpore, adhuc magis abſurdum oſtenditur.*

Ex iis ergo quæ dicta ſunt, manifeſtũ eſt, quòd neq; cognoſcere animæ ineſt eo quòd ſit ex elementis: neq; eam moueri rectè nec verè dicitur.

*Concludit quæ dicta ſunt. Ea autē ſunt, quòd neq; cognitiuam habet facultatem, quòd ſit ex elementis: neq; eo, quòd mouet, & ipſa mouetur, ſed eſt motiua quidem & cognitiua: non ſic autem, ut illi dicebant.* Cap. V.

49 Quoniam autem cognoſcere eſt animæ, & ſentire, & opinari, præterea autē & cupere, & velle, & omnino appetitus: fit autem & ſecundum locum motus ab anima: præterea autem & auctio, & vigor ſeu conſiſtentia, & diminutio: vtrum toti animæ eſt eorum vnũquodq;, & tota, & intelligimus & ſentimus, & aliorum vnumquodq; & facimus, & patimur, an aliis partibus alia?

*Quoniam proxime meminit, quòd diſsimilium ſpecierum ſint partes animæ, nunc hoc ipſum quærere proponit. Quoniã enim plures ſunt, & diuerſæ animæ operationes: utrum, cùm una ſit & indiuiſibilis anima ſecũdum ſubſtantiam, ex una eadem ſubſtantia diuerſæ facultates, & operationes procedunt, ut eadem ſit ſecundum ſubſtantiam, & una numero & nutritiua, & auctiua, & generatiua, & ratiocinatiua, & animoſa, & deſideratiua, & ſi qua eſt alia animalis facultas, uel diuiſibilis eſt anima, & ſecundum aliam & aliam eius partem harũ operationum unaquæq; fit? Præterea quærit, utrum facultas, per quam animalia dicuntur uiuere, eſt in una prædictarum operationum uel facultatum: ut in ratiocinatione: uel ſenſu: uel in aliqua alia: uel in omnibus his: uel in nulla: ſed aliquid eſt aliud præter eas, quod uiuendi animalibus cauſa ſit. Hæ ſunt ergo quæſtiones, quas in his quærit. Videtur autem hic unius ſubſtantiæ uelle eſſe animam, non hoc aperte proferens, ſed quòd dubitationem mouet aduerſus ſententiam, quæ diuiſibilem eſſe ponit animã, & oſtendit fieri non poſſe, ut diuerſis utens partibus ratiocinetur, & ſentiat, & cupiat, & reliquas operationes exerceat. Nihil autem addere uidetur, ex quo poſsit colligi, quod una quædam eſt anima diuerſis utens prædictis facultatibus. Et quòd animæ quidem ſubſtantiæ differentiam nouit Ariſtoteles, & ſolam immortalem ſciuit rationalem, ſæpe oſtēdimus. Porrò & nunc mediocres aliquot ſententias addemus, hoc ipſum oſtendentes. Ea autem quæ hic dicuntur arripiunt, & qui totam immortalem animam ſtatuũt, & qui totam mortalem faciunt. & dicunt illi quidem, uides quòd uniuerſam animã uult eſſe ſeparabilem & immortalem Ariſtoteles? Ecce enim dicit totam animam unius eſſe ſubſtantiæ: uult autem mentem, quæ eſt pars animæ, eſſe ſeparabilem, & immortalem, dicere. Et omnem ergo uult eſſe ſeparabilem & immortalem, ſiquidē unius eſt ſubſtantiæ uniuerſa anima. Rurſus qui mortalem animam uolunt, dicit, inquiunt, quòd una eſt uniuerſæ animæ ſubſtantia. Dicit autem eſſe inſeparabilem & animoſam, & deſideratiuam, & uegetatiuam. manifeſtum ergo, quòd uniuerſam uult eſſe mortalem, ſiquidem unius eſt ſubſtantiæ uniuerſa. Quòd autem non ſunt unius ſubſtantiæ animæ, & ante Ariſtotelem declarauit Plato ex diſſenſione & pugna affectuum & rationis. Si enim inter ſe pugnant ratio & affectus: idem autē unum aduerſus ſeipſum non pugnat: non ſunt ergo hæc unius ſubſtantiæ. In ſecundo uerò libro cùm definiſſet Ariſtoteles animam Entilechiam ſeu actum eſſe corporis naturalis inſtrumentarii potentia uitam habentis, paulopoſt inquit. Quod itaq; non eſt anima à corpore ſeparabilis, uel aliquæ eius partes, ſi eſt diuiſibilis, non eſt incertum. Nonnullarum enim perfectio & actus informatiuus eſt partium ipſarum. Sciuit ergo aliquas animæ partes inſeparabiles, & propterea mortales. Si autem aliquæ partes ſeparabiles, & aliquæ inſeparabiles: hoc itaq;, uidelicet, intulit. Verumenimuero nihil uetat, eo quòd nullius ſint corporis Entelechiæ, id eſt perfectiones, ſiue actus, qui perfectionem tribuunt. Aperte ergo nonnullas animæ partes ex hoc loco corporis formas dicit, & ideo inſeparabiles. Hoc enim eſt Entelechia forma & perfectio corporis. Et ſtatim rurſus ſubiungit. Præterea autem incertum eſt, an ita eſt corporis Entelechia, ut uector nauis. Quare ſi & omnem animam dicit Entelechiam: aliquam autem nouit Entelechiã, quæ exterius ordinat, componit, & perficit ſubiectum, ſicut uector nauem: Si autem hæc quidem ſeparabilis: illa uerò inſeparabilis: & hæc quidem mortalis: illa uerò immortalis: eſt & earũ, ſcilicet, diuerſa ſubſtantia. Aperte ergo in ſecundo libro non ſolum alius ſubſtantiæ mentem eſſe dicit, ſed & alius generis. ut ne genere quidem una ſit rationalis cum irrationali. Cùm enim de aliis animæ facultatibus quæſiuiſſet, an unaquæq; anima ſit, an pars animæ, De mente, autem, inquit, & contemplatiua facultate, nondum eſt manifeſtum: ſed uidetur alterum eſſe genus animæ, & hoc ſolum contingere ſeparari, ſicut æternũ à corruptibili. Et quòd non de diuina mente hæc dicit, ut putat Alexander, clarum eſt. Cùm enim de partibus animæ quæreret, an ſint à ſe inuicem ſeparabiles, an nõ, ſubiunxit de mente, ut quæ ſit & ipſa pars animæ. Neq; uerò diuinam mentem eſſe animæ partem dixiſſet: alioqui enim quomodo de diuina mente, quæ eſt à corporibus penitus ſeparabilis, diceret, contingeret eam ſeparari? Quomodo autē de diuina mente omnino quæreret, utrum ſit ſeparabilis, an non? Quòd autem neque aliam mentem ad nos uult accedere, quam uocat contemplatiuam, ipſe eſt qui rurſus dicit, contemplatiuam mentem ab actiua ſolo fine differre, ut quæ ſubiecto eædem ſint. Huius enim finis bonum eſt. Contemplatiuæ autem ueritas. Quando enim ad ſuperiora ſeipſam attollit, fit contemplatiua uniuerſi naturam quærens. Quando autem ad inferiora & minora ſe intendit, actiua. Quare ſi actiua mens eſt humana: ſunt enim hominum actiones: Hæc autem ſolo fine differt à contemplatiua. Et mens ergo contemplatiua fuerit humana. Quòd itaq; non omnem animam unius dicit eſſe ſubſtantiæ, ſufficiunt, quæ dicta ſunt: & ea præterea, quæ in procemiis adiecimus. adhuc autem magis ipſum uerborum contextum proſequētes ſciemus. Hic autem ſe Platoni uidetur opponere, qui dicit diuiſam eſſe animam ſecũdum corporis partes. & rationalem quidem, & ſenſitiuam in cerebro eſſe collocatã: in corde aũt animoſam ſeu iraſcibilē, in iecore deſideratiuã. Tãquã ergo aduerſus hæc ſe opponēs Ariſtoteles, & ſecundũ corporis partes diſſectã eſſe nolēs, ſed unã habere cõtinentiã per uniuerſum corpus, & ſi multas partes habeat, ſic & unã eſſe dicit, quãdoquidē unũquodq; eſt animal. Porrò & Plato nõ tanquã in cerebro ſimpliciter exiſtimãs collocatã eſſe rationalē ſubſtantiã, in corde aũt irã, & in alio aliã, ſic ipſis corporis partibus diuiſit: ſed ut exiſtimãs unãquãq; partē aliã ad aliã animæ partē apte ſe habere, ad eas recipiēdas quæ*

*ab ea ſunt, illuminationes. ſicut enim non omnes oculi æqualiter admittunt, quæ ex ſole fiunt, illuminationes: & non eo, quòd ſol in hoc oculo magis collocatus ſit, magis illuminatur, ſed propter ſuam aptitudinem: & inanimatorum quoq;, quæ ſunt perſpicua, ea, quæ fit ex lumine, operatione fruuntur propter propriam aptitudinem: ſic etiam exiſtimãdum eſt animã quoq; in quibuſdam partibus magis illuminare, propter illarum aptitudines. Nam & ipſe Ariſtoteles uidetur alicubi opinari in corde ſitam eſſe imperantem animæ partem. Sed ex his rurſus exoritur dubitatio. Nunquid enim una eſt animæ ſubſtantia, ſed iuxta diuerſas temperaturas, & corporum aptitudines in alio alias habet operationes: in oculo quidem uiſiuam: in auribus auditiuam: & aliam in alio. Quod ſi ita eſt, manifeſtum eſt, quòd uiſiua quidem facultas, in oculo quoq; formatur: auditus autem in auditiua parte: & alia in alia. Quod ſi ita eſt, meliora formabuntur à deterioribus: & materia erit formæ cauſa: & propter materiam forma erit. Erit enim materia propter quod. propter oculum enim uiſus, forma autem propter aliquid. Hoc autem eſt rerum naturam inuertere: Si hæc itaq; ſunt abſurda, & quæ fieri non poſſunt, non in partibus fiunt diuerſæ animæ operationes, ſed ſunt ſubſtantia diuerſæ. Quoniam autem cognoſcere eſt animæ. Eorum quæ enumerata ſunt, alia quidem ſunt rationalis animæ, cognitio, & opinio, & uoluntas: alia autem irrationalis ſenſus, & cupiditas, & appetitus, & motus ſecundum locum. Auctio autem & conſiſtentia ſeu ſummum incrementum, & diminutio, uegetatiuæ. Vtrum ſoli animæ eorum unumquodq; ineſt: id eſt, nunquid una eſt ſubſtantia animæ, quæ cùm plures facultates habeat, plures has diuerſas facit operationes. uel non eſt una ſubſtantia, ſed multas habens partes ex diuerſis ſubſtantijs compoſita. & unaquaq; eius partium aliquam earum, quæ dictæ ſunt, apprehendit.*

Iam verò & viuere vtrum eſt in aliquo eorum: an & in pluribus, vel etiam in omnibus: vel aliqua alia cauſa?

*Quærit & ex ijs non immeritò, ex quanam animæ parte uiuere animæ accedit. Ipſe autem in ſequenti libro dicet, quòd eſt maximè pedeſtris & extremæ animæ partis, dico autem uegetatiuæ ſeu plantalis facultatis. Nihil enim poteſt uiuere, quod ſit eius facultatis expers. Et ideo, quæ uel eius ſolius partẽ adepta ſunt, uiuunt. Dico autem plantas.*

90 Dicunt autem aliqui eam eſſe diuiſibilem,
& aliud quidem intelligere, aliud uerò concu
piſcere. Quidnam ergo animam continet, ſi
eſt diuiſibilis? Non enim utiq; corpus. Vide-
tur enim contra corpus anima continere. ea
91 certe egreſſa efflatur & putreſcit. Si ergo ali-
quid aliud vnam eam facit, illud maxime ani-
ma fuerit. Oportebit autem & illud rurſus
quærere. Vtrum vnum vel multarum eſt par
tium. Si enim vnum eſt: cur non protinus ani
ma quoque ſit vnum? Si autem eſt diuiſibile:
rurſus quæret ratio, quid eſt, quod illud con-
tinet: & ſic in infinitum procedit.

*Hoc ex loco aduerſus quæſtiões obiectio eſt. Quoniã diuerſæ ſunt animæ operatiões, ut expoſitũ eſt, merito quæſiuit utrũ tota anima omnia operatur, uel alia eius facultate aliud. Sed quoniã à ratione alienũ eſt diuerſas operationes ex eadem facultate dicere procedere, neceſſe eſt eſſe multarũ facultatũ animã. Quòd ſi ita eſt, in his meritò rurſus quærit, Vtrũ diuiditur anima ſecundum eius facultates: & in alia quidem parte hanc habet facultatem: illam autem in alia: ut ea in tot partes diuidatur, quot ſunt facultates: uel cùm una ſit & indiuiſibilis, diuerſas habet facultates. ut ignis, qui, cùm unus ſit, & idem ſecundum ſubſtantiam, & calefacit, & ſiccat, & illuminat, ut qui multas habeat facultates, & non partes. Et pomum, cùm unum ſit ſecundum ſubſtantiam, diuerſas habet facultates: bonum odorem: dulcedinem: bonum colorem, uel figuram. Et in alijs, ferè autem in omnibus hoc uidetur. Aduerſus eos ergo, qui per partes illam eſſe diuiſam ſecundum locum dicũt. (Timæum autem, ut dixi, qui eſt apud Platonem ſignificat) nunc inſtat. Si enim anima eſt ſecundum partes diuiſa, neceſſe eſt partes illas uel eſſe à ſe inuicem diuiſas, uel eſſe unitas. Sed ſi diuiſæ fuerint inter ſe animæ partes, quomodo erit unum animal? Si autẽ unum eſt animal, & ſimul continetur, & ſibi ipſi conſentit, neceſſe eſt & animales facultates, ſeu partes animæ, quæ formant animal, ipſas quoq; eſſe unitas. Quomodo enim unionis animali cauſæ erunt ipſæ non unitæ? Si autem unitæ ſunt animæ partes, quænam eſt eis cauſa unionis? nunquid corpus? ſed hoc fieri non poteſt. Contra enim anima corpori eſt unionis cauſa. Eſt enim corpus anima deterius. Quod autem alicui unionis cauſa eſt, illo id eſſe melius neceſſe eſt. Anima autem corpore melior eſt, & eſt ei unionis cauſa. Vnde ea, inquit, egreſſa efflatur corpus & putreſcit. Non eſt ergo corpus partium animæ unionis cauſa. Vel ergo ab aliquo alio unitæ ſunt: uel à ſeipſis. A ſe autem fieri non poteſt, cùm ſint alius ſubſtantiæ. Oportet enim id, quod ea, quæ ſunt alterius naturæ, uniturũ eſt, unum eſſe & alterum ab ijs, quæ unita ſunt ut, uerbi gratia, humidum unum eſſe, & alterum ab ijs, quæ inter ſe conglutinantur, corporibus. In unione enim terræ ad aquam, corporibus quidem iuxta ſe inuicem poſitis, ijſq;, quæ ex terra, & ijs quæ ex aqua ſunt, humida uerò qualitate per ea tota procedẽte, & per ſeipſam mediam conglutinante, ſubiectorum corporum unionem fieri contingit. Quæ enim à natura ſemel diuiſa fuerint & nõ eandem cum eis ſubſtantiam ſortita ſint, non à ſua ipſorum natura uniantur, quæ ea diſcreuerit: Sed ſi ea unienda ſint, alterum eis accedere oportet, per quod medium, eam, quæ ad ſe inuicem erit, unionem habitura ſunt. Fieri ergo non poteſt, ut partes animæ, quæ à ſe inuicem ſunt aliæ, à ſe ipſis uniantur. Si autem à ſe unionem non habent, ſed ab aliquo alio, id rurſus neceſſe eſt uel unum eſſe, & indiuiſibile, uel multarum eſſe partium. Sed ſi multarum ſit partium, rurſus quæremus, quæ ſit eis unionis cauſa. Et rurſus quod illa unit, unum ne erit, an multa? & id ad infinitum. Si autem unum eſt, quod animæ partes unit, id fuerit anima. Et cur non, inquit, non & animam ex eo unam faciunt? Si enim unionis cauſam ijs, quæ diſcreta ſunt, unam eſſe oportet: uidetur autem anima unionis & continentiæ corpori cauſa: rationi conſentaneum eſt ex hoc quoq; animam eſſe unum quidpiam ponere, neq; tertio aliquo opus habere, quod & ipſam animam contineat. Nihil uerò abſurdi eſt animam, quãuis una ſit ſubiecto & ſubſtantia, diuerſis uti facultatibus, & propterea habere operationes diuerſas. Vt ignis: ut pomum: & ut corpora, quæ maxima ex parte, cum ſubiecto una ſint, diuerſas habent facultates. Hæc autem dicit Ariſtoteles, non quòd ei, ut diximus, hoc placitum placeret: Dico autem quòd unius ſubſtantiæ ſit anima: ſed quòd Timæum reprehenderet, qui ſecundum corporis partes animam quoq; diuidebat. Neq; enim ipſe uult unam eſſe ſubſtantiam animam, ſed ex diuerſis eſſe ſubſtantijs compoſitam, ijs quidem ſic inuicem unitis & continentibus, ut earum ſit unus conſenſus. Tranſit enim & à ratione aliquid ad affectus: & ex eis ad rationem. Quòd ij enim ſe rationi ſubijciant, eiq; cedant, hoc ex ſuperiori rationis auxilio eis accedit, & quòd ratio in proprijs operationibus impediatur, hoc ex ea, quæ eſt illi eſt, ad affectus habitudine procedit.*

cedit. Sic ergo una eſt ſubſtantia anima, ut & totum hominem dicimus unius ſubſtantiæ, &, ut ſemel dicam, quæ ſunt ex materia & forma. Nam quòd ne rationalis. quidem anima tota unius eſt ſubſtantiæ, oſtendit, quòd ſæpe inter ſe pugnant affectus: ira, inquam, & cupiditas. Nihil autem ipſum cum ſeipſo pugnat. ſæpe enim cum ratiõe magis eſt ira, ut quæ ſit generoſior propter honoris deſiderium: at in partem contrariam trahit cupiditas. Si quis autem quærat, quid eſt ergo, quod has diuerſas unit ſubſtantias? Dicimus, quòd ipſe alibi dicit, In quibus hoc quidem formæ rationem, illud uerò materiæ obtinet, non oportere in iis quærere, quid ea ſit uniturum. Unionem enim non aliunde petitam, ſed ex ſeipſis habent. Materiæ enim natura inſitum eſt, ut poſtquam apta fuerit, formam ſua ſponte admittat, & ex nulla propinquiore cauſa eam recipiat. ut, exempli gratia, quando raſum & politum ferrum aptum fuerit ad ſecuris uel ſerræ recipiendam formam, non opus eſt ut ſit aliquid aliud, quod talem figuram formæ uniat: ſed hæc inter ſe ſua ſponte eis natura data ſunt. Similiter & in naturalibus, ut in animalis formatione, & reliquis omnibus. Forma enim & materia ſunt ad aliquid. Materia enim formæ eſt materia, & contra. Quæ autem ſunt ad aliquid, ſimul & ſubſiſtunt, & ſimul tolluntur. neq; prius ea eſſe oportet: deinde nec aliquo, qđ ea uniturum ſit, opus eſt. neq; enim prius per partes ſeparatas eſſe patrem & filium, deinde eam, quæ inter ſe eſt, habitudinē recipere oportet: ſed cùm primum alterum fuerit cogitatum, cogitabitur & reliquum. Sic ergo & in diuerſis animæ facultatibus habet. Irrationalis enim anima materiæ rationem obtinet ad rationalem. Illa autem formæ ad ipſam. Similiter & uegetatiua materiæ rationem obtinet ad irrationalem. ſicut & ad uegetatiuam corpus. Non ergo in eis quæremus, quod ſit uniturum. Cum primum enim aptum fuerit id, quod materiæ rationem tenet, ad ſuſcipiēdam formam: ea accedit, nullo externo indigens, quod uniat. Sed habent domeſticam & ex ſua ipſorū natura inſitā unitiuam facultatem. Verumenimuero in humana quidem anima proceſſerit, quod hic dicitur, cùm rationalis una ſit, & per eam, quæ deinceps ſunt, uniantur: ſicut in magnete lapide, & in iis, quæ ab ea inuicem dependent, ferreis fruſtulis: Quid autem dixerit quiſpiam in animalibus rationis expertibus? Si enim alterius ſunt ſubſtantiæ partes eius, quæ in eis eſt, animæ, ſenſus dico, & iræ & cupiditatis, quid erit, quod ea uniat, quod ſecundum ea ſit ſuperius? Ipſa enim corpori ſunt unionis cauſa: Oportet autem ea lōge prius ab aliquo eſſe unita. Nam quomodo non unita ſequentibus eſſe poſſent unionis cauſa? neq; dixerimus alterum alteri, tanquam materiæ, ſubiici. Eiuſdem enim ordinis hæc ſunt omnia. Et ſi de uegetatiua animæ quæramus: etiam ſi uniuerſum opificium hæc unire quis dixerit, nondum, quod quæritur, dixit, nempe quonam uniatur. Formalem enim eius unionis cauſam quærimus, non effectiuam. quanam itaq; re ea colligauit, ut uerbi gratia, corpus natura, uel naturali aliqua facultate? Si autem & in animæ partibus aliud fuerit, quod eas uniat, quanquam forma aliqua earum erit: & illud anima fuerit. Nunquid autem & in iis abſurdum eſt, ut, quæ ſunt deteriora, materiæ rationem obtineant ad meliora? Nā & in inanimatis formis hoc euenire uidemus. elementorum enim formæ, qualitates, materiæ rationem obtinent ad ea, quæ ex eis ſunt, corpora.

92 Dubitauerit autem quiſpiam & de eius partibus, quam facultatem habeat vnaquæq; in corpore. Si enim tota anima totum corpus continet, cōuenit & partium vnamquanq; aliquid corporis continere. Hoc autem videtur fieri nō poſſe. Quam enim partē, vel quomodo mens continebit, vel fingere eſt dificile.

Et de hoc meritò dubitauerit aliquis. Si enim tota anima totum corpus continet, eſt autem diuiſibilis anima, & in plures partes diuiſa eſt, neceſſe eſt & unamquamq; eius partem aliquid corporis continere. ut dicere uidebantur, qui ratiocinatiuam & ſenſitiuam poteſtatem in cerebro ponunt: animoſam in corde: & aliam alibi. Vnaquæq; ergo eius pars aliquam corporis partem continebit, in quo eſt. Non enim, quæ in alia parte corporis eſt pars animæ, aliam corporis partem continebit. Vnaquæq; enim pars animæ, eius, in quo eſt, eſt cōtentrix. Hoc autē, inquit, uidetur fieri non poſſe. hoc eſt dicere, ut unaquæq; animæ pars aliquam corporis partem cōtineat. Si enim ita eſt, quam, inquit, partem, uel quomodo, mens continebit, uel fingere eſt difficile. Animæ enim pars eſt & mens. Si itaq; continet quidem corpus anima, eſt autem diuiſibilis, & partes eius, meritò partem corporis continebit: Pars autem animæ & mens. & ipſam ergo partem oportet corporis aliquid cōtinere. Hoc autem uel fingere, inquit, eſt difficile. Aliæ enim animæ facultates, ut quæ in actionibus corpus commouēt, uel totum, uel partem, etiam in aliquibus præfinitis partibus cogitatiōe poſſunt concipi: Hæc autem, quæ in operationibus corpore non utitur, quomodo in aliqua eſſe parte uel cogitando fingi poſſit? Per hæc ergo ſeparabilem à corpore mentem dicit. Quòd ſi ita eſt: & immortalem: quod & ipſe ſæpe dixit: & nos eas ſententias in procemio adiecimus. In hoc autem loco Alexander, cùm dicere nulla ratione poſſet, quod proprio ſuo inſtituto cohæreret, ſilentio locum præteriit. Et ex iis ergo, quæ hic dicuntur, clarum eſt Ariſtotelem alterius ſubſtantiæ mentem eſſe dicere, & ſeparabilem.

Cernuntur autem & plantæ diuiſæ viuere: 93
& animalium nonnulla inſectorum: vt quæ
eandem animam ſpecie habeant, & ſi non numero.
Vtraq; ergo pars ſenſum habet, & mouetur ſecundum locum ad aliquod tempus.
Si autem non perſeuerāt, nihil abſurdum. In- 94
ſtrumenta enim non habent, vt ſeruent naturam. ſed nihilo ſecius in utraq; parte inſunt partes animæ, & eiuſdē ſunt ſecum inuicem, & cum tota ſpeciei: inuicem quidem, vt quæ non ſint ſeparabiles: totius autem animæ, vt quæ ſit diuiſibilis.

Poſtquā eos uerbis confutauit, qui diuiſibilē ſecundū partes animā eſſe dicunt, nunc in rebus ipſis falſum eſſe quod ab eis dicitur oſtendit. Plātæ enim, inquit, & inſecta animalia ſi diuiſa fuerint, cernitur unaquæq; pars eaſdē immutabiliter habere animales facultates. In unaquaq; enim ramorū parte eſt & generatiua, & nutritiua, & auctiua facultas. Præterea aūt & diuiſorū inſectorū partes, cernitur unaquæq; eorū habens & ſenſum & motū. Si aūt eſſet anima diuiſibilis ſecundū partes, non ita eſſet: ſed eſſet in hac quidē parte ſenſus: in illa uerò motus. Generatiua aūt uel ſtatim cū diuiſione in inſectis corrupta eſt: uel potētia eſt in unaquaq;: uel ne eſt quidē omnino. Multa enim eorū, fortaſſe aūt & omnia non generant. Quare una & eadē in his eſt anima, prius quidē numero, antequā diuideretur: poſtquā aūt diuiſa fuit, ſpecie: nō amplius autē & numero. Nō poteſt enim fieri, ut quæ in diuiſis ſunt ſubiectis, una ſint numero. Quòd aūt nō diu uiuant inſectorū partes, cauſa, inquit, eſt, quòd non habeant inſtrumentarias partes animæ facultatibus ſeruientes, inteſtina fortaſſe, uel oculos, uel os, uel eiuſmodi, per quæ id, quod in corpore diffluit, inſtauratur. Et eiuſdē ſunt ſecum inuicē, & cum tota ſpeciei: inuicem quidem, uel quæ nō

ſint ſeparabiles: Totius autem animæ, ut quæ ſit diuiſibilis. Inſecti enim partes, ſimiliter autem & plantarum, & eiuſdem ſunt cum ſeipſis ſpeciei, quòd non habent ſeparabiles animæ facultates: ſed omnes facultates in unaquaq; ſunt: hoc enim eſt illud, Inuicem quidem, ut quæ non ſint ſeparabiles. Sunt autem & cum tota anima eiuſdem ſpeciei, quæ ante animalis diuiſionem fuerat. Sunt autem eiuſdem cum ea ſpeciei ob hanc cauſam, ut quæ ſit tota diuiſibilis in ſimilares partes: eorum enim, quæ in ſimilares partes diuiduntur, eiuſdem ſunt ſpeciei partes cum totis. Diuiſibilis autem per accidẽs: eo enim, quòd id, in quo eſt, diuiditur, una diuiditur & ipſa. Ariſtoteles itaque cùm in quibuſdam exemplis id quod dicebat, agitauit & exercuit, dico autem in plantis & in ſectis, id recto tramite incedere reperit. Dubitauerit aũt quiſpiã ne in omnibus uerũ nõ ſit, quod ab eo dicitur. In alijs enim animalibus apparet cerebrum & motus & ſenſus eſſe cauſam. Cerebro enim aliquid impoſitum inſenſile & immobile animal facit: & neruo diuiſo, per quem in reliquum corpus à cerebro ſenſus uenit, & motus: ſuperior enim pars ſecti nerui tota & mouetur & ſentit: inferior autem tota penitus utriſq; priuata eſt. Idem fit, & ſi in neruo fuerit obturatio. Adhæc autem & iræ cernitur generatio ex eo, qui eſt circa cor, ſanguine. Cupiditatis autem una ſimul iecur affectũ generatio eſt. uel illinc habet generationem. Si hæ itaq; facultates in ſubiecto corpore eſſe habent: cernuntur autem non totæ per totum corpus procedere: neq; enim uiſus, neq; auditus, neq; olfactus, neq; guſtus: & concoctrix facultas in quibuſdam partibus præfinita eſt: & ira non per totum peruadit: & in reliquis ſimiliter: omnino neceſſe eſt in unaquaq; parte eam eſſe collocatam, in qua & operatur. Ad hæc ergo dicunt, quòd harum quidem facultatum principia hæ partes ſunt: non ſunt autem in his penitus circumſcriptæ facultates: ſed ab eis ad reliquum quoq; corpus perueniunt. Totũ itaq; corpus cum ira & cupiditate una ſimul afficitur. Hoc autem non ſatis eſt. Hoc ipſum enim dubitatio eſt, quòd unaquæq; facultatum animæ aliquam corporis partem ſortita eſt. qua primo ſecundum eam, quæ in ipſa collocata eſt, animalem facultatem operante, uel patiente, propter coherentiam reliquũ corpus conſentit, & ſimul afficitur. Nunquid autem in plantis forte & inſectis, in eo, quod apparet, corpore anima habet eſſe? Quare & una diuiditur: in reliquis autem animalibus, ut quæ in alio ſit ſubiecto, nempe ſpiritu, & cum ſecundum aptitudinem illuminet, quando ipſum ea aptitudine priuatum fuerit, diuiſum forte, uel quid eiuſmodi paſſum, non amplius continet eius operationes, Si autem ad hoc, ut illuminetur, aptitudine opus eſt, meritò & unaquæq; eius pars, quæ aptitudinẽ magis habet ad animalem aliquam facultatem, magis uel ſolum illuminatur, & ex eo propter continuitatem ad reliquum quoq; corpus dimittitur. In ſpiritu itaq; ſic habent animales facultates: ſicut in arbore uegetatiuæ, totæ per totum ſpiritum procedentes.

Videtur autem &, quod eſt in plantis, principium anima eſſe. Huius enim ſolius communicationem habent & animalia, & plantæ. 95

Poſtquam eos, qui ante ſe fuerunt, naturales philoſophos reprehendit, quòd non de omni anima diſſeruerint, ipſe hoc facit, & de omni diſſerit. Poſtquam ergo ſuperius dixit plantas eſſe animatas, ubi dicebat, quòd diuiſæ eandem ſecundum ſpeciem habebãt animam: & præterea ubi Orphæi uerſus reprehendebat dicentes animam ex toto latam reſpirare, dicẽs quòd fieri non poteſt, ut hoc plantis eueniat: nunc uerò, quòd anima quoq; eſt, quæ in plantis eſt, ex hoc probat, quòd hæc ſola communis eſt facultas & plantarum, & animalium. Si enim in animalibus animalis eſt facultas nutritiua, & auctiua, & generatiua, hæ autem & in plantis uidentur, apertum eſt quòd & illa animata fuerint. Illud autem, Huius ſolius, pro eo, quod eſt, ſecundum eam ſolam animalia cum plantis communicant.

Et ipſum quidẽ ſeparatur à ſenſitiuo principio: ſenſum autem nihil ſine eo habet.

Propterea illud dicit, Vegetatiuum quidem principium ſine ſenſitiuo eſſe poteſt: Hoc autem non ſine eo. Hoc autem nõ tanquam anima habente utraſq; facultates ſeparabiles: id enim nuper refellit, ſed quòd, in quibus eſt uegetatiua, non omnino & ſenſus. in quibus autem eſt ſenſus, omnino & uegetatiua. Si autem fieri non poteſt ut ſenſitiua ſit ſine naturali, manifeſtum eſt, quòd & ipſa anima eſt. Diſſerit autem & de ea tãquã animali facultate. Quæſiuit & ſuperius, quanã parte animæ uitam habemus. In ſequentibus autem dicet, quòd ſecundum hanc facultatem uiuere in animatis ineſt.

FINIS PRIMI LIBRI.

# Ioannis Alexandrini PHILOPONI IN SECVNDVM LIbrum de anima Commentarius.

1 QVæ à prioribus quidem de anima tradita ſunt, dicta ſint.

POSTQVAM enim expoſuit in præcedẽte libro, ſicut erat pollicitus, antiquorum opiniones, & ſi quid ab eis non rectè dictum eſt, confutauit: quod in procemio promiſerat: in hoc deinceps, quæ ſibi uidentur, de anima exponit. & in hoc ſecundo libro de irrationalibus animæ facultatibus diſſerit: in tertio autem de rationalibus. Meminit tamen & in hoc de rationalibus: & in illo de irrationalibus. Exponit autem in principio ueluti communem animæ definitionem, dicens eſſe Entelechiam naturalis corporis inſtrumentarij potentia uitam habentis. Hac arrepta definitione, quotquot philoſophi rationalem animam immortalem eſſe uolunt, dicunt non omnis animæ hanc eſſe definitionem, ſed tantum uegetatiuæ. Huic enim ſoli conuenit. Si Entelechia enim eſt perfectio, & forma: dicit autem animam corporis eſſe Entelechiã: forma autem ipſa à corporibus eſt inſeparabilis: clarũ eſt quòd de ea, quæ à corporibus ſeparari nequit, loquitur. Ea eſt autem ſola plantalis ſeu uegetatiua. Hi autem malè exiſtimauerunt: Eſt enim reuera de omni anima hæc definitio tradita. Cùm enim dixiſſet Entelechiam eſſe animam, ſubiunxit primã. Entelechiæ enim hæc quidem eſt prima: illa uerò ſecunda. Prima quidem, ut ſcientia: hæc uerò, ut contemplari. Dicit ergo Entelechiam, ut ſcientiam: nõ ut contemplari. In eo enim, quòd anima eſt, inquit, eſt & ſomnus, & uigilia. Conuenientiam autem & proportionem habet ſomnus cum ſcientia: Vigilia uerò cum eo quod eſt contemplari. Quare ſi non uult animam eſſe Entelechiam, ſicut eſt ſcientiæ habitus, eo quòd animam quidẽ habeat, quamdiu uiuit animal, ſecundum eam autem non ſemper operetur, ut in ſomnis, manifeſtum eſt, quòd non de ſola dicit uegetatiua. Vegetatiua enim non ſecundum ſcientiam conſideratur, ſed ſecundum contemplationem. Semper enim uegetatiua actu operatur iuxta ſecundum, quod eſt ſicut contemplari: & maximè in ſomnis, ubi reliquæ animæ facultates quieſcunt. Tunc certe maximè concoctiones: & ſæpe circa res uenereas non uoluntarij motus fiunt. Quare de rationali & irrationali, potius quàm de uegetatiua, fuerit hæc oratio. Secundum has enim animas etiam dormientes ſumus animati. Iuxta enim ſecundum potentia animam habemus, quod eſt actu primum: Id autem eſt ut ſcientia: habet enim dormiens geometer geometricum habitum: Contemplationem autem nõ itidem. Alioqui, cùm & ipſe definiſſet: & animam eſſe dixiſſet, Entelechiã naturalis corporis inſtrumentarij potentia uitam habentis, ſubiungit. quòd quantum ex definitione, neceſſe eſt animam uel aliquas eius partes, quatenus eſt diuiſibilis, eſſe à corpore inſeparabiles, de uegetatiua, uidelicet, loquens. Quid enim nutritiua à corpore ſeparata nutriet, uel auctiua augebit? Aliquarum enim, inquit, eſt ipſarum Entelechia partium. Deinde ſubiungit, Verum enimuerò nonnullas nihil prohibet, eo quòd ſint nullius corporis Entelechia. Quare mentem quoq; ſimul comprehendit. Eam enim, ut quæ circa corpus operationes non habeat, neq; ad operandum corpore conatur, at contra, ut dixi, ab eo impediatur, non eſt neceſſe à corpore eſſe inſeparabilem. Deinde rurſus ſubiungit, Ad hæc autem incertum eſt, an ſic Entelechia corporis eſt anima, ut uector nauis. Clarum eſt autem, quòd hoc non diceret, ſi de ſola uegetatiua uerba faceret. Cõtrariam autem dubitationem ex iam dictis quiſpiam mouerit. Nunquid anima uegetatiua hac definitione non comprehenditur? Si enim animã dicit eſſe Entelechiam, non ut contemplationem, ſed ut ſcientiam, uegetatiua anima Entelechia eſt, non ut ſcientia, ſed ut contemplatio: Semper enim operatio eſt iuxta ſecundum operatiõis ſignificatum: clarum eſt ergo quòd non conuenit tali animæ hæc definitio. Ad hoc dicimus., quòd nihilominus uegetatiua quoq; in definitione comprehenditur: dicens enim Entelechiam, quæ eſt ut ſcientia, omnem animam comprehendit. Id enim dixit, quod omnem, & ſemper conſequitur. Quando enim operatur rationalis & irrationalis anima, Entelechia eſſe dicatur, ut ſcientia. Id autem eſt, ut habitus, qui eſt, quod potentia quidem ſecundum eſt, actu uerò primum, eo quòd omnis operatio à potentia, quæ eſt ſecundum habitum, procedit. Habet enim uidelicet operans geometer, etiam dum terram metitur, geometricum habitum. Si enim nõ haberet, quomodo operaretur ſecundum eum, quem non haberet? Quare ubi operatio illa eſt, omnino eſt & habitus. Sed nõ itidem ibi habitus, illic & operatio. Dormiẽs enim geometer, ut ſæpe dixi, habitum quidem geometricũ habet: operationem non habet. Si ergo plus quàm operatio eſt habitus, eo quòd ſemper & omnia quoq; habentia conſequitur, meritò omnis animæ, & quomodocunq; habentis, operantis, dico, uel non, definitionem dare uolens, eo, quod ſemper, & omnia conſequitur, uſus eſt, Dico autem Entelechia, quæ eſt ſecundum ſcientiam. Quemadmodum ergo operantem animam rationalem dicens & irrationalem conprehendit, ſic & uegetatiuam. Quod enim uegetatiuæ ſemper ineſt, dico autem operari, hoc alijs aliquando: Facultas quidem ſecundæ, quæ eſt ſecundum habitum, omnibus adeſt, & ſemper. Alioqui & ipſe in contextu uult omnis animæ eſſe definitionem. Ait enim, quòd ſi quid utique commune de omni anima dicere oportet, id fuerit prima Entelechia. & de omni orationem extendens, & quòd non ſit definitio oſtendens, propterea dicit, ſi quid utiq;. Hoc ergo ſic diſquiſitum & tractatum ſit. Eſt autem in his operæpretium quærere, quomodo, cùm in priore libro dixerit, Cauendum autem ne lateat, utrum una ſit eius definitio, quemadmodum animalis: uel ſecundum unumquodq; alia: ut equi: canis: hominis, hic ipſe unam definitionem tradit omnis animæ. Ad hoc ergo dicimus, quòd maximè ne definitio quidem eſt, quæ tradita eſt. Si enim non eſt commune genus animæ, ut animæ, ut ſubſtantiæ, ſcilicet, eſt commune aliquod genus hoc ipſum ſubſtantia: ſicut neque indiuiduorum, quatenus ſunt indiuidua, eſt aliquod commune genus animæ particularium animarum, neq; ſecundum ſpeciem. ſed neque omnium eſt aliqua etiam communis ſpecies, ut quæ ſolo numero differant: ut animalium ſecundum ſpeciem eſt aliquo commune genus, nempe ſimpliciter animal. & hominum una aliqua ſpecies, uidelicet, ſimpliciter homo. Omnis autem definitio habet genus

Non ergo definitio dari poteſt cuiuſcunq; ſimpliciter animæ: ſed deſcriptio. Quare, quæ hoc in loco de omni anima tradita eſt, oratio, deſcriptio fuerit, & non definitio: Deinde neque propriè hæc una eſt deſcriptio. Aequiuocarũ enim rerũ nempe animarum, per uoces æquiuocas deſcriptionẽ fecit. Aequiuoca autem uoce quidem unum ſunt: ſignificatione uerò plura. Id & ipſe in locis dicit, quòd fieri poteſt, ut æquiuocorũ una definitio, ſeu deſcriptio per æquiuocas uoces detur. Dicimus enim ſalubrem cibum, & ſalubre pharmacum. Similiter autem & uenæ ſectionem, & exercitium ſalubre, & ſalubres urinas, & pulſus. Earum ergo uocum, quæ ſunt æquiuocæ, poſſumus, inquit, unam definitionem per uoces æquiuocas tradere dicentes ſalubre eſſe, quod commoderate habet ad ſanitatem. Illud autem, quod commoderate habet ad ſanitatem, eſt æquiuocum. uel enim ut effectiuum: uel ut ſignificatiuum: uel ut conſeruatiuum. Quòd ſi communi addiderimus, quod unicuiq; priuatim ineſt, tunc fit ſeorſum uniuſcuiuſq; definitio: ut, quod ad ſanitatem commoderatè habet, ut eam ſeruet, ut exercitium. uel ut ſignificet, ut urinæ, uel pulſus: uel ut efficiat ut cibus. Quare uoce quidem una hæc eſt definitio, quæ dicit, quod cõmoderatè habet ad ſanitatem: ſignificato autem multæ. Quare neq; aſsignata animarum deſcriptio, cùm ſit æquiuoca, una erit: ſed plures. Entelechia enim dicitur & de forma à corpore inſeparabili & de ſeparabili. Eſt enim perfectio & gubernator nauis: & carnis forma carnis corporis. Sed ille quidẽ, cũ ſit à corpore ſeparabilis, ſolã ſuã ipſius operationẽ habet nauis perfectricẽ. Carnis autẽ forma, & omnes omnino formæ materiales ſuæ ſunt ipſorum ſubſtantiæ ſubiectorum perfectrices: ſic ergo & in animabus, irrationalis quidem, & uegetatiua anima, quæ habet inſeparabilem à ſubiecto ſubſtantiam, & ſine ſubiecto ne operari quidem poteſt, ipſam habet ſubſtãtiam ſui perfectricem. Sed rationalis anima non ſubſtantia, ſed operatione ſola perficit animal. Sua enim uoluntate ipſum taliter uel taliter mouet, tanquam inſtrumento utens irrationali anima. Et aliter. Eſt in animis prius & poſterius. Vbi enim rationalis, illic omnino & reliquæ: non ita autem & uiceuerſa. in quibus autem eſt prius & poſterius, hoc quod communiter prædicatur, non eſt genus. non eſt ergo aliquod commune animarum genus. ſed ſunt æquiuocæ, ut quæ ab uno, & ad unum. Dixit autẽ non eſſe rationalem ſine alijs: ad hoc, uidelicet, animal mortale reſpiciens. Nam quantum ad propriam ſubſtantiam attinet, anima & ante irrationalia animalia, & poſtea per ſe eſſe poteſt. Sed agitur de ijs animabus, quæ ſunt in his mortalibus animalibus. Quare ſi æquiuocæ ſunt animæ, æquiuoca eſt, & quæ aſsignata eſt, earum definitio: & propterea non una. Vnde & ipſe, cùm ſciret fieri non poſſe, ut una animæ detur definitio, ait, Si quid utiq; commune de omni anima oportet dicere. Quæſiuerit autem quiſpiam ex ijs, quæ dicta ſunt: ſi fieri non poſsit, ut omnis animæ una definitio detur, cur eos reprehenderit, qui ante ſe non de omni anima diſſeruerunt? Dico ergo, primum quidem, quòd facere poterant, quod ipſe fecit, ut ſi nõ definitionem, ſed communem quidem certe, & deſcriptiuam aliquam orationem de omni anima traderent. Deinde non ideo eos reprehendit, quòd non unam definitionem de omni anima dederint, ſed quòd non aliquid de omni diſſeruerint, de unaquaq; ſeorſum. Quod & ipſe facit. Poſtquam enim communẽ hanc orationem tradiderit, ſeparatim de unaquaq; dicet: & de eis docebit, eo modo quo dubitauit. Cùm enim uellet de irrationali diſſerere, primum quidem de obiectis diſſerit: ut cùm de ſenſu eſſet docturus, prius de ſenſilibus uerba facit: & de uiſu, de uiſibilibus: & de nutritione, de nutrimentis. & de alijs ſimiliter. Deinde ſic aſcendit ad operationes: & illinc ad earũ effectrices facultates.

Quoniam autẽ, quæ ab alijs de anima tradita ſunt, quantum vnuſquiſque enunciauit, prius dicta ſunt.

Hinc propriam, ut iam dicebam, de anima opinionem exponit. & uult primum cõmunem aliquã de omni anima definitionem tradere. Prius autẽ ea exponit, quæ ad earũ aſſumendam definitionem conferunt. Volens enim ad dandam definitionem genus aſſumere, uel potius quod cum genere cõuenientiam & proportionem haberet, quoniam & definitio propter prædictas cauſas cum definitione proportionem & conuenientiã habet, rerum primum meritò facit diuiſionem in decem prædicamenta. Neceſſe eſt enim animam, cùm ex ijs, quæ ſunt, rebus ſit, ſub uno eorum eſſe. Quòd itaq; non eſt accidens anima, clarum eſt. Neq; enim quantitas: hoc enim oſtendit in ijs, quæ aduerſus Timæum diſputauit, ubi monſtrauit, quòd omnino fieri non poteſt, ut anima ſit magnitudo. & in ijs quæ aduerſus Xenocratem, ubi oſtendit fieri non poſſe, ut ea ſit numerus. Quare neq; ut continua quantitas erit, neq; ut diſcreta. Non eſt ergo omnino quantitas. Quòd autem non eſt qualitas monſtrauit, quando oſtendit eam non eſſe Harmoniam. Iiſdem enim argumentis oſtendet eam non eſſe omnino qualitatem. Si autẽ neq; qualitas eſt, neq; quantitas, uix ex alijs erit accidentibus. Ex ijs enim reliqua conſiſtunt. Eſt ergo anima ſubſtantia. Quoniam ergo eſt anima ſubſtantia, ſubſtantiam rurſus ſubdiuidit in compoſitam, & ſimplicem. & ſimplicem in materiam, & formam. Cùm ergo triplex ſit ſubſtantia, maximè ſubſtantia eſſe uidentur corpora. Magis autẽ, ut ad multos homines: eorũ enim maximè cognitionẽ habẽt. Et corporũ maximè ſubſtãtiæ naturalia corpora, ea aduerſus artificialia opponẽs, & ab eis diſtinguẽs, uel forte a mathematicis. Artificialia aũt dicit corpora, quibus formæ aliquæ ab arte accedunt, ut thronus: abacus. Nõ eſt enim aliquod corpus, quatenus corpus, artificiale. Cùm autem naturalia corpora ſint compoſita ex forma & materia, in ijs magis ſubſtantia eſt forma ſecundum ipſam formam. Id enim eſt, & dicitur compoſitum. Cùm enim ſit communis & una materia, diſcretio, &, quatenus unumquodq; eſt, ſubſtantiæ attributio ex formis eſt. Ex hac ergo diuiſione inuenimus, quòd & magis ſubſtantia ſunt naturalia corpora, & quòd in his forma, magis quàm materia. Hinc ergo quærendum eſt, in quonam horũ, tanquam in genere, ponenda eſt anima? Vtrum compoſita quædam eſt ſubſtantia, idem eſt autem dicere, corpus naturale: uel ſimplex: & ſi ſimplex, utrum materia, uel forma? Vt hoc ergo inueniat, à manifeſtioribus & poſterioribus incipit inquiſitionẽ facere. Eſt autem anima animatum manifeſtius. Animatum autem eo quòd uiuat dicitur animatum. Naturalium itaq; corporum, inquit, hæc quidem uitam habent, & animata uocamus. Illa uerò non habent. Quare anima in ijs quæ uitam habent, naturalibus corporibus conſyderatur. Eam autem uitam animam appellamus. Non enim corpus animam uacamus. Egreſſa enim uita corpus quidem nihilominus eſt corpus: ſed neq; amplius uiuit, neq; animatum dicitur. Quare in ijs, quæ uitam habent, anima non eſt corpus: ſed uita, per quam animata dicuntur. Compoſitũ ergo animatũ ex anima & corpore. Atqui omnis cõpoſita ſubſtãtia eſt ex materia & forma. Animatũ ergo, quod eſt ex anima & corpore, hoc quidem habebit ut materiam: illã uerò ut formam. Si autem forma, ut contineatur, & certis limitibus circunſcribatur materia, cauſa eſt: ea autem eſt anima corpori: ea enim egreſſa, difflatur, inquit, corpus, & putreſcit: forma corporis fuerit anima: ipſum aũt corpus materia. Quòd enim anima corpori cauſa eſt quòd ſit, ex hoc apertum eſt, quòd animata eoipſo formam, & figuram ſuſcipiunt, & ſuum eſſe habent. Vnde & in more poſitũ eſt, ut corpora priuata anima, etiam ſi nihilo ſecius ſint corpora, poſtquam ea

ab illis

*ab illis ſeparata fuerit, tamen nõ eſſe dicantur. Exceßit, & non eſt uxor admeti. Quare ſi compoſita ſunt animata, quæ cõſtant ex anima, & corpore: Omne autem compoſitum ex materia & forma: In his autem continentiæ, & ut ſit, cauſa eſt forma: Eiuſmodi autem eſt anima in animatis: Forma ergo eſt anima. Sic ergo inuenit, quòd anima eſt ſubſtantia ſecundum formam. Quam quidem formam uocat entelechiam ab* ἐν *quod eſt unũ &* τέλειον *perfectum &* συνέχειν *continere. Vnionis enim materiæ cauſa eſt forma, & perfectionis. Eſt enim ſubiecti perfectionis cauſa, & ipſum continet. Hinc ergo animæ definitionem tradit, dicens eam eſſe entelechiam, id eſt formã & perfectionem alicuius huius corporis naturalis, ut diſtinguat ab artificialibus, & accidentibus. Deinde quoniam & lapis naturale corpus, & eſt hæc quoq; forma entelechia, et, ut ſemel dicã, inanimata omnis, addidit, Potentia uitam habentis, ut ab inanimatis, & mortuis corporibus, & à ſemine diſtinguat. Neque enim inanimatum aliquod Potentia uitam habet: neq; mortuum corpus: neq; ſemen: neq; qui in utero fœtus, priuſquam inſtrumentis ſit præditus. Procedens autem, ad idem deducit inſtrumentis præditum eſſe cum eo, quod eſt, Potẽtia uitam habere: ut eodem pro uno utatur, & potentia uitam habere, & inſtrumentis præditum eſſe. Neq; ergo cadauer potẽtia uitam habet: & ſi enim inſtrumentis præditum uideatur, ſed tamen, ut ipſe ait, eius partes ſunt æquiuocæ: Sic enim mortui manus dicitur, ſicut & lapidea. Neq; enim ea, quæ ſunt manus, operatur. Neq; ſemen potentia uitam habet. Nam, cùm nondum ſit inſtrumentis præditum, aptum non fuit ad eam ſuſcipiendam, quæ eſt ex anima, uitam. Sed dici poßit ſemen, uel inſtrumentis non præditus, qui in utero eſt, fœtus potentia uitam habere. Fieri enim poteſt, ut ſit potentia uitam habens. Sed perfectũ, & quod iam uitam ſuſcepit, hoc, inquit, eſt potentia uitam habens. Quomodo ergo potentia, & non actu? Quoniam, quod ad ſuam naturam attinet, uitæ expers eſt, & ſolùm aptũ ad uitam ſuſcipiendam. Potentia autem ſecundum, quod habet habitum. Habet enim per ſe habitum, ut poßit uiuificari, etiam ſi ſemper ab anima uiuificatur, quandiu fuerit. Sicut enim dicebamus, quæ ſecundum habent actu, quod eſt ſicut contemplari, ea habitum quoq; habent. Quare, etiam ſi ſemper uiuificetur corpus, non eſt abſurdum, quod ad eius naturam attinet, dicere ipſum potentia uitam habere. Eſt enim clarum, quòd cum potẽtiam habeat ut uiuificari poßit, ſic uiuificatur. Si enim ex ſe potentiam non haberet, non uiuificaretur. Dixit autem ſignificatum huius, quod eſt, Potentia, in libro quoq; Peri hermenias, ubi poßibile diuiſit. Poßibile enim, inquit, non ſimpliciter dicitur: ſed hoc quidẽ, ut quod eſt actu: ut poßibile ambulare eum, qui ambulat: & omnino poßibile eſſe, quia iam eſt ſecundum actum. Secundum hoc ergo illud quoq; dictum eſt, Potentia uitam habentis. Dubitauerit autem forsaſſe quiſpiam, cùm ſubſtantia eſt anima, quæ eſt ſecundum formam, quomodo dicimus non eſſe aliquod commune genus animæ? Commune enim earum genus eſt ſubſtantia: Vel quomodo omnino æquiuocam eſſe entelechiam? Quomodo præterea uera eſt regula, quæ dicit, In quibus prius eſt & poſterius, eorum, quod communiter prædicatur, non eſt genus? Ecce enim, cùm in animis ſit prius & poſterius, tamen, quod de eis communiter prædicatur, genus eſt. Omnis enim anima ſubſtantia eſt ſecundum formam, quod uocat entelechiam. Quòd itaq; non ſimiliter eſt omnis anima ſubiecti entelechia corporis, iam abſoluimus. Quia & ſi rationalis anima dicitur eſſe entelechia corporis, ſed tamen actu tantum dicitur entelechia corporis, non ſubſtantia, ſicut aliæ. Sed quomodo, ſi quidem genus earum eſt ſubſtantia, & ſubſtantia ſecundum formam, nõ uidetur eſſe ſoluta uniuerſalis regula? Dico ergo, quòd quando dicimus, In quibus eſt prius & poſterius, eorũ, quod communiter prædicatur, non eſt genus, quod communiter prædicatur non quodlibet accipimus, ſed quod maxime ambit & continet. Nam animal, & quod uerum eſt, ut equus, & æneum, uel ligneum, ut animalia quidẽ, ſunt æquiuoca: eſt enim in eis prius & poſterius: ex uero enim æneum uel ligneum: & propterea, quod de eis prædicatur, animal, uel equus, non, ut genus, de eis prædicatur. Nihil autem uetat quominus ea communia genera habeant, quæ de eis remotius prædicẽtur. Corpus enim, & ſubſtantia, ut genus, & de uero equo & de ligneo prædicatur. Idẽ & in omnibus. Sic ergo & in anima genus eſſe earum ſubſtantiam nihil prohibet. Proximè quidem certe, quod eas comprehendat, commune genus non habent. Neq; enim anima ut genus de eis prædicatur: neq; entelechia. Sicut enim dixi, aliæ quidem ſunt ipſa ſubſtãtia entelechiæ corporis: aliæ uerò ſolo actu. Eſt itaq; in eis prius & poſterius.*

Nunc veluti à principio rurſus aggrediamur, tentantes definire quid ſit anima, & quænam ſit eius communis ratio. Dicimus autem vnum eſſe genus eorum, quæ ſunt, ſubſtantiam.

*Aliud nunc principium orationis capit, quæ ſibi uidentur exponens. Prius enim, quæ ab antiquis dicta ſunt, exponebat.*

Eius autem hoc quidem vt materia, quæ ſecundum ſe quidem nõ eſt hoc aliquid. Aliud autem figura & forma, ſecundum quam iam dicitur hoc aliquid: & tertium, quod ex eis eſt.

*Hoc aliquid Ariſtoteli formã hoc in loco ſignificat. In prædicamentis enim indiuiduum. Videtur enim, inquit, omnis ſubſtantia hoc aliquid ſignificare. Quoniã ergo unicuiq; eſſe et dici, ut hominem, equum: eſt ſecundum formã: omnibus enim communiter ſubſtrata eſt materia: propterea ait, quòd ſecundum materiam ſubſtantia ſecundum ſe nulla forma eſt: quando quidem ne per ſe quidem ſubſiſtit: ſed ſemper cum aliqua forma conſideratur, per quam unumquodq; deinde nominationem habet. Per quod enim unumquodq; ab alijs differt, hoc à forma habet. Eſt autem materia potentia. Nulla enim ex formis eſt per ſeipſam materia: ſed omnes potentia. Neq; enim, quod non eſt omnino alicuius ſuſceptiuum, illius materia eſt: ut eſt in propinquioribus materijs uidere. Neq; enim unquam fuerit, uerbi gratia, fictilium uaſorũ materia lapides, quoniam ad eorum ſuſcipiendam formam natura apta non eſt. Neq;, quod amplius non poteſt, quòd ipſum iam formas habeat. Tegula enim non fiet nec ſua ipſius materia, nec eorum quæ ſunt eiuſdem ſpeciei. Iam enim actu formam habet. Prima ergo potentia ſolum conſideratur: atq; uniuſcuiuſq; propinquiorum potẽtia, ſolum eſt id cuius.*

Eſt autem materia quidem potentia: forma autem entelechia.

*Non dixit entelechia ablatiuo caſu, ſed recto. Quæ enim formam accepit materia, ea eſſe dicitur entelechia. Hoc autẽ utrũque ſimul coniunctum eſt. Forma quidem per ſe entelechia eſt. Potentiæ autem oppoſuit entelechiam, eo quòd potentia quidem eſt imperfecta: Perfectio autem entelechia: ſignificat enim eſſe in fine. In quo autem unumquodq; ſuum habet eſſe, in eo propriam quoq; perfectionem habet. Vnumquodq; autem eſſe habet ſecundum ſuam ipſius formam. Perfectio ergo uniuſcuiuſque eſt propria forma. Si itaq; perfectionis forma eſt: perfectio autem entelechia: meritò transfert formæ nomẽ ad nomen entelechiæ. Si autem eſt omnino forma entelechia: forma autem anima: entelechia ergo eſt anima. Non ſolum autem eam, quæ*

ſecundum rationem, formam entelechiam uocat: ſed et eam, quæ eſt ſecundum figuram. In phyſica enim de utriſq; diſſeruit. Statuæ enim forma eius eſt entelechia. fortaßis autem accepit entelechiæ nomen pro forma, eo quòd de accidentibus quoque formæ nomen dicatur, ut ſi dixero Socratem eſſe forma ſimũ, prominenti uentre. Sed hæc non ſunt Socratis perfectio: ſed Socrati accidunt.

Idque biſariam, hæc quidem vt ſcientia: illa verò vt contemplari.

Diuidit entelechiam in duo, et in eam, quæ eſt ſecundum habitum: & in eam, quæ eſt ab habitu, operationem. Eſt autem ei conducibilis Entelechiæ diuiſio ad definitionis aßignationem. Cùm enim duplex ſit entelechia, eaq́;, quæ eſt ſecundum habitum, quæ et prima eſt, & tempore, & natura: eaq́;, quæ eſt ſecundum illam, quæ ab eo eſt, operationẽ: inueniet, ut diximus, animam eſſe entelechiam ſecundũ primam. Secunda enim, quæ eſt ſecundum id, quod eſt contemplari, à prima habet, quòd ſit ſubſtantia. Ipſum enim contemplari non eſt per ſe ſubſtantia.

3 Subſtantiæ autem maximè eſſe videntur corpora: et ex ijs naturalia. Ea enim ſunt aliorum principia.

Cùm ſubſtantiam in tria diuiſiſſet, in materiam, et formam, & in utrunq; coniunctum (id autem eſt corpus naturale) ab eo, ut iam dixi, doctrinam incipit, utpote manifeſtiori. Ex hoc enim rurſus inueniet, & quòd anima eſt ſubſtantia, & qualis ſubſtantia. Hæc ergo, inquit, maxime ſubſtantiæ eſſe uidentur. Materia enim & forma à multis cognitæ non ſunt: ſed utrunq; ſimul coniunctum ſolum norunt. Cùm itaq; accepiſſet, quòd corpora ſunt ſubſtantiæ, & ex ijs magis naturalia, à Mathematicis & artificialibus diſtinguens, huius cauſam adijcit, Quoniam, inquit, naturalia aliorum ſunt principia: Mathematicorum enim propter mentis conceptum: Artificialium autem, quòd eorum unumquodq; habet corpus naturale ſubiectũ. Abaco enim, qui eſt corpus artificiale, eſt ſubiectum lignum: quod eſt corpus naturale.

Iam vero naturalium alia quidem habent vitam: alia verò non habent.

Poſtquam aſſumpſit, quòd naturale corpus eſt maximè ſubſtantia, illud diuidit in animatum, & inanimatum: & oſtendit, quòd anima eſt ſubſtantia. Quoniam enim naturale corpus eſt utraq; ſimul coniuncta ſubſtantia, ut quæ ſit ex materia & forma: naturale autem animatum: Id ergo quoq; eſt ex materia & forma. Sed ſimplicia quidem corpora dicimus, quòd ex primæ formæ materia ſunt: Hæc uerò ex propinquiore ſunt materia, nempe corpore, & forma, uidelicet, anima. Si autem forma ſubſtantia, ergo & anima. Et ſi forma quædam ſimplex eſt ſubſtantia: ergo & anima quædam eſt ſimplex ſubſtantia, nempe anima, quæ eſt ſecundum formam.

Vitam autẽ dicimus, quæ per ſeipſum fit, nutritionem: auctionem: & diminutionem. Quare omne corpus naturale vitæ particeps ſubſtantia fuerit. Subſtantia autem ita vt compoſita.

Diuiſis naturalibus corporibus in ea, quæ uitam habent, & quæ non habent, deinceps definit, quid eſt uita. Ex eo enim cognoſcenda erant, quæ uitam habent. Per ſeipſum autem nutritionem dicit, & auctionem, Quoniam uidetur additio eſſe auctio: ut ſi aquæ aqua addatur: ſed non eſt per ſeipſum auctio: ſed per aliud additum. Videri autem poßit ignis nutriri, & augeri uitam non habens: Sed hoc non eſt uerum. Per ſeipſa enim ea nutriuntur, quæcunq; habent inſtrumẽta, per quæ nutrimentum accipiunt, & quibus ex nutrimento additio, & auctio fit per omnem partem. Ignis autem, & aqua, & eiuſmodi neq; per partes recipiunt: neq; in omni parte augentur, & creſcunt. Præterea in igne generatio & corruptio magis conſideratur. Quod autem augetur, manere oportet. De ijs autem exactè dictum eſt in libro, De Generatione & Corruptione. Ex hoc autem colligunt quòd animal non eſt, quod in utero eſt. Si enim uita eſt, quæ per ſeipſum fit, nutritio, & auctio, & diminutio: id eſt autem, ea quæ fit per propria inſtrumenta: Quod autem in utero adhuc eſt, non per propria inſtrumenta nutritur, Dico autem per os. Non eſt ergo animal, neq; uiuens. Nutritur autem umbilico, id per lorum à matre ſuſcipiẽs. Sed aduerſus hoc urgeri poteſt. quòd &, qui in utero eſt, infans per ſeipſum nutritur. Si enim augentur, ſcilicet, & nutriuntur. Et quòd nõ additio tale eſt, manifeſtum eſt. Neq; enim os oßi additur: neque carni caro: ſed præparat matris nutrimentũ, ſicut nobis qui panem faciunt. Sed & infantibus matres premãdẽtes cibos præparant. Sic ergo & in infante, qui eſt in utero, ſecunda quedã eſt nutrimenti præparatio, quæ ex matris natura fit. Sed & per propria inſtrumenta nutritur. Nam & in eo utiq; uentriculus primum concoquit. Ipſe autem ad iecur transmittit. & illud per uenas ad unamquamq; partem. & ſic in unaquaq; aßimilatur nutrimentum ſubiectæ ſubſtantiæ. Hoc autẽ accidit in perfectis quoq; animalibus. Et aliter. Si perfectißimis animalibus ſecundum locum motus eſt: mouentur autem aperte &, qui in utero ſunt, fœtus eo, qui eſt ſecundum locum, motu: Sunt ergo & hæc animalia, Sed aduerſus hæc omnia ſua contra adſtruentes dicunt: Quòd ſi nihil fruſtra fit à natura, neq; quid imperfectum, & quod ſibi ipſi ſufficere non poßit, cur, ſi perfectũ eſt animal, eum adhuc natura in utero continet? Nonne clarũ eſt, quòd adhuc imperfectum eſt, & iter init, ut ſit animal, cũ nondum ſit? Quomodo autem, ſi eſſet animal, non ei perfecta inſtrumenta præberet, quibus uiueret, ut os? Sed & ad hoc licet dicere: quòd, quemadmodum etiam quando genitus eſt, animal quidem eſt: adhuc tamen inſtrumentorum compactione indigens, perfectas animalis operationes exercere non poteſt: ita dico, & quando eſt in matrice, quando quidem omne corpus tempore ſuam ipſius perfectionem obtinet, maiori adhuc auxilio indiget: & propterea in matrice cuſtoditur, accepta quidẽ iam animalis forma, ſed inſtrumento adhuc, ut dicebam, maiore cuſtodia, & ſolicitudine egente. Nam et ſi quis ad perfectißimas operationes reſpexerit, neq; adoleſcẽtem animal dicet, niſi qui pubes factus ſit, & iam deinceps generatiuas operationes exerceat. Quod quidem abſurdum eſt, ut is demum, qui ita habeat, animal dicatur. Sed fortaſſe non ſunt neceſſaria quæ dicta ſunt. Neq; enim ſi per ſeipſum nutritur, iam eſt animal. Neque enim idem eſt uiuens & animal. Viuere enim ipſum, & uiuum dicemus: ſed non ita etiã animal. Plantæ enim per ſe nutriũtur ſed non ſunt animalia. Sed neq; ſenſus eſſe particeps animal uti que facit. Quæ enim ſolum tactum participant, non ſunt animalia, zoophyta enim ſeu plantanima tactus partem habent. Et alioqui animalium maxime eſt proprium tota per ſe loca mutare: quod fœtibus, qui in utero adhuc ſunt, nõ in eſt. Matri enim commißi & colligati ſunt, ut qui ſint pars eius: & mouentur, ut plantanima. Cur autem reuera in utero natura contineret, ſi quidem animal perfectum eſſet? Et alioqui ſi uia procedit opificium ab imperfectioribus ad perfectiora, neq; aliter ſuperiores uitæ adſunt, niſi inferiores prius extiterint: eſt autem ordo primum inanimatum: deinde uita uegetatiua: deinde plantanimorum: deinde irrationalium: & ultima rationalium: conſiderare oportet, quòd eo opificij ordine natura utitur. Poſtquam enim coactum & concretum fuerit ſemen: id conflatum & com

& compoſitum ſit inanimatum. Deinde inſtrumentis præditũ, in initio plantæ ſimile eſt, ſenſus interea expers. Progrediens autem accepta ui ſenſitiua, & tactiua, & motu, tunc planta mli no eſt ſimile, ſuo principio, nempe matrici, cõmiſſum & colligatum, ſicut illa petris, uel, quæ circum ſunt, teſtis. Et hoc uſq; ad tempus partus. Tunc autem deinceps perfecta ſiunt animalia: quæ & tranſitiuis motibus mouentur, & per propria inſtrumenta nutriuntur, dico autem per os & reliqua: & omnibus ſenſibus operantur. Poſtremo autem in hominibus rationalem quoq; uitam accipiunt: cùm rationis expertem à principio egerint. Si autem à principio non generant, non ideo non animalia. Neq; enim omne animal gignit. Multa enim & ex putrefactione generantur, quæ procreatricem non habent facultatẽ, & tamen ſunt animalia. Porrò & muli, & quæcunq; ex diuerſarum ſpecierũ coniunctione gignuntur, animalia quidem ſunt: generatiuam autem facultatem non habent. Neq; enim generare eſt animalium proprium: ſed ſenſu & motu uti. Quòd autem non eſt animal id quod eſt in utero, hinc manifeſtum eſt. Si enim animal eſt ſubſtantia animata ſenſitiua, id eſt, quæ ſua natura apta eſt ſentire: ſi eſſet animal, oporteret priuſquã perfectum eſſet & utero emiſſum, ſecundum ſenſus operari. Iam uerò non operatur. Non eſt ergo animal.

4 Quoniam autem eſt tale corpus: vitã enim habens: non fuerit corpus anima. Non eſt enim eorum, quæ de ſubiecto, corpus: potius autem vt ſubiectum, & materia. Neceſſe eſt ergo animam eſſe ſubſtantiam, vt formam na-
5 turalis corporis potentia vitam habentis. Subſtantia autem entelechia. Talis ergo corporis entelechia. Ipſa autẽ dicitur dupliciter. Hæc quidem vt ſcientia: illa verò vt contemplari: manifeſtum ergo, quòd vt ſciẽtia. In eo enim, quòd anima eſt, ſomnus eſt, & vigilia. Proportionem autem, & cõuenientiam habet vigilia quidem cum eo, quod eſt contemplari: Somnus autem cum eo, quod eſt habere, & non operari.

Quod autem ex his dicit hoc eſt. Quando quidem uitam habens corpus, & corpus eſt, & tale corpus, pro eo quod eſt, compoſitum ex corpore & uita: quæ quidem uita anima eſt: neceſſe eſt eorum hoc quidem eſſe materiam: illud uerò formã. Hoc autem ſic oſtendit. Quoniam, inquit, animatũ corpus, corpus tale eſt: acſi diceret, hoc quidem ſubiectum habet: illud uerò eſt in ſubiecto: eſt enim corpus ſubiectum: In ſubiecto autem tale: non fuerit anima ſubiectum, idem eſt autẽ dicere, materia. Hoc autem declarauit, cùm dixit, Non fuerit corpus anima, pro ſubiecto & materia corpus accipiens: Hoc enim ſubiecti & materiæ locum habet. Deinde & cauſam ſubiungit, quomodo nõ eſt ſubiectum anima. Nõ eſt enim, inquit, eorum, quæ de ſubiecto, corpus. De ſubiecto dicens, pro eo quod eſt, in ſubiecto: id eſt, non eſt forma. In ſubiecto enim forma eſt, non ſubiectum. Subiectum enim eſt corpus. Dicimus enim quòd corpus eſt tale. Quare corpus in ſubiecti ordine eſt. Et hoc, ſcilicet, dicẽs, Nõ fuerit corpus anima, corpus pro ſubiecto accepit. & ideo ſubiunxit. Non eſt enim eorũ, quæ de ſubiecto, corpus. Si enim corpus anima: id eſt, ſi eſſet ſubiectum anima: eſſet corpus in ſubiecto. Si autem non eſt in ſubiecto corpus, non fuerit anima ſubiectum. Quod ipſe dixit, non fuerit corpus anima. Eorũ enim duorum neceſſe eſt alterum quidem eſſe ſubiectum: alterũ uerò formam. Quidam autem exiſtimauerunt eum dicere, quòd nõ eſt anima corpus, quorum eſt & Alexander. Eo enim quòd oſtendit, inquit, quòd non corpus, ſimul oſtendit quòd non eſt ſubiectum. Non ſic autem habet. Non eſt enim eius nunc inſtitutum oſtendere, quòd non eſt corpus anima, ſed incorporea: In ſequentibus enim hoc oſtendit, uel iam etiam demõſtratũ eſt ubi monſtrabatur, eam non eſſe magnitudinem: Si enim nõ magnitudo, neq; corpus: Plus eſt enim magnitudo, quàm corpus: ſed, quod nunc monſtratur, eſt, quòd forma eſt anima, & non materia: corpus autem ſubiectum. & materia. Præterea autem id Græcè ex articuli adiectione clarum eſt. Non enim dixit οὐκ ἄρ᾽ ἐστὶ σῶμα ἡ ψυχὴ, ſed, τὸ σῶμα. Eſt enim τὸ articulus alicuius determinati ſignificatiuus: eſt autem anima omnino incorporea. Ex his autem clarum eſt, quòd forma eſt anima. Quo enim, quæ ſunt eiuſdem generis à ſe inuicem differunt, id eorum ſpecies & forma eſt. Differunt autẽ à ſe inuicem corpora, quæ ſunt eiuſdem generis, animato. Anima ergo animatorũ forma eſt. In eo enim, quòd anima eſt, et ſomnus & uigilia eſt. Cùm entelechiam diuiſiſſet in primam, & in ſecundam, in habitum dico, & eam, quæ ex habitu eſt, operationem: & dixiſſet quòd anima ſic eſt entelechia ut ſcientia, huius ualde apertas demonſtrationes ſubiunxit, quæ in ſomno fiunt dico, & quæ in uigilia: Quod eſt æquale huic, quod eſt operari, & non operari animam. Operatio enim uigilia: ab operatione autem uacatio ſomnus. Sed tamen nihilo ſecius animam habemus in utroq;. Pulchre autem Alexãder cauſæ inſtitit, cur à forma ad entelechiam tranſierit. Quoniam enim, inquit, definire neceſſarium erat, utrum oportet animatum ab operationibus, quæ ſunt ſecũdum animã, tale eſſe dicere: uel ab eo, quod eſt poſſe operari: Quorum poſſe quidem primum: operari autem ſecundum: Vſurus, inquit, primo & ſecundo ad definitionem, quoniam in forma abſurdum eſt dicere prius, & poſterius (una eſt enim uniuſcuiuſq; forma) in entelechiam & perfectionem formam tranſmutauit. Neq; enim à ratione alienum eſt dicere entelechiam hanc quidem primam: illam uerò ſecundam. Hæc ergo, inquit, cauſa eſt, cur alterum pro altero ſumpſerit. Formæ autem & entelechiæ, inquit, fuerit differentia, quòd omnis quidem forma ſit entelechia: non omnis autem entelechia, & forma. Quæ enim ab habitu eſt operatio entelechia quidem: non etiam forma eſt. Quare plus eſt entelechia, quàm forma. Forma autẽ audiẽda eſt, ſcilicet ſubſtantialis: nõ quæ eſt ſecundum accidens. Illa enim non eſt perfectio ſubiecti, ut iam dixi. Si hoc autẽ ita habet, qui animam quidem definit, & eam eſſe dicit formam talis corporis, non iuſta amplius de cauſa primam addiderit. Qui autem entelechiam: quia plus eſt entelechia quàm forma: ea quoq; additione opus habuerit.

Prior autem eſt generatione in eodẽ ſcientia. Quare anima eſt entelechia prima corporis naturalis potentia vitam habentis. 6

Tutò admodum hac additione uſus eſt, cùm dixit, In eodem. Fieri enim poteſt ut habitu prior ſit operatio. Præceptor enim diſcipuli habitu priorem habet operationem: in uno autem & eodem operationem præcedit habitus. Hoc autem in iis, quæ in generatione & corruptione ſunt, uerum eſt: in quibus ab habitu quoq; ſeparari natura poteſt operatio. Diuina enim cum habitu concurrẽtem habent operationem: ſemper enim agunt, & operantur, habitũ habentia: ſunt enim ſine potẽtia actus, ut in Peri hermenias dictũ eſt. Quare in mortalibus quidẽ præcedit operationem habitus, idq; in uno & eodem: ut autem in uniuerſo, hæc inuicẽ cõcurrunt: ſemper enim eſt & habitus, qui in uniuerſo eſt, actus & operatio: ſiue ad diuina reſpexerimus, quæ hæc habent ſemper concurrentia: ſiue ad uniuerſum, quod eſt in mortalibus: in eorum enim uniuerſitate, &, ut ita dicam,

*totitate hæc utræque ſunt. Neq; omnino ſemper alterum alteri præponendum eſt, ut in uniuerſo perfecta imperfectis præponenda ſint. Sicut enim dixi, productiuæ cauſæ præcedunt, quæ ſunt in perfecta operatione. & omnino oportet uniuerſi opificium à perfectis incipere, & non ab imperfectis.*

Tale autem, quod fuerit inſtrumentarium.

*Poſtquam dixit, Potentia uitam habentis, hoc exponit. Hoc enim eſt, inquit, potentia uitam habens, quod fuerit inſtrumentarium. Non enim prima ignis entelechia eſt anima, dico autem uis calefactiua: Atqui & hoc quoq; naturale corpus eſt: ſed quoniam non eſt inſtrumentarium, non eſt prima eius entelechia anima, calefactiua, dico, & ſiccatiua facultas. Inſtrumentarium autem eſt, quod habet inſtrumēta, per quæ ſecundū uitam operationes fiunt. Hæc autem ſunt, quæ ſunt diſsimilarium partium. Quorum unumquodq; diuerſis operationibus ſubſeruit.*

Inſtrumenta autem ſunt plantarum quoq; partes, ſed omnino ſimplices. Vt folium, eius, quod fructum ambit, eſt tegumentum: id autem quod fructū ambit, fructus. Radices autem cum ore proportionem, & conuenientiā habent: vtraq; enim nutrimentum attrahunt.

*Quoniam plantæ quoq; animatæ ſunt: eſt autem anima inſtrumentarij corporis entelechia: propterea ait, quòd plantæ quoq; partes inſtrumētariæ ſunt. Proprium enim unumquodq; habet operationem Atqui ſimplicia, inquit, ſunt plantarum inſtrumenta. Simplicia autem, ut ad ea, quæ ſunt animalium: ſubiecto enim, & operationibus ſunt ſimpliciora, quæ ſunt plantarum. Vnaquæq; enim earum, quæ ſunt in animalibus, inſtrumentariarū partiū ex multis ſimilaribus partibus conſtat. Quæ autem ſunt plantarum, ex paucis. Verbi gratia, ramus ex cortice, & ligno, & aliquo alio. Sed et quod ad operationes attinet, in plantis unam & ſimplicem unaquæq; pars exercet operationem. In animalibus autem, unaquæq; multas & uarias, idq; meritò. Quoniam enim inſtrumenta, ut animæ appetitibus, & impulſionibus ſeruiant, facta ſunt: meritò animalibus motibus ea congrue & conueniēter conſtituta, & cōparata eſſe oportet. Sunt autem animaliū animæ uarijs motibus, & impulſibus prædite. Plantarum autem operatio ſimplex eſt, Nutritiua enim facultas ſolum nutrit: & auctiua auget: & nihil plus operatur. Quodam modo autem plantarum inſtrumentarium corpus oſtendens, & quid ſit inſtrumentarium exponit. Vt folium, eius, quod fructus ambit, tegumētum: Id autem quod fructus ambit, fructus. Fructus enim dicitur ipſum ſemen, ut ficus acini, & olearum nuclei. Quod fructum autem ambit, eſt id, quod circunfuſum eſt, humidum cum pelle ipſum cōtinente. Facta ſunt ergo folia, inquit, ut, quod fructum ambit, tegant: & ne ab eo, quod ambit, lædantur: Id autem, quod fructum ambit, ut fructū ſeruet. Huius enim gratia natura omnia machinata eſt, ut ex ſucceſsione maneret perpetuitas.*

7 Si quid autem in omni anima commune dicere oportet: fuerit prima entelechia corporis naturalis inſtrumentarij.

*Vides quòd non uult commune eſſe genus animarū, uel communem definitionem. Vt iam enim dictū eſt: In quibus eſt prius, & poſterius, quod de eis communiter prædicatur, non eſt genus. Ex data autem nunc definitione aperte manifeſtū eſt, quòd idem eſt potentia uitam habens, quod inſtrumentarium. Cùm enim ſuperius dixiſſet, naturalis potentia uitam habentis, nunc dicit, Naturalis inſtrumentarij, uno pro altero iiſdem nominibus uſus.*

Quare quærere non oportet, an anima, & corpus ſint vnum: ſicut neq; de cera, & figura: neque omnino de vniuſcuiuſq; materia, et eo cuius eſt materia. Vnum enim & eſſe: quoniam multis modis, quod proprie entelechia eſt,

*Dubium, inquit, ipſe in eo, qui præcedit libro iis, qui in partes animam diuidunt, quid eſt, quod eas uniat: ſiquidem eſt anima unius, quod & ipſum eſt animal. Non enim multæ ſunt animæ: quandoquidem unuſquiſq; multa eſſet animalia: cùm unaquæq; pars ſit anima. In his ergo meritò erat dubitatio: & præterea in omnibus, qui de anima quidem dixerunt: de eam autem ſuſcepturi aptitudine corporis nihil definierunt, quidnam ſit, quod animam corpori uniat, & unum animal faciat. Non amplius ergo procedet hæc quæſtio iis, ſecundum quos anima quidem entelechia, materia autem, & ſubiectum corpus. Sicut enim in orbiculata cera non quæſiuerit quiſquam, quid eſt quod uniat figuram, & ceram. Ceræ enim affectus, & accidens eſt figura. nec aliquo opus eſt, quod ea ſit uniturum. Ipſa enim propria eorum natura & ceræ aptitudo unionis cauſa eſt: ita in corpore & anima. Quoniam entelechia & perfectio corporis eſt anima: ut & figura orbiculatæ ceræ entelechia non exteriorē, ſed domeſticam, & ex ſe habent unionem. Vt dicebamus enim, quando hoc quidem materia fuerit: illud uerò forma: ipſa aptitudo materiæ ſtatim formæ perfectionē admittit, nullo indigens medio. Cùm unum enim, inquit, & eſſe multis modis dicatur. Dicitur enim unum uel genere: uel ſpecie: uel numero: uel uinculo: uel conglutinatione: uel quæcunq; alia unius ſignificata in Phyſica enumerat: & hoc quidem ſit potentia: illud uerò perfectione & actu: unum proprie, & proprie eſſe rebus ſecundum uniuſcuiuſq; entelechiam eſt, & perfectionem. ſecundum quam & omnino eſt, & dicitur hoc aliquid. Quare ſi & unio, & omnino eſſe hoc aliquid compoſitis ex formæ adeſt: nō eſt quærendum, quid eſt, quod animam corpori uniat, Dico autem, ut quod unū eſt, & ſimul eſt ſuſceptiuum. Hoc enim ipſum natura formæ & materiæ eſt, ut in hoc illud ſit.*

In vniuerſum itaque dictū eſt, quid eſt anima. Subſtātia enim ſecūdum rationem. Hoc enim eſt, quid ſit eſſe tali corpori: quemadmodum ſi inſtrumentum naturale corpus eſſet, vt ſecuris. Eſſet enim hoc ſecuri eſſe eius ſubſtantia, & anima. Ea enim ſeparata non amplius eſſet ſecuris, præterquā æquiuoce. nūc autem eſt ſecuris.. Non enim talis corporis quid eſt eſſe, & ratio anima: ſed naturalis talis habentis principiū motus, & ſtatus in ſeipſo. 8

*Rudius & craſsius tradita animæ definitione, per hæc nunc eius partes perſequitur: & exemplis oſtendit, quòd unaquæq; rectè aſsignata eſt: et per hæc ſimul oſtendit, quod anima à corpore eſt inſeparabilis, quatenus eſt entelechia. Eſt enim perfectio inſeparabilis, quatenus eſt perfectio. Quomodo autem dicatur rationalis inſeparabilis, dicemus contextū perſequenter. Tradidimus ergo animam, inquit, eſſe ſubſtantiam, quæ eſt ſecundum rationem, id eſt ſecundum formam: Formā autem naturalis inſtrumentarij corporis: Quòd itaq; rectè ſubſtantia, quæ eſt ſecundum formam definitioni attributa eſt, oſtendit exemplis, & artificialibus, & naturalibus. Artificiale enim inſtrumentum, inquit, eſt ſecuris. Si ergo, inquit, naturale corpus, ut inſtrumētarium, ſuam haberet animam, ſecuris formam, hoc eſt ſectiuam facultatem, quæ ex tali figura ineſt: materiam, & ueluti corpus, ipſum ferrum: ab eo ſi ſeparata eſſet anima, id eſt figura, et*

ſectiua

*ſectiua facultas:nõ amplius eſſet ſecuris,ut quæ propriam formam,nempe ſectiuam facultatem non haberet.Si itaque ſecuris forma eſt figura,& quæ ex ea eſt ſectiua facultas : Si illa ab ea ſeparata ſit , nõ eſt amplius ſecuris:ut autem anima ad corpus, ſic ſecuris figura ad ferrum.Forma autem ſecuris,ſecundũ hoc ipſum,quatenus eſſe habet,& ſecuris dicitur. Talis autem eſt figura,quæ ſectiuam habet facultatem.ergo & naturalis instrumentarij corporis forma fuerit anima:eo quòd ſecundum eam eſſe habet.Separata enim anima non eſt amplius inſtrumentarium corpus,præterquàm æquiuoce. Sic enim dicitur manus mortua,ut lignea,uel lapidea.Vniuſcuiuſq; enim forma ſecundum ſubſtantiales uniuſcuiuſq; operationes figuratur. Quemadmodum ergo non potens ſecuris ea,quæ ſecuris,facere , ſuam formam perdiderit : ſic & cùm animatum animati operationes amiſit,ſuamipſius formam animatum amiſerit.Amittit autem utrunq; ſuas operationes:hoc quidem perdita figura: Illud uerò anima.Forma autẽ ſecuris talis figura. Dico autem, quòd ſectiuam habet facultatem.Animati ergo forma eſt anima . Vt enim ſecuris figura ad ferrum:ſic anima ad animatum. Perfectio autem ſecuris & forma figura eſt.& ſectiua facultas. Ergo & corporis anima.Rectè ergo dictum eſt formam eſſe animam & perfectionem corporis .Simul etiam manifeſtum eſt, quòd,Natura,recte additum eſt.Securis enim & corpus eſt,et inſtrumentarium corpus : ſed tamen eius entelechia & perfectio non eſt anima,quoniam eſt artificiale,& non naturale corpus Poſtquam autem in artificiali exemplo definitionem explicuiſſet,inſtituto propinquior factus , magis cognato exemplo uſus eſt,in partibus animatis definitionẽ aperiẽs.Si enim eſſet, inquit,oculus animal:eſſet eius anima uiſus : corpus autem tunica,& ſubiectum humidũ. Oculi autem natura formatur ſecundum uiſum.Si enim non uideret,nõ eſſet oculus.Quare eius anima eius eſſet ſubſtantia,quæ eſt ſecundum formam. Quam nunc,inquit,rationem habet uiſus ad oculum : eam tota anima habet ad totum corpus.Si itaq; uiſiua facultas,quæ ſenſitiuæ facultatis animæ pars eſt,oculi forma eſt:& tota ergo anima totius corporis forma erit.& ſicut in ſecure habet eius ſectiua facultas,etiam ſi nõ ſecet:& in oculo quoq; uiſiua facultas,etiã ſi uel claudatur oculus,uel conniueat:ſic & in tota anima ſe habet prima entelechia, quæ eſt , quamuis dormiat animal. Eſt enim etiam dormiens nihilo minus animatum.& ſicut in ſecure ſectio,& in oculo uiſus:ita & in animali uigilia .In uniuerſum ergo dictum eſt quid eſt anima,pro eo quod eſt communius, & uniuerſalius.progrediens enim,rectius , & exactius ſeparatim tractabit de unaquaq; animæ facultate.Subſtantia enim ſecundum rationem,hoc eſt ſecundum formã.Græcè eſt λόγος quod & orationem,& definitionem,& cauſam, & formam,ut hic, apud Ariſtotelem ſignificat. Atque in Phyſica quidem de rerũ principijs diſſerens,materia,et forma,de materia inquit,Vnum eſt igitur ipſum principium,uidelicet,quod eſt ſecundum materiam: Alterum autem ratio,Græcè λόγος, id eſt forma. Hoc enim eſt quid erat eſſe tali corpori. Quia dixit animam eſſe ſubſtantiam,quæ eſt ſecundum formam:non omnis autem forma anima:propterea ſubiecit.Hoc enim eſt quid erat eſſe tali corpori,id eſt,hoc dico formam animam,per quam tale corpus,id eſt,naturale inſtrumentariũ, eſſe habet et definitionem.Hoc enim ſignificat illud,Quid erat eſſe, id eſt per quod eſt ei eſſe, & per quod quid eſſe dicitur.Secundum formas enim ſunt rerum definitiones.Sic ergo & eſſe animatorum,& eorum definitio eſt ſecundum animam.Secundum animam enim formantur animata.Eſſet enim hoc ſecuri eſſe eius ſubſtantia & anima.Si ſecuris,inquit,quod eſt inſtrumentum, eſſet & naturale corpus:naturale autem dicit,ut animatum:eſſet eius,quæ eſt ſecũdum formam,ſubſtantia,idem eſt autem dicere, anima , hoc eſt ſecuri eſſe:id eſt,per quod ſecuris habet hoc ipſum , quòd eſt ſecuris,hoc eſſet eius anima.Et ſi ſeparata eius eſſet anima, & fieret inanimatum,non eſſet amplius ſecuris,niſi ut picta. Nũc autem,inquit,quamuis inanimata ſit ſecuris,ſecuris eſt: quoniã anima non eſt artificialis corporis entelechia, ſed naturalis inſtrumentarij,Hoc autem dixit uolens oſtendere quòd definitioni recte additum eſt,inſtrumentarij. Deinde nobis ſubijcere uolens qualenam dicit naturale inſtrumentarium corpus,addidit, Habentis principiũ motus,& ſtatus in ſeipſo. In Phyſica enim dixit naturam eſſe principium motus & quietis. Motus autem proprie eſt in animatis,qui eſt ſecundum locum, & ſecundum auctionem & diminutionem. Qui eſt enim ſecundum alterationem motus,in inanimatis quoq; cernitur.Lapis enim & multa alia inanimata alteratiuam ex ſe habent facultatem. Ea ergo dico naturalia,quæ ex ſeipſis habent motus principiũ,& quietis.Securis autem eum,qui eſt quatenus eſt ſecuris , motum ex ſeipſa non habet:ſed extrinſecus ab eo qui utitur. Atque omnia quidẽ artificialia motus & quietis principium nõ in ſeipſis habent,ſed foris in eis,qui uel fabricauerunt,uel qui ea mouent.*

Conſiderare oporte & in partibus , quod dictum eſt. Si enim eſſet oculus animal , anima ei eſſet uiſus. Ea enim ſubſtãtia oculi,quæ eſt ſecundum rationem : Oculus autem viſus materia. Qui cùm dereliquerit, non eſt amplius oculus, præterquam æquiuoce, ſicut lapideus,& pictus. Oportet autem accipere, quod eſt in parte,in toto viuẽte corpore.Pro portionem enim,& conuenientiam habet,vt pars ad partem,totus ſenſus ad totũ corpus ſenſitiuum,quatenus tale. 9

*Transfert exemplum ab artificiali ad naturale , & animatum,Partes enim dicit animatorum. Si enim eſſet oculus animal,id eſt ipſe per ſe ſine corporis uniuerſitate.Notandum autem quòd oculum alicubi quidẽ de utroq; accipit: ſicut & hic, & paulopoſt ubi dicit,Sed ſicut oculus pupilla, & uiſus . Vſus eſt autem & oculi nomine in ſolo corpore ſubiecto uiſiuæ facultati.Mox ergo dicit,Oculus autem uiſus materia. Hic autem oculum utrunq; ſimul accipiens per ea quæ dicit, Si enim eſſet oculus animal,aperte oſtendit,quòd forma utriuſq; ſimul eſt,et non corporis.Fit enim,& eſt in corpore.Non eſt autem & forma corporis,ſed utriuſq; ſimul. Cui enim cauſa eſt ut ſit, huius quoq; forma eſt. Forma autem utriq; ſimul cauſa eſt.Cùm itaque dixiſſet ipſe utrunq; ſimul oculum , quòd dixerit , Si enim eſſet oculus animal,ſubiunxit,Eius anima eſſet uiſus oculi, ſcilicet,quòd utrunq; ſimul eſſet.Oportet autẽ accipere id quod in parte eſt in toto animali.Vnumquodq; enim ſenſorium fingitur, & formatur ſecundum aliquam ſenſitiuam animæ facultatem,præter tactum.Is enim per totum corpus peruadit.Quã rationem habet unuſquiſq; ſenſus ad eius ſubiectum ſenſorium: eam & tota anima ad totum ſenſitiuum corpus.Eſt autem forma partis.& uniuerſa ergo anima totius ſenſitiui corporis forma fuerit. Illud autem,Quatenus tale,pro eo quod eſt,Quatenus ſenſitiuum. Non enim quatenus graue corpus, uel album, uel quid tale,ab anima formatur:ſed quatenus ſenſitiuum. Hoc dictum arripientes qui omnem animam immortalem facere uolunt,dico autem,Quòd oportet accipere id, quod eſt in parte, in toto corpore,conantur monſtrare hoc quoque Ariſtotelem uerbis ſuis oſtẽdere. Si enim,inquiũt,ut ſe habet pars,ita habet & totum:in primo autem libro de uiſiua facultate dixit,oſtendens eam affecto ſenſorio nihil penitus lædi,ut quæ in ipſo eſſe non habeat:quod ſi acceperit ſenex talem oculum, uidebit ut*

*iuuenis: clarum eſt ergo, inquiunt, quòd & tota anima erit ſeparabilis. Ad hoc ergo dico, quòd, & ſi conceſſerimus eam eſſe animam ſeparabilem, dico autem ſenſitiuã: et quòd etiam ſenſile apprehendet à corpore ſeparata: ſed non & uegetatiuam. De ea enim nihil uſquam aperte dixit. Deinde & ſi ſeparabilis eſt irrationalis, ſed ab hoc quidem ſolo corpore eſt ſeparabilis, non & à ſpiritu. ut & à nobis iam oſtenſum eſt, & in ijs, quæ ſequuntur amplius oſtendetur.*

10 Eſt autem non, quod anima caret, potentia autem eſt, vt viuat: ſed, quod habet. Semẽ autem, & fructus potentia tale eſt corpus. Sicut ergo ſectio, & uiſio: ſic & vigilia entelechia. Vt autem viſus, & inſtrumenti facultas, anima. Corpus autem, quod eſt potentia. Sed ſicut oculus pupilla, et viſus: & illic anima, & corpus animal.

*Quomodo dixerit illud. Potentia uitam habentis per hæc interpretatur. Vt iam enim uitam habens, & non ut, quod careat, & potentiam habeat. Superius autem ſententiæ adiecimus ex libro Peri hermeniæ, quòd id quoq; nouit ſignificatum huius, quod eſt potẽtia, ut ſit id, quod iam actu eſt. Semẽ autem & fructus potentia tale corpus. Fructum dicit arborũ & plantarum ſemen, ut ficuum acinos. Corticem enim cum alio eſculento humido περικάρπιον, id eſt, quod circa fructum eſt appellat, ut in Meteoris. Quod autẽ dicit tale eſt. Quod iam perfectum & inſtrumentarium corpus, id eſt Potentia uitam habens. Semen autem non eſt potentia uitam habens: ſed quod poteſt uitam habere, id eſt potentia inſtrumentariũ. Quare, quod potentiæ, in ſemine eſt, quod eſt ſecundum aptitudinem. Aptitudo enim eſt, ut fieri poßit & inſtrumentarium, & animatũ: nondum enim eſt. Quod autem iam perfectum, & inſtrumentis eſt præditũ, cuiuſmodi ſunt noſtra corpora. hæc ergo iam potẽtia uitã habẽt, Si quis autẽ dixerit, Annon actu uitã habẽt? Rurſus dicimus, quod iam ferè dixi, quòd ſicut oculus potentia eſt uiſiuus ipſe per ſe: non uidet autẽ ſine lucis illuminatione: Hæc enim ei largitur, ut actu uideat: & ſi quis actu uidente oculo dicat oculum eſſe potentia uiſiuum, uerum dicit. Ipſe enim ſecundum ſuam ſubſtantiam ſolam habet ad uidendum aptitudinem, cùm actus ex alio lumine acceſſerit. Sic & in toto corpore dicimus & tota anima. quòd ipſum quidem corpus, quod ad ſeipſum attinet, in ſe ſolam habet uitæ aptitudinẽ: ipſa quidem certe, quæ ſecundum actum uita eſt, ex ipſa anima ei accedit. Rectè ergo dictum eſt illud, Potentia uitam habentis. Sicut ergo ſectio & uiſio, ſic & uigilia entelechia. imaginũ ad exemplar proportionem & conuenientiam oſtendit. Iam autem diximus conuenientiam Sectionem autem, & uiſionem ſecundam dicit oculi & ſecuris entelechiam, quæ erat, Vt contemplari. Viſum uerò & ſectiuam inſtrumenti facultatem, primam, quæ erat, Vt ſcientia, ſecundum quam animæ formam & characterem tribuit. Corpus autem quod eſt potẽtia, id eſt corpus, quod poteſt has operationes ſuſcipere. Sicut & in oculo ſubiectum pupilla. Vtrunq; autem ſimul, in toto quidem animal, quod eſt ex anima, & corpore: in parte autem oculus, qui eſt ex pupilla, & uiſu. Pupillam autem totum oculum dicit tunicas cum humoribus.*

11 Quòd itaq; non eſt anima à corpore ſeparabilis, uel eius partes, ſi eſt diuiſibilis, nõ eſt obſcurum. Nõnullarũ enim eſt ipſarum partium entelechia. Verum enimuero nõnullas quidem nihil prohibet, eo quód nullius ſint corporis entelechiæ.

*Tradita animæ definitione, tanquã concluſionẽ aliquam, quæ definitionem ex neceßitate ſequitur, eſſe à corpore inſeparabilem animam colligit. Si enim forma & perfectio eſt animati corporis anima: quæ autem eſt alicuius perfectio, ut illa ſine eo ſit fieri non poteſt: clarum eſt ergo, quòd & anima à corpore non eſt ſeparabilis. Ea enim ad aliquid ſunt forma et perfectio. Quæ autem ſunt ad aliquid, ſimul uel ſunt, uel non ſunt. Quòd ergo ad traditam animæ definitionẽ attinet, uniuerſa à corpore fuerit inſeparabilis, cuius eſt entelechia, ſiquidem uniuerſæ conuenit definitio. Sin minus autem, & non uniuerſa fuerit inſeparabilis. Sunt itaq; nonnullæ animæ partes manifeſtè à corpore inſeparabiles, quibus cõuenit definitio, eo quod animati ſunt partium entelechiæ. Nutritiua enim facultas ipſius, quod nutritur, corporis eſt perfectio. Similiter & auctiua & generatiua facultas. Præterea autẽ & eius pars appetitiua format id in quo eſt. Si hæ itaq; ſunt corporum perfectiones, & circa corpora: fieri non poteſt, ut hæ animæ partes à corpore ſeparentur. Cuius enim perfectiones erunt: uel circa quid operabuntur à corporibus ſeparatæ? Quid enim nutritio nutriet, uel augebit auctio à corpore ſeparata? Sed & ſi has dicit animæ eſſe partes: eſſe inſeparabiles à corpore neceſſe eſt. Nonnullas certe nihil prohibet eſſe ſeparabiles, eo quòd nullius ſint corporis entelechiæ. Manifeſte ergo non uult corporis eſſe entelechiam rationalem animam: & propterea eam à corpore eſſe ſeparabilem pronuntiat. Deinde quoniam per hæc uidebatur particularem animæ feciſſe traditam diuiſionem, eo quòd dixerit aliquas animæ partes eſſe à corpore ſeparabiles, ideo quòd nullius ſint corporis entelechiæ, quamuis prius dixiſſet, Si quidem quid commune de omni anima, huic remedium afferens, & oſtendens nihilo ſecius omnis animæ, atq; ipſius adeo rationalis traditam eſſe communem definitionem, addidit.*

Præterea autem incertum eſt, an ita corporis entelechia anima eſt, ut vector nauis. Typice igitur hæc definita ſint, & deſcriptione dicta de anima.

*Quid, inquit, ueremur uel ad omnem animam definitionem extendere, dicentes nonnullas animæ partes, quòd ſint ſeparabiles, nullius eſſe corporis entelechiæ? quaſi propterea non in omni anima conueniat definitio. Nondũ enim, inquit, ex ijs, quæ dicta ſunt, apertum nobis erit, quomodo diximus animam eſſe entelechiam: utrum ut inſeparabilẽ, ut habet ſecuris formã ad ſecurim: an ſeparabilem, ut habet gubernator ad nauem. Nauis enim formam perficit gubernator, cùm ſit ſeparabilis. Si itaque contingit ſecundum aliquid quidem eſſe entelechiam: ſecundũ aliquid autem ipſam ſeparabile, ut quod non ſit ſecundum illud entelechia: in omni ergo animali facultate fieri poteſt, ut conueniat definitio. Quare & quando dicebamus aliquas animæ partes eſſe inſeparabiles, eo quòd ſunt ipſarum partiũ entelechiæ: ut de ea, quæ eſt inſeparabilis, entelechia ſic dicebamus. Cuius enim erit perfectio nutritiua facultas ſeparata à corpore? Et rurſus, quando dicebam, quòd nonnullas animæ partes nihil prohibet eſſe ſeparabiles, eo quòd nullius ſint corporis entelechiæ: ſic dicebam nõ eſſe entelechias, quòd in corpore eſſe ſuum non habeat eorum ſubſtantia. Eæ enim ſunt animalis entelechia, ut gubernator nauis. Aliquo etiam modo dici poteſt, ut iam dixi, animam rationalem eſſe à corpore inſeparabilem. quatenus eſt entelechia. Operationes enim, per quas animal perficit, hoc uel illo modo mouens, habet à corpore inſeparabiles. Ab eo enim egreſſa non amplius eas operabitur. Illas enim habet ex ea, quæ eſt ad corpus, habitudine. Quare, quatenus eſt entelechia, dico autem ſecundum illas operationes, à corpore eſt inſeparabilis: ſicut & gubernatoris, donec gubernat, ſunt operationes*

à naue

à naue inſeparabiles. & ſeparatur quidem ut homo: ut gubernator autem, qui actu eſt, ſimul ac à naue ſeparatus eſt, & corruptas habet tales operationes. Sic ergo et anima rationalis, ut ſeparabilē quidē habens ſubſtantiam, non eſt entelechia corporis: ut autem talem ſuſcipiens ad corpus habitudinem, quatenus & ſecūdū eā habet ut dicatur anima, anima enim ad corpus dicitur, corporis eſt entelechia: & eſt ab eo inſeparabilis. Ab eo enim ſeparata illas perdit operatiões, quas ex ea, quæ ad ipſum eſt, habitudine ſuſceperat: ut uiuificare: et naturales omnes motus ei cōmunicare: & ſi quid aliud eiuſmodi. Quid enim naturaliter mouebit, uel uiuificabit, cùm eſt extra corpus penitus? Illud autem, Si eſt diuiſibilis, nō eſt corporaliter intelligēdum, Diuiſibilē neq; ſecundū locū: ſed ſecundum ſubſtantiā, id eſt, ſi diuiſa eſt ſubſtantia, & alia animæ facultas alius eſt ſubſtantiæ, & nō ſunt eiuſdem ſubſtantiæ omnes animæ partes. Nonnullarum enim eſt ipſarū partium entelechia. Per hæc uidetur ſecūdum corporis partes animā diuidere. Nōnullarum enim, inquit, corporis partium entelechia ſunt partes animæ, ut ab ipſis ſint inſeparabiles: ut oculorū quidē uiſus, nariū autem odoratus: et in alijs alia quædam facultas. Hic autem eſt dictionis contextus. Nonnullarū enim animæ partiū entelechia, id eſt nonnullæ animæ partes, quarū unamquāq; eſſe entelechiā definiuimus, ipſarum corporis partiū ſunt entelechiæ, id eſt, ſunt formæ perfectiuæ corporis partiū: ut ſint, uidelicet, propterea ab eis inſeparabiles. Cur ergo Timæū reprehendebat, qui ſecundū partes animā diuiſit? De eis autē prius dictū eſt. Alexāder uerò, cùm hoc in loco apertè Ariſtoteles dixerit, quòd nōnullas quidem nihil prohibet eſſe ſeparabiles, eo quòd nullius ſint corporis entelechia, primū quidē dicit, quòd uidetur dubitare Ariſtoteles, an ſit uniuerſa inſeparabilis anima, quāuis de eo ipſo pronūtiauerit, propterea quòd nuſquā demōſtrarit eā eſſe inſeparabilem. Procedens autem, & ab ipſo dictionis cōtextu coactus, inquit, Videtur mentem dicere eſſe inſeparabilē. Illud autē, Nihil prohibet, nō eſt dubitātis. ſed quia omnem animā eſſe entelechiam pronuntiauit: propterea dicit, quòd ſic etiā nihil prohibet aliquas animæ partes eſſe ſeparabiles. Poſſunt enim eſſe entelechiæ, ut gubernator nauis. Vel etiam aliter, eo quòd nondū hoc ipſum demonſtrauit. Nondum enim quicquam de rationalibus animæ facultatibus diſſeruit.

12 Quoniam autem ex obſcuris quidē, apertioribus autem fit manifeſtum, & ſecundum rationem notius: ſic de ea rurſus percurrere tentandum eſt.

Poſt quā cōmuniter tradidit, quidnā eſt anima, quòd eſt entelechia corporis naturalis inſtrumētarij: p hæc deinceps uult docere, cur dicta eſt, & quomodo eſt entelechia anima: Quomodo uegetatiua quidem: Quomodo ſenſus: & unaquæq; alia. In omni enim doctrina præcedere oportet, quòd eſt: ſequi autē propter quid eſt. Cùm enim quatuor ſint quæſtiones: An eſt: et Quid eſt: & Quale eſt: & Propter quid eſt: primū locum habet, An eſt. Meritò ergo, quoniā quæritur an ſit aliqua cōmunis definitio, uel potius, quod cum definitione cōuenientiā habeat: tradita prædicta definitione, quāobrem ſimul etiā quæſtionem, Quid eſt habemus, deinceps ergo reliquas duas quæſtiões quærit. Quomodo unaquæq; animalis facultas entelechia dicitur: et propter quid. Quoniā autē dicit, Ex obſcuris quidē, nobis autē apertioribus ſecundū rationē apertū & manifeſtum fieri: quæ autē ſunt, quæ nobis apertiora ſunt, nō addidit: hoc ipſum primū quærere neceſſe eſt. Magna enim de eo interpretibus fuit dubitatio, alio aliud apertū exiſtimāte eū dicere. Dicimus ergo nos, q; ſecundū tres modos, quod nobis eſt manifeſtius, cōſideratur. Quòd aliquid enim eſt, apertius & clarius nobis eſt, quàm propter quid eſt: & ad cognitionē primū eſt. Quòd enim animam habemus, & q; ipſa eſt immortalis, multis ad intelligentiā promptius eſt, & expeditius, quam rationē, quæ hæc cōfirmet, aſſequi, & adhibere. Secundū, ut in Phyſica dictū eſt, Vniuerſale & cōfuſum nobis eſt manifeſtius, quàm particulare etiā per mēbra magis expreſſum et articulatū, ut ſimpliciter ſcire quòd eſt corpus, magis quàm q; tale corpus, ut cœleſte, & terrenū, aut ſic uel ſic temperatū. Tertiū apertius nobis eſt, quod ut ad nos quidem primū, eſt autē natura poſterius. Simplicioribus enim, quæ ſunt natura prima, compoſitiora ſunt nobis notiora. Cùm ergo, quòd nobis eſt apertius, & manifeſtius ſit tripliciter: omnibus his primum inueniemus uſum Ariſtotelem. Quòd eſt enim, prius quàm propter quid, docuit. Quòd enim eſt entelechia corporis naturalis inſtrumētarij docuit: & q; entelechiā cōtingit eſſe & ut ſeparabilem, & ut inſeparabilem: Docebit autem progrediens & quomodo eſt entelechia, quid faciēs, & quomodo corpus perficiēs. Non ſicut autem una definitione, q; ſit anima, docuit: ita & quomodo eſt entelechia, una definitione docebit. Entelechia enim non eſt omnis ſimiliter: Sed aliter quidē uegetatiua: aliter autē ſenſitiua: aliter uerò rationalis: et earū uniuſcuiuſq; partes, alia aliter. Sed & à cōfuſis incipiens & cōmunioribus procedet ad ueriora, & ſpecialiora. Poſtquā enim confuſè nobis tradidit animæ notionē per traditā definitionē: deinceps de unaquaq; animæ parte articulatim & ſeparatim diſſeret. quomodo, & cuius eſt unaquæq; entelechia. & tertio à natura ultimis et nobis notioribus incipiens, ad ea procedet quæ natura prima ſunt, & pretioſiora. Quo maximè modo in his quoq; ſe ait adgredi. Eſt enim quod natura primū eſt, & quod poſterius, in eo, quod eſt, & propter quid. Viceuerſa autē ſe habet in nobis, & in natura. Natura enim prius eſt propter quid eſt, quàm q; eſt. Omniū enim quæ facit habet in ſe natura recōditas rationes. Nihil enim temere, nec caſu facit natura: ſed ad aliquē ſcopum unūquodq; ſuum opus dirigit. Si itaq; eorū, quæ à ſe fiunt, præexiſtētes habēs rationes in ſe natura ſic res naturales facit, clarum eſt, q; apud naturā prius eſt propter quid eſt, quàm q; eſt. Hoc autē, ut dicebā, Propter quid, confuſum eſt. Per id enim quod didicimus, animā eſſe entelechiā, nihil planū, nec articulatū audiuimus. Neq; enim ſimiliter omnis eſt anima entelechia. Sed neq; quomodo hoc ipſum eſt entelechia, quidnā faciens, & quomodo perficiens, ſatis notum eſt in eo q; eſt, & propter quid. & reliqui duo doctrinæ modi conuenerūt. Propterea ergo ab eo, quòd eſt, doctrinæ initium ſumpſit: quia noſtra natura ab imperfectis ad perfecta procedit, & à manifeſtis ad obſcura. Perfectius eſt ꝓpter quid eſt, quā quòd eſt: et apertiora ſunt, quæ naturæ ſunt poſteriora, & cōfuſa. Quēadmodū enim fieri nō poteſt, ut demonſtratiuū ſyllogiſmū cognoſcat, qui non quid ſimpliciter ſit ſyllogiſmus nouerit: neq; ut Oxyrrinchū piſcē pingat, q neſcit omnino pingere: Confuſum autem eſt hoc, nempe ſimpliciter ſyllogiſmus: Plures enim ſunt huius differētiæ: Similiter autē & ſimpliciter ſcribere. Eſt autē definitio et articulata unaquæq; forma. Similiter ergo & is qui nō ſimpliciter nouit quid eſt corpus, fieri nō poteſt ut cognoſcat quid eſt ignis corpus, uel aëris, uel cœli. & is qui nō ſimpliciter nouit, quid eſt anima, fieri non poteſt ut ſciat quid eſt rationalis, uel irrationalis, uel uegetatiua. Cōfuſum autē eſt ſimpliciter corpus, et ſimpliciter anima. Explicata aūt, et articulata eſt una quæq; forma. Sed et ab imperfectis exorſi, utpote ab ijs, quæ ſunt in generatione, ad cœleſtiū cognitionē procedimus, & eū, qui in ipſis eſt, ordinē: & illinc ad eū qui illa ordinauit. Cōprehenduntur autē, ut dixi, tres doctrinæ modi in proceſſu, qui eſt ab eo, Quod eſt, ad id, quod eſt, Propter quid. Similiter & in animalibus tractādis facultatibus eodē ordine utitur, ab imperfectioribus incipiēs & ultimis, & ad prima & perfectiora progrediens.

grediens. Prius enim diſſerit de uegetatiua. Deinde de ſenſitiua. & tertio de imaginatiua. Poſt hæc autē procedēs ad rationales animæ facultates, incipit primū à poſterioribus & imperfectioribus: primū de Opinatiua facultate diſſerens: deinde de Cogitatiua: & poſtremo de Mēte. Si quidē enim ut ad animal, natura uegetatiua prior eſt: Secū enim alias perimit: nō una autem perimitur. Secūda autē ſenſitiua: & deinceps reliquæ, ut enumerauerimus. Verū, ut ad uniuerſum, contra habent. Priora enim natura in uniuerſo ſunt perfectiora & pretioſiora: poſteriora autē etiā imperfectiora. Quæ enim ſunt imperfectiora à perfectioribus, & actiuis continentur. Ergo, ut ad uniuerſum, natura prius eſt Mens: & deinceps reliqua ſecundū eundē ordinē uiceuerſa procedentiū. Vt autē in animali, et ut ad noſtrā cognitionē, primū eſt Vegetatiua. Quare & in doctrina ab ea primū incepit. In animalibus ergo facultatibus eo doctrinæ ordine uſus eſt. Animæ autē facultatū unāquamq; partem proſequens, nō eo amplius doctrinæ modo uſus eſt. Nō enim ab ultimis incepit: ſed à primis & pretioſioribus. De uegetatiua enim diſſerens de Generatiua prius facultate diſſeruit. Deinde de Auctiua, & tertio de Nutritiua.. Atqui omnibus quidē melior & pretioſior eſt Generatiua. & Auctiua quàm Nutritiua eſt melior. Nutritiuæ enim opus eſt ſeruare ſpeciem. Tandiu enim ſeruamur, quamdiu nutrimur: Auctiuæ autē ad perfectā, et quæ ſecundū naturā eſt, menſurā deducere. Ad quā cùm peruenerint animalia & plantæ, ad eum, quē ſibi maximè natura proponit, finē accedūt, Generatiuā, ſcilicet, facultatē. Hic enim eſt perfectiſſimus naturæ ſcopus, propter æternitatis deſideriū immortalitate mortalibus animalibus ſucceſſione cōparata, ut ipſe alibi dixit. Quare Auctiua quidē materiæ rationē ad Generatiuā obtinet: ad Auctiuā autē Nutritiua. In Vegetatiuæ ergo animæ partibus à perfectioribus incepit, & præterea in ſenſitiuæ partibus. Primū enim dicit de uiſu: & ſecūdo de auditu: tertio de olfactu: et quarto de guſtu, & ultimo de tactu. Eſt autem omnibus nobilior & pretioſior uiſus: & qui ſunt deinceps, ijs, qui illos ſequūtur, ſecūdū eundē ordinē. Primū quidē, q. guſtus, & tactus ad hoc, ut ſint, cōferūt: auditus autē, et uiſus ad hoc ut bene ſint: per quos philoſophiæ quoq; genus acquiſiuimus, ut ait Plato. Quāobrē poeta quoq; hos ſolos ſoli attribuit: qui ex his etiā uiſum præpoſuit. Et uiſus quidē etiā ea quæ ſunt lōgiſſimè apprehendit, et operationē habet ſine tēpore: Guſtus autem & tactus ipſa ſenſilia attingit. Vnde & quæcunq; ex nobilioribus & pretioſioribus ſenſibus aliquos habent, oēs quoq; reliquos habēt omnino. Nō itidē autē & quæcunq; uiliores & ignobiliores, omnino & nobiliores. Quædā enim ſolū tactū habent, Vt Zoophyta ſeu plātanima. Cōtrahūtur enim & extenduntur, uel moleſtia affectu, uel diffuſa ad ea quæ prope ſunt. Sed ſunt, quæ præter cū, ſolūmodo guſtū habēt, ut oſtrea: Paſci enim cernūtur. Alia autē præter eos odoratū ſolū. Aiunt certe cōchylia quædā eſcas perſequi: ſicut hiatulæ, quæ odorē ſequūtur. Alia autē auditū ſine uiſu, ut quæ uocātur talpæ. At ſi quid eſt uiſus particeps, reliquos quoq; omnino habet. Cur ergo in alijs facultatibus ab ultimis & ignobilioribus incipiens, in partibus cōtra procedit, & à primis & pretioſioribus initiū ſumit? Qui autē exactius tractāt aiunt, q. primarū & perfectiorū animæ facultatum in Senſitiua & Vegetatiua manifeſtiora ſunt nobis effecta. Generatiuæ itaq; effectus apertior eſt, quàm Auctiuæ. & eius, magis quàm Nutritiuæ. Similiter, habet & in partibus ſenſitiuæ animæ. Apertior enim eſt uiſus auditu. & is olfactu. Iſq; guſtu. & ipſe tactu. Nō ergo oportebat à tactiua facultate incipere. Vt ipſe enim in ſequētibus dicit, omnino dubitatur an tactus ſenſus ſit. Videtur autē nō eſſe ſenſus. Aliorum enim ſenſuū uniuſcuiuſq; operatio circa unā aliquā ſenſiliū oppoſitionē uerſatur, eaq; quæ intercedunt. Vt uiſus circa nigrū quidē, & albū, eoſq;, qui intercedūt, colores. Auditus autē circa graue & acutū, & qui ſunt intermedij. Olfactus circa bene, & male olens. Guſtus circa dulce, & amarum, & quod inter illa eſt. Omnia enim ad horū oppoſitorū unum aliquod reducit Ariſtoteles, Dulce, inquā, & amarū. Tactus autē circa plures oppoſitiones uerſatur, quæ ſub ſe inuicē nō ſunt. Circa calidū enim et frigidū: humidū & ſiccū: durū & molle: graue & leue: rarū et denſum, quæ ſub ſe eſſe inter ſe inuicē nō poſſūt. Quare quoniā dubia eſt de ſenſu tactus tractatio: nō oportet autem à dubijs incipere: ab eo nō incepit. Quoniā ergo in uegetatiuæ et ſenſitiuæ animæ partibus, perfectiora, & natura prima, eſſe quoq; nobis manifeſtiora contingit: meritò ab ijs doctrinæ ſuæ initiū ſumit. In rationali quidē certe anima à poſterioribus initium cepit. Multis enim Imaginatio Opinione notior eſt. & ea magis cogitatione. atq; ea lōge eſt rurſus Mens obſcurior, quatenus & raro, & ad paucos eius operationes perueniunt. Poſtremo autē omniū quærit de eo, quod eſt ſecūdū locū, motiuo, quidnā hoc eſt. Vtrū alia eſt præter enumeratas animæ partes, uel eorū aliqua, aut oēs eius, qui ſecundū locū eſt, motus cauſæ ſunt. & uidētur oēs eſſe cauſæ eius, qui eſt ſecundū locū, motus. In hominibus enim ijs, qui ſecundū mentē uiuūt, eius mens cauſa eſt. Ipſa enim mouet animal. In irrationalibus autē ſenſus. Eſt autem reuera ab ijs omnibus aliud, quod ſecundū locū motiuum eſt. Nutritiua enim facultas eius, qui ſecundū locū fit, motus cauſa eſt. Hoc autē eſt differens. Eſt enim et in rationalibus facultatibus appetitus, eſt et in irrationalibus, ut in principio diximus.

Quoniam autem ex obſcuris quidem, apertioribus autem fit manifeſtum, & ſecundū rationem notius: ſic de ea rurſus percurrere tentandum eſt.

Propter breuitatē obſcurā dictionē reddidit. Vt ergo dictionū apertā ſententiā reddamus, huic, quod eſt, Obſcuris, addendū eſt, Naturæ: ei autē quod eſt, Apertioribus, addere oportet, nobis. Vt dictio ſic habeat. Quoniā autē ex obſcuris quidē naturæ, nobis autē apertioribus, fit manifeſtū, & ſecundū rationem cognitū. Eſt autē æquale naturæ manifeſtū fieri, & ſecundū doctrinā notius. Vt ſit totū quod dicitur tale. Quoniā autē ex obſcuris quidē naturæ, nobis autē apertioribus quàm, quæ naturæ, eſt manifeſtū: primū enim eſt nobis, quod eſt ſecundū doctrinā, notius: tētare oportet tanquā ab initio reuertentes eā, quæ eſt de anima, orationē tractare, à nobis apertis incipiētes, naturæ autem obſcurioribus. Sic enim inueniemus quidnam eſt anima. Quod naturæ quidē eſt apertū, nobis autē obſcurū. Propterea ergo rurſus incipiens à tractatu de anima, ab animato incipit, quod eſt nobis manifeſtū. & quærit quidnā differt ab inanimato, & hoc dicit eſſe animæ propriū. Quædā autem ſunt obſcura naturæ, quæ facit ſecūda, quædā aperta, quæ facit prima. Vt, natura primum facit elementa: Deinde ex eis ſuccos, qui chymi dicuntur: Deinde ex eis partes ſimilares: Deinde ex illis inſtrumentarias partes, & poſtremo ex ijs animal. Nos autem primū quidem animal cognoſcimus. Deinde quòd ex ſimilaribus componitur, & ſic uiceuerſa progredientes, uix tandem elementa, ex quibus conſtat animal, cognoſcimus.

Non ſolum enim oportet orationem definitiuā, q eſt, declarare, ut plurimæ definitiões dicūt: ſed & cauſam ineſſe, & manifeſtā eſſe.

Propterea, inquit, ueluti à principio eā, quæ eſt de anima, orationē rurſus aggredimur, q. prius quidē non ſatis de ea diſſeruimus, cùm q. eſt ſolū tradiderimus. Neq; enim oportet, eū qui alicuius ſubſtantiā uult exhibere, q. eſt ſolū in illius definitione tradere: ſed & cauſam propter quā hoc eſt. In data autē animæ definitione eſſe quidē entelechiā naturalis corporis inſtrumen-

tarij di

tarij dictum eſt: Sed nondum quomodo eſt entelechia, & propter quid. Neq; enim fieri poteſt, ut qui uniuerſalem animæ definitionẽ tradit, propter quid dicat: cum neq; unius ſpeciei ſint omnes animæ, neq; unius generis. Quare hinc incipiens à manifeſtis, quæ in unaquaq; animali facultate conſiderantur, ſic tradet propter quid unaquæq; entelechia eſt, & quomodo.

Nunc autem veluti cõcluſiones orationes definitionum ſunt.

In primo quoq; libro dictũ eſt, ꝙ definitionũ aliæ quidẽ à materia ſumũtur: aliæ uerò à forma: aliæ aũt ab utroq; ſimul. Vt à materia, ꝙ Ira eſt ebullitio ſanguinis, qui eſt circa cor. et, Domus eſt cõpoſitio lapidũ & lignorũ. À forma autẽ, Appetitus referẽdæ moleſtiæ. & Tegumentũ imbriũ et æſtuũ prohibitiuũ. Ab utroq; autẽ ſimul, Ebullitio ſanguinis, qui eſt circa cor, propter appetitũ referẽdæ moleſtiæ. & Tegumẽtũ imbriũ et æſtuum prohibitiuũ, ex tali cõpoſitione lapidũ & lignorũ. Harum definitionũ, & in uniuerſum omnis definitio, ut ipſe ait in demõſtratiuo, hæc quidẽ eſt demõſtrationis principiũ, quæ eſt ex forma: Cõcluſio autẽ ex materia. Demõſtratio autem ſitu differẽs, quæ ex utroq; ſimul eſt. Vt qui uult irã definire tali ſyllogiſmo. Qui iraſcitur, uult ei uiciſſim moleſtiã referre, quẽ præſtituit. Eius autẽ, qui moleſtiam uiciſſim referre cupit, ebullit ſanguis circa cor. Deinde cõcluſio. Eius ergo qui iraſcitur ebullit ſanguis, qui eſt circa cor. Huius ergo ſyllogiſmi & demõſtrationis, quæ ex materia quidẽ eſt iræ definitio, cõcluſio eſt: Quæ autem ex forma, principiũ. Eſt enim prima propoſitio quæ dicit, Qui iraſcitur, moleſtiã referre cupit. Quæ autem ex utroq; ſimul eſt definitio, ſyllogiſmus eſt, ſiue demõſtratio, quæ ſolo ſitu differt. Nã in ſyllogiſmo prima quidẽ eſt propoſitio, quæ dicit. Qui iraſcitur moleſtiã referre cupit. Secũda. Eius autẽ, qui iraſcitur, ebullit ſanguis circa cor. At in definitiõe, quæ fit ex utroque ſimul, uiceuerſa incipimus. Ebullitio enim, dicimus, ſanguinis qui eſt circa cor. Deinde propter appetitum referẽdæ moleſtiæ. Dicit ergo oportere tales definitiones tradi, quæ cauſam quoq; habeãt, propter quã res eſt talis. Ex traditis enim definitionibus multæ ſunt ſyllogiſmorũ cõcluſionibus ſimiles: ut quæ in ſe cauſam nõ habeant, propter quã ſic habent. Quæ quidem cauſa proportionẽ et cõuenientiã habet cũ medio termino, qui eſt in ſyllogiſmo: hoc eſt, ex ſola materia aſſignatur. Hic eſt ergo ſenſus eorũ, quæ dicta ſunt. Dictionẽ autẽ Alexãder ſic coordinat. Nunc autẽ ueluti cõcluſiones orationes, id eſt definitiones τῶν ὅρων, terminorũ, pro eo quod eſt, ſyllogiſmorũ. Terminos autẽ uocauit ſyllogiſmos, eo ꝙ ex terminis ſyllogiſmi & aliter. Quẽadmodũ cõcluſiones orationũ, id eſt ſyllogiſmorũ, ὅροι id eſt definitiones ſunt (ὅρος enim & terminũ & definitionem ſignificat) ut caſuum fiat permutatio. Simplicius autẽ, & appoſitius attici interpretes dicunt, orationes definitionũ, id eſt enuntiatiuæ orationes, per quas rerum definitiones tradimus. Concluſiones autem ſunt, ſyllogiſmorum ſcilicet. Concluſiones enim ſyllogiſmorum ſunt concluſiones.

Vt quid eſt quadratio, æquale altera parte longiori rectangulũ eſſe æqui laterum. Talis autem definio eſt concluſionis oratio. Qui uerò dicit quadrationem eſſe medij inuentio-
13 nem, is rei cauſam dicit. Dicamus ergo accepto rei conſiderationis initio animatum ab inanimato eſſe diſcretum, & diſtinctũ per hoc, quòd viuit.

Cùm dixiſſet oportere perfectã definitionẽ nõ ſolum ꝙ eſt, ſed cauſam etiã docere: & ꝙ plurimæ definitiones ſolũ ꝙ eſt, docẽt: Hoc enim eſt illud, Veluti cõcluſiones ſunt: eorũ, quæ dicta ſunt, exẽpla ꝑ hæc ponit, quenã definitio demõſtratiõis ſit principiũ, & quenã cõcluſio. Quadrationẽ enim, inquit, ſi quis ſic definierit, æquale altera parte lõgiori rectangulũ facere æquilaterũ: eiuſmodi, inquit, definitio cõcluſionis eſt oratio. À materia enim accepta eſt. Si quis autẽ ſic definierit, Quadratio eſt medij inuentio, demõſtrationis principiũ eſt talis definitio. Formã enim & cauſam dixit. Si quis autẽ ſic definierit: æquale altera parte lõgiori rectangulũ facere per inuentionẽ medij: ex utroq; ſimul definierit. Et eſt eiuſmodi definitio demonſtratio collocatiõe differẽs. Sic enim quiſpiã ſyllogiſmo collegerit. Qui quadrare uult, mediũ ꝓportione cõuenientẽ quærit. Medij inuenta æquale altera parte longiori æquilaterũ, & rectangulũ facit. Clarũ eſt autẽ, ꝙ altera parte lõgioris quadrationem dicit. Eſt aũt quadrangulũ & æquilaterũ & rectangulũ, id eſt, ſpatiũ quod & latera habet quatuor æqualia, & angulos rectos. Altera parte lõgius rectangulũ quidẽ eſt, at nõ æquilaterum. Qui ergo altera parte lõgius quadrare uolũt, mediũ ꝓportione cõueniẽs quærũt. Vt aliquod eſt ſpatiũ altera parte lõgius, habẽs ex lateribus alterũ octo cubitorũ: alterũ uerò duorũ. Clarũ eſt ꝙ totũ eſt ſedecim cubitorũ Omne enim quadrilaterum metimur, latere ad latus multiplicato. Si ergo uelimus huic altera parte lõgiori ſpatio æquale quadrangulũ facere, ut ſit ſedecim cubitorũ, quantũ erat & altera parte longius: debemus quatuor altera parte lõgioris laterũ mediũ ꝓportione conueniens inuenire, ut eandẽ habeat rationem ad maius latus quod erat octo cubitorũ, quã rationẽ ad ipſum, mediũ dico, duorum cubitorũ altera parte lõgioris habet latus. Fuerit autẽ eiuſmodi quatuor laterũ. Quã rationem enim habẽt quatuor ad octo, eandẽ rationẽ habent duo ad quatuor. Eſt enim utrunq; dimidiũ maioris. Hoc enim eſt mediũ proportione cõueniens. Ex eo ergo deſcribetur quadrangulũ ſpatiũ 16 cubitorũ, quantũ erat & altera parte lõgius. Et ſic in omni altera parte lõgiori facere oportet uolẽtibus ei æquale quadrangulũ deſcribere. Rurſus enim ſi ſit altera parte lõgius, habens unũ latus 16 cubitorum: alterũ autẽ quatuor. circũſcribit ſcilicet ſpatiũ 64 cubitorũ. Hoc ſi uelis æquale quadrangulũ facere: quærendũ eſt medium proportione cõueniens. Ipſum eſt autẽ 8. octies enim octo 64. Sicut enim 16 cubitorũ latus altera parte longioris eſt duplũ inuenti oct. cubitalis: Sic & ipſum duplũ eſt reliqui lateris altera parte longioris, quod eſt 4 cubitorũ. Medij autẽ inuentionem Alexãder quidẽ oſtenſam eſſe dicit in ſecũdo libro Euclidis. hoc autẽ nõ ita eſt. Nihil enim eiuſmodi oſtẽſum eſt. Sed illic quidẽ monſtratũ eſt, duobus datis rectis medium proportione conueniens inuenire. et, quòd ſi tria recta proportione conuenientia fuerint, quod eſt ſub extremis æquale eſt ei quod eſt ſub medio. Dicimus ergo accepto conſiderationis principio diſcretũ & diſtinctum eſſe animatũ ab animato, per hoc, ꝙ uiuit. Vt ſæpe dictũ eſt, ex naturæ poſterioribus, & nobis apertioribus, docet de primis & obſcurioribus. Id enim uolẽs accipere, quòd animæ formã & figurã tribuit, quærit quid eſt quod animato formã & figurã præbeat: quod quidem eſt anima naturæ poſterius. Quòd enim ſit animæ particeps, animatũ dicitur, & ab ea denominationẽ accepit, Quod autẽ eſt ab aliquo, ſecundũ ab illo, ex quo eſt, dicitur. Si ergo animatum ab inanimato, quòd ſit animæ particeps, differt: differt autem & quòd uiuit: uidetur uita eſſe, quæ figuram, & formam animæ tribuit.

Cùm autem viuere multis motis dicatur: ſi vel vnum aliquod horũ ſolum inſit, ipſum viuere dicimus. Vt mens: ſenſus: motus, & ſtatus qui eſt ſecundũ locum: Præterea motus, qui eſt ſecundũ nutrimentũ, & diminutionẽ,
& auctionem. Quare & omnia, quæ plantan- 14
tur & ſponte creſcunt, videntur viuere. Cer-

nuntur enim in ſeipſis habere facultatem, & principium eiuſmodi, per quod incrementū, & diminutionem accipiūt, per cōtrarios modos. Non enim ſuperius quidem augētur: inferius autem non: ſed ad vtrunq; ſimiliter: & undiq; nutriuntur, & perpetuo viuunt, quam diu poſsint alimentum accipere.

*Cum animæ ſecundū uitā figurā & characterē dediſſet: diuidit animā in diuerſa ſignificata. Cùm enim, inquit, uiuere multis modis dicatur, id eſt, cùm multæ ſint animales facultates, per quas uiuere ijs ineſt quæ earū partē habēt: et q̄a hoc dicit, ſubiungit, Vt mens: ſenſus: & reliqua: & ꝙ ſecundū unūquodque horū uita eſt probans, inquit, Quòd ſi unū aliquod horū alicui inſit: uiuere dicitur, quod eſt eius particeps. Vnde & plantæ, quæ nutritiuā habēt facultatē, uiuūt, licet nullā ex alijs habeāt: neq; ſenſitiuā: nec ſecundū locū motiuā: neq; ullam earū, quæ ſuperius dictæ ſunt. Sequitur autē nutritiua, & auctiua. Vt enim ad perfectā formā ueniatur, nutrimentū eſt. Augentur autem quæ nutriūtur, quādiu nō fuerit potētior diminutio. Tūc enim nutrimentū in quocunq; eſt, formā tantū ſeruat. Illud autē, Per cōtrarios modos, pro eo quod eſt, Vndiquaq;. Vt ipſe enim in libro de generatione dixit, Ea nutriri & augeri dicūtur, quæ per omnes ſuas partes nutriuntur, & augētur. Quæ enim per additionē augeri uidētur, nō per oēs ſuas partes augētur. Quare neque in eis auctio, ſed additio dicitur. Si enim ad frumenti cumulū aliud frumentū addidero, nō per uniuerſas partes cumuli fit additio: ſed in una, quatenus & additio facta eſt. Corpus autem totū per totū augebitur. Sic & plātæ ſeipſas in uniuerſum augebunt, & in inferioribus partibus, & ſuperioribus. Radices enim in ꝓfundū augētur: & à dextris & ſiniſtris: in latū enim utrinq; creſcunt: ſed & ante, et retro: æquale enim id, quod eſt ſecundū profundū, incremētū accipiunt. Quare ſi & hæc uiuere dicūtur, cùm ſolā nutritiuā facultatem habeant: unaquæq; ergo animalium facultatum uita eſſe uidetur.*

5 Vt hoc autem ab alijs quidē ſeparetur fieri poteſt: vt alia autem ab hoc, fieri nō poteſt in mortalibus. Manifeſtum autem in plantis, & ijs, quæ ſponte creſcunt. Nulla eſt enim eis facultas alia ab anima.

*Quòd unaquæq; animalis facultas uita quidē eſt, & ea uiuere facit, quæ eius partē nacta ſunt, iam dixi. Clarū enim eſt, q̄ & ea, quæ ſenſum ſortita ſunt, ſecundū hoc ipſum uiuūt: uel potius expreſsiorē, & certiorē uitam habēt. Similiter, & quæ mentē habent, ſecundū hoc ipſum uiuūt. Sed & ſi unaquæq; harū facultatum uita eſt: ſed tamē nutritiua, inquit, etiā ſine his eſſe poteſt, cùm ſit omnium ultima: illæ autem ſine hac eſſe non poſſunt. Et pulchre addidit, In mortalibus. In diuinis enim nutritiua eſt inutilis: cùm illic non ſit auctio, neq; diminutio. In mortalibus autem, propter hoc ipſum, quòd ſunt mortalia, fieri non poteſt ut ſit præſtantior animalis facultas, ſi nō ſit inferior: et etiā propter ſæpius dictas à me cauſas. Quoniā enim mortale eſt, et affluxu indiget, quoniā & defluit: nutritiua omnino facultate opus eſt, quæ pro eo quod effluxit, in corpore reficiat, & reſarciat, ut ſeruetur ſpecies. Et ideo ſine nutritiua facultate nihil eſt animatū. Rationalia quidē & irā, et cupiditatē habēt, ut & ea, quæ animal conſeruent, admittant, &, quæ incommodū afferre poſsint, excludāt. In plantis autē, et ijs, quæ ſpōte creſcūt, apertū eſt, ꝙ nutritiua facultas ab alijs ſeparatur. Plantæ enim & arbores hāc quidē habent: ex alijs autem nullam. Neq; enim ſenſitiuam, neq; appetitiuā, neq; ullam ſuperiorū multo magis.*

16 Viuere itaque per hoc principium omnibus, quæ viuunt, ineſt.

*Cū ſupius dixiſſet, ꝙ ſi uel unū horū ineſt, uiuere dicitur: nūc dicit, ꝙ à nutritiua facultate ineſt uiuere. Si ergo dicit, ꝙ ubi ex alijs fuerit aliqua, & hāc eſſe neceſſe eſt: et ſi ſola fuerit ſtatim & quæ eius partē aſſecuta ſunt, uiuere dicuntur: ad hæc autē, ſi uiuere eſt, ut ipſe paulo ante definijt, per ſeipſum nutriri & augeri: nutriri autē & augeri eſt à nutritiua: meritò ergo uiuere ab ea eſt. Nā & ſi unaquæq; animalis facultas uita eſt: mortalia quidē certe abſq; nutritiua eſſe nō poſſunt. Sed eorū quidē uita maximè ſecundū hāc formā habet. Nā quoniā fluxa eſt eorū natura: abſq; eo, quòd loco eius, quod effluxit, aliquid aggreget, & apponat, eſſe nō poteſt. Hoc autem facit nutritiua. Iure ergo dixit, animatis per hanc eſſe uiuere.*

Animal autem per ſenſum primum. Quæ enim non mouentur, neq; locum mutant, ſed ſenſum habent, animalia dicimus: & non ſolū
viuere. Senſuum autem omnium primum o- 17
mnibus ineſt tactus.

*Quemadmodum, quæ uiuūt, ſecundum nutritiuā facultatem figurantur: ſic & animalia ſecundum ſenſitiuam facultatē formam habent. Quamobrem, quæ eam ſolā habent, etiā ſi nullam aliarū ſuperiorū habeāt, animalia dicūtur. Senſus aūt primum habere dicit, quæ tactū habent. Quare ſi uel eū ſolū aliquid habeat, nō ſolùm dicitur uiuere, ſed et animal eſſe: eo q̄ à ſenſu animal formā habet: cuiuſmodi ſunt, quæ Zoophyta ſeu Plātanima appellantur, ut ſpongiæ. Hæ enim ſolius ſunt tactus participes. quæ plantanima appellata ſunt, ꝙ animal quidē ſint, ex hoc ꝙ ſenſum habeāt: id autē quod eſt plantarū habēt, ꝙ locum ex loco nō mutant. Vel potius etiā ſecundū hoc, aliquid, quod eſt animaliū, habēt: neq; id omnino, quod eſt plantarū, habēt. Per partes enim loca mutant, dū cōtrahuntur, & extēduntur. Si autē ex ſenſu formā dat animalibus: in diuinis autē ſenſus nō eſt: ſenſum autem dico eū, qui eſt ſecundū illos noſtros quinq;: uidetur ergo dicere ea nō eſſe animalia, ut cœleſtia. Sed dico, ꝙ de mortalibus ſermo eſt: in illis autē etſi nō ſunt hi ſenſus, ſunt meliores ſcilicet: ſed & diuiniores. Dubitauerit autē quiſpiā, cùm animal græcè ζῶον, ἀπὸ τοῦ ζῆν, quod uiuere ſignificat, dicitur: uiuūt autē & plātæ: cur nō illas quoq; animalia dicimus. Ipſe autē hoc ipſum poſtea ſoluēs dicit, quòd ſicut curſores dicimus nō eos, qui utcunq; ſunt curſus participes: ſed q acrius, & apertius currūt: Sic & animalia dicūtur, in quibus uitæ forma apertior eſt, & illuſtrior. Eſt autē uita ſenſuū apertior q̄ nutritiua.*

Sicut autem, quod eſt nutritiuum, ſeparari poteſt à tactu, & omni ſenſu: ſic & tactus ab alijs ſenſibus. Nutritiuā veró dicimus talem animæ partem, cuius ſunt plantæ quoq; participes. Porrò omnia animalia cernuntur tactiuum ſenſum habere.

*Sicut autē, pro eo, quod eſt, Sicut enim. Eſt enim rationis ſeu cauſæ redditiuū. Cùm enim dixiſſet primū eſſe ſenſuū tactū: hoc per hæc cōfirmat. Sicut enim, quæ alias animæ facultates habēt, multo prius nutritiuā habēt: nō neceſſe autē eſt, ut, quæ nutritiuā habēt, aliquā aliā habeāt. ſed & per ſe cōſideratur, ut in plātis: ſic et quæ aliquē aliū ſenſum habēt, tactū quoq; habeant omnino neceſſe eſt: ſed nō uiceuerſa. Multa enim ſenſum habent, quæ nullū habēt aliū, ut ſpōgiæ, & oſtrea, & quæ cochleæ dicūtur, et omnino cōchylia. Quare ſi natura prius eſt, quod una cū alio infertur, & peremptū ſimul perimit, ex ſenſibus prior eſt tactus. Pōt uerò et illud, Sicut aūt, et ab alio principio dictū eē.*

16 Propter quam autem cauſam vtrunq; horum accidit, poſtea dicemus de vtraq; horum.

Quare

Quare nutritiua facultas ab alijs ſeparatur animæ facultatibus, et nutritiua ab alys ſenſibus. Dicet enim in ſequētibus cauſam, quā iam dixi: q. cùm fluxũ ſit corpus, neceſſe eſt in his, quæ uiuunt, propter formæ ſalutē nutritiuã facultatem habere. Propterea & tactus ab alijs eſt ſeparabilis, et eſt cũ alys omnibus, q. ad ea diſcernenda, quæ animali cõueniunt, & ei ſalutē afferunt, quæq; aliena ſunt, & corrũpunt, ſenſus exiſtit. Sunt autē ex ſenſilibus ea nobis conuenıētiſſima, ex quibus cõſtamus. Hæc autē ſunt: ſiccũ: humidũ: calidũ, & frigidũ. Hæc autē tactus aſſumit. Meritò ergo ſenſuum primus eſt, & maximè uniuerſalis tactus: & ſine hoc nullus alius eſſe poteſt.

Nunc autē eouſq; dictum ſit, quòd anima eorũ, quæ dicta ſunt, eſt pricipiũ: et his definita eſt: nutritiuo: ſenſitiuo: cogitatiuo: motu.

Qui omnē animã immortalem eſſe nolũt, nutritiuã facultatem, & auctiuã, & ſimiles, dicũt eſſe animæ operationes, quas dicũt Ariſtotelem inſeparabiles eſſe dicere: ipſam quidē certe animã, & facultates, à quibus operationes ipſæ procedunt, eas eſſe ſeparabiles. Animã itaq; cauſam eſſe, & principiũ harum operationũ eũ dicere aiunt: nutritiuæ: & ſenſitiuæ: & aliarũ. Quòd aũt nõ hoc putat Ariſtoteles ſæpe dictũ eſt. Appoſitius autē & uerius Alexãder exponit, principiũ & cauſam dicens eſſe animam, ut nutriatur, ut augeatur, ut ſentiat. Quæ ſunt re uera operationes animæ. Quòd autē nõ nutritiuæ, & ſenſitiuæ facultatis principium eſſe dicit animam, declarauit ex ijs quæ ſubiunxit, quòd eis definita eſt: nutritiuo: ſenſitiuo: & reliquis: pro eo quod eſt, in his circumſcripta eſt anima: & in his anima eſſe habet. In omnibus autem, & poſtremam ſubiecit uim motiuã, quòd in omnibus, quæ dicta ſunt, uidetur motus, etiam in cogitatiua facultate, à quæſtione ad inuētionem, & à propoſitione ad concluſiones.

Vtrum autem eorũ unumquodq; eſt anima, uel pars animæ, ita vt ſit ſeparabile ratione ſolùm, an & loco? De nõnullis quidē non eſt videre difficile:

Quod in primo quoq; libro dubitauit, id quoq; nũc dubitat. Nũqd ſecũdũ corporeas partes loco diuiſæ ſunt animæ facultates, ut uiſus eſt dicere Timæus, cũ diceret in corde qdē eſſe uim animoſam ſeu raſcibilē: in iecore deſideratiuã in cerebro ſenſitiuam: Vel nõ loco, neq; ſecũdũ partes corporis: ſed ratione tantũ, id eſt ſubſtãtia, ſunt à ſe inuicē aliæ. Alia eſt enim, ſcilicet, uniuſcuiuſq; facultatis definitio. Hoc autē eodē modo ſoluitur, quo & à principio ex plantis, e[illegible] inſectis. In nõnullis enim, inquit, animæ facultatibus nõ eſt difficile uidere, eas loco ſeparatas nõ eſſe. In diuiſis enim plãtis in unoquoq; ramo inuenies nutritiuã, & auctiuã, & generatiuã facultatē. Quare, quæ in plãtis anima eſt, actu quidē una eſt: potētia autē multæ. Diuiſa enim plãta, in uno quoq; diuiſorũ perfecta uegetatiuæ animæ forma cernitur. Ante diuiſionē itaq; numero prius una erat: Poſt diuiſionē aũt numero quidē plures factæ ſunt: una autē ſpecie, Eſt enim in plãtis per totũ, & in unoquoq; ramorũ, cũ ſemine cõuenientiã, & proportionē habēs Enterione, quod eſt cor ligni: in quo indiuiſibiliter anima habet ſuũ eſſe. Vnde & quoniã ipſa eſt indiuiſibilis, in diuiſo ramo oẽs eius facultates inueniũtur. Similiter habet et in inſectis. Si ea enim diuidãtur, unũquodq; diuiſorũ ſenſitiuã, & motiuã facultatē habere cernitur. Si autē loco diuiſæ eſſent animæ facultates: oportebat ſenſitiuã quidē facultatē in hac eſſe parte: in alia uerò motiuã. Magis autem gratia exēpli in plãtis aſſumptũ eſt. Eſt enim ei ppoſitũ, ut oſtēdat aliquas animæ facultates eſſe loco indiuiſibiles: Plãtæ autem unã habent animalē facultatē. Propter generatiuam enim auctiua opus eſt: propter eã autem nutritiua. Dicit ergo quòd ſicut in diuiſis plãtis, in unaquaq; parte animalis facultas cernitur: ſic & in inſectis, quæ plures habēt animales facultates, in unoquoq; diuiſorũ oẽs inueniuntur. In tactiua itaq; facultate, & ea, quæ ſecundũ locũ motiua eſt, ei procedet oratio. Sed in reliquis, uiſiua, auditiua, guſtatiua, olfactiua, fortaſſe autē et in deſideratiua, & animoſa, nõ itidē oſtendere poteſt eas loco nõ eſſe ſeparatas. Sunt enim per partes corporis à ſe inuicem aperte diuiſæ: niſi quis hoc forte dixerit eas à ſe inuicē eſſe inſeparabiles, eo quod oẽs à cerebro procedũt. Vnde & ſi aliquo modo fuerit affectũ & aliquid paſſum cerebrũ, ſenſus expers penitus, & immobile fit animal. Feſtuca enim cerebro ſuperpoſita, omnis ſenſus & motus operatiõis expers manet. Ex hoc autem etiã apertius hoc mõſtratur. Si enim nerui fuerit obturatio ſeu oppilatio: uel ſi ſectus aut alligatus neruus fuerit: ſuperior quidē pars corporis ſentit, & mouetur: inferior autē erit immobilis, & ſenſus expers. Quare à cerebro omnes ſenſitiuæ facultates procedunt. Quoniam autem inſtrumentis opus habent: & non ijſdem inſtrumentis, cùm ſint diuerſæ facultates: unaquæq; in proprio inſtrumento cernitur. Sic ergo dubitationem quiſpiam forte leniuerit. Sed non uidetur uelle Ariſtoteles eas ſic eſſe indiuiſibiles, ut in aliqua parte omnes ſint: ab illa autem ad reliquum corpus ueniant: ſed ut in toto corpore ſint indiuiſibiliter. Sed dicunt, quòd in ſpiritu eas uult eſſe ſitas. Totũ enim per totũ illum & uidere, & audire, & reliquis uti ſenſibus: & ſic in eo eſſe ſenſus omnes, ut in plantis plantales ſeu uegetatiuas facultates: & in inſectis tactum, & eum motum, qui ſecundũ locũ eſt. Neq; enim inſtrumentis præditũ eſſe ſpiritũ: ſed ſicut in dolio concreta & denſata aqua, uel quid eiuſmodi, eandem figurã, quam & uas accipit: ſic & ſpiritum ex mala in hoc corpore uictus ratione, ab eis, qui ex illa ſunt, uaporibus denſari: et hinc uideri, quæ ſunt in ſepulchris, phantaſmata ſeu ſpectra, ſicut & hoc corpus eſt, ita figurata: eo autē, quod facile fingi põt, in alias quoq; mutari figuras, una cũ imaginatiõe effictum. Et ideo ad efficiendos tenues, qui in eo ſunt, uapores paulo ſtudioſiores & purgationibus uti dicũt: & tenuis uictus rationis curã agere: & à multis cibis abſtinere, qui illum craſſiorem efficiunt. Ipſum enim à uaporibus quoq; nutriri Sed ego ad hoc dixerim, quòd ſi inſtrumentis non ſit præditus ſpiritus: nõ ſubijcietur definitioni, quæ in eo eſt, anima. Cùm enim dixit animã eſſe entelechiam inſtrumentarij corporis: ſic enim eam à formis inanimatis ſecreuit: earũ enim forma eſt entelechia: & nõ inſtrumentarũ corpus, lapis, & ſimilia Si ergo. quæ in ſpiritu anima eſt, definitioni ſubijcitur: inſtrumētis eſſe præditum ſpiritũ neſſe eſt. Si autē inſtrumētis eſt præditus neceſſe eſt & cum inſtrumētis diuiſas eſſe animæ partes. Clarum eſt enim q. unaquæq; animæ facultas in unoquoq; inſtrumēto locata ſic operatur. Nõ enim in aliquo alio locata eſt In ſpiritu enim primo. Si ergo uiſus, uerbi gratia, propriũ habens inſtrumentũ, nõ in eo ſolũ inſtrumēto operatur: ſed & in reliquis quoq; partibus ſpiritus: ſuperuacaneũ, & fruſtra fuerit inſtrumētũ. Si autem in ipſo ſolo operatur, & in ipſo ſolo locatus eſt: cur in alia quidē parte ſpiritus eſſe habet uiſus, in alio autē operatur, ſi quis forte hoc quoq; fictitiè poſuerit, etiam in illo in una parte oẽs ineſſe, ſed ab illa ad reliquas uenire. Vnde enim hoc ſic habere mõſtrauerit? Quod autē in uiſu dictũ eſt, hoc, uidelicet, in reliquis quoq; ſenſibus uerũ erit. Si hoc autē uerum eſt: neceſſe eſt ſecundũ corporis partes animam quoq; eſſe diuiſam. Si itaq; inſtrumentis eſt præditus: ſequetur, quod dixi, ſecundũ partes diuiſam eſſe animam. Si autem non eſt inſtrumentis præditus, animam irrationalem non cõprehendet definitio: ſed ſolam uegetatiuã, & rationalem. In ſpiritu enim habet irrationalis eſſe ſuum: niſi quis hoc dixerit, quòd in hoc corpore agentem definijt animam. Nam neq; cæleſtium animas complectitur definitio. Neq;

*tio. Neque enim illa ſunt inſtrumentis prædita.*

20 Nonnulla autem habent dubitationẽ.|Sicut enim in plantis, nõnulla cũ diuidũtur, viuere cernuntur, à ſe inuicem ſeparata: perinde ac ſit, quæ in eis eſt, anima, Entelechia quidẽ vnius in unaquaq; planta, multarũ autem potentia: ſic et circa alias animæ differentias euenire videmus in ijs inſectis, quæ ſecãtur. Senſum enim vtraq; pars habet, & motum ſecundum locum.

*Niſi etiam loco ſeparatus eſt. De mente autem dicet, ut dicet deinceps.*

Si autem ſenſum, & imaginationẽ quoq;, & appetitum. Vbi enim ſenſus, & moleſtia, et voluptas conſequitur. Vbi autem hæc, neceſſariò & cupiditas.

*Cùm oſtẽdiſſet uim ſenſitiuã, & ſecundũ locũ motiuam, eſſe inter ſe inuicẽ loco inſeparabiles: ex his uult colligere, q; appetitiua, & imaginatiua facultas, ſunt & ipſæ quoq; inſeparabiles. Et de ui quidẽ appetitiua ratiocinatione colligit: ſed de imaginatiua nõ itidem. Nõ enim ei uidetur, quod ſenſum habet, ſtatim quoq; imaginationẽ habere. Quòd enim formicæ, et muſcæ, et multa huiuſmodi imaginationẽ habeant, clarũ eſt. Quas enim ſubeant, cauernulas ſuas norũt. Vermes autẽ, ut deinceps dicet, nõ uidentur imaginationẽ habere. Motibus enim cernũtur erraticis moueri. Quare uel imaginatiuã facultatem nõ habent: uel etiã ſi habent, obſcuriſſimã habẽt, & maxime imbecillã, & talem, ut ne eſſe quidẽ uideatur. Quòd uerò id, qđ ſenſum habet, ſtatim quoq; appetitum habeat, hinc id demõſtrat. Quæ enim ſenſum habent, iucundi & moleſti apprehenſionẽ habẽt. Quo id enim maximè diſcerni poſſit, ſenſus eſt: & aliorũ maximè tactus. Quod hæc autẽ apprehendit, fugit quidẽ, quod moleſtum eſt: admittit autẽ, quod dulce. Cernuntur enim cochleæ, & ſi tactiuæ facultatis ſolim ſint participes, allata quidẽ aqua extra ſuas teſtas progrediẽtes, & ſe implentes: duro autẽ aliquo uel aſpero ab eis tacto, ſe cõtrahẽtes. Ac ſpõgiæ ſimiliter, ſi moleſtũ aliquid attigerint, cõtrahũtur. Quod autẽ iucundũ eſt, admittere, et fugere quod moleſtũ, cupiditatis eſt et appetitus. Ea autẽ imaginationem habere non eſt rationi conſentaneum.*

21 De mente autem, & contemplatiua facultate, nondum eſt manifeſtum.

*Cùm dixiſſet non difficile eſſe uidere, quòd nonnullæ animæ partes ſunt inter ſe inuicẽ loco inſeparabiles: & oſtendiſſet, q; uis ſenſitiua, & ſecũdũ locũ motiua ſunt apertè inuicẽ loco inſeparabiles: deinde & ex his de appetitiua quoq; facultate collegiſſet: quoniã mens pars eſſe uidetur eius, quæ cõmunius anima dicitur, propterea, inquit, q; ex ijs, quæ dicta ſunt, nihil apertum dicere poſſumus de mẽte, quòd & ipſa ab alijs facultatibus ſit loco ſeparabilis. Non enim, ſicut de appetitu raciocinatione collegimus, ſic & de mente ex ijs, quæ dicta ſunt, poteſt colligi. Deinde quoniam ei uidetur mens eſſe ſeparabilis: hoc ipſum ſubiunxit. Idem autem dicit mentẽ, & eius cõtemplatiuam facultatem. Mentis enim alia quidem eſt cõtemplatiua facultas: alia uerò actiua. Actiua autem fit ab habitudine, quæ eſt illi ad corpus. Quare, poſtquam à corpore diſſoluta fuerit, ſola eſt contemplatiua: non amplius autem & actiua. Ipſe autem in ſequentibus dicit mentem contemplatiuam ab actiua ſolo fine differre, cùm ſubiecto non differant: ſicut neq; ſemen, & fructus. Contemplatiuæ enim facultati finis eſt ueritatis apprehenſio: Actiuæ autem boni. Quia ergo ſola mens contemplatiua eſt ſeparabilis: ꝓpterea addidit, Et eius cõtẽplatiua facultas.*

Sed videtur aliud eſſe genus animæ: & hoc ſolum contingit ſeparari, ſicut æternum à corruptibili.

*Per hoc rurſus aperte alius quoq; ſubſtantiæ eſſe mentem, & à corpore eſſe ſeparabilem, & immortalem pronuntiauit. Per hoc autem, quòd dixit aliud genus animæ eſſe mentẽ, oſtendit eſſe æquiuocum nomen animæ. Deinde quia ſola mens ſeparabilem habet ſubſtantiam, reliqua autem omnis anima inſeparabilem, ſubiunxit hoc. & hoc ſolum cõtingit ſeparari. Deinde quoniam æquiuocũ eſt Separari. Dicuntur enim accidentia nonnulla eſſe ſeparabilia, quæ & à ſubiecto ſimul ſeparantur, & corrumpuntur: propterea etiam ſubiunxit, quæ ſit ſeparationis ſpecies. Sicut enim, inquit, æternum à corruptibili. Sic enim, inquit, mens eſt à corporibus ſeparabilis, & alijs animæ facultatibus, ut eſt ſeparabile à corruptibili æternum. Quare corruptibiles quidem aliæ ſunt animæ partes, hæc autẽ ſola eſt æterna, Mens. Illud autem, Videtur, non dubitans dicit, ut exiſtimauit Alexander: ſed uel quòd nondum ei de mente dicere propoſitum eſt: uel quod magis eſt, pro eo quod eſt, Apparet, uel cernitur. Non enim illud, Videtur, omnino dubitationem ſignificat. Cùm enim dicit Porphyrius, Videtur neq; genus, neq; ſpecies ſimpliciter dici, non utique dubitans dicit. Statim ergo ſubiungit diuerſa eorum ſignificata. Multas autem ex hoc ſelectas ſententias quiſpiam addere poſſet: ſufficiũt autem &, quæ dicta ſunt, ad oſtendendam eius de mente ſententiam. Qualem enim partem, inquit, uel quomodo mens continebit, uel fingere eſt difficile. ſufficiunt autem &, quas in proœmio adiecimus. Quomodo autem uel ſuſpicetur quiſpiam eum non de noſtra mente, ſed de diuina hæc diceret? Non enim de diuina mente dixit. Neq; enim de diuina mente illud dixiſſet, Nondum eſt manifeſtum, &, Quòd ſeparari contingit. Vel quomodo omnino partem eſſe eius, quæ communiter anima dicitur, diuinam mentem dixit? maximè cùm ſit propoſitum de noſtra anima, & ea quæ eſt communiter in mortalibus animalibus. Manifeſtum eſt ergo, quòd & mentem non aliam eſſe mentem dicit, quàm noſtram. Fertur & alia ſcriptura qua Alexãder quoque uſus eſt, Sed uidetur animæ aliud eſſe genus hoc ſolum cõtingere. Quod ſi ita ſit, ſignificatur nihilominus ſeparabile. Si enim, cùm aliæ animæ partes ſint inſeparabiles, hoc animæ genus ab illis aliud eſt: hoc fuerit omnino ſeparabile. Et illud, Contingit ſeparari, pro eo quod eſt, Ex neceſſitate, audiẽdum eſt. Quòd autem hoc dicit, dico autẽ quòd mens eſt ſeparabilis, per ea, quæ deinceps ſequuntur, declarauit. Reliquæ animæ partes ex his manifeſtũ eſt, quòd non ſunt ſeparabiles, quemadmodum quidam dicunt, utpote cùm ſit mens, ſcilicet, ſeparabilis. Et conſidera, quod dixi, eum non de diuina mente, ſed de noſtra loqui, dico autem rationali. Subiunxit itaque, Reliquæ animæ partes. Non enim diuina mens eſſet utique pars animæ. Quare cùm animam accepiſſet, quæ ex ratione, & rationis uacuitate, & uegetatiua facultate compoſita eſt: eius unam partem, ſcilicet, mentem, & ſeparabilem, & æternam dicit eſſe.*

Reliquas autem animæ partes ex his manifeſtum eſt non eſſe ſeparabiles, ſicut nõnulli dicunt. 22

*Reliquas ergo oẽs animæ partes, inquit, præter mentem, ex his apertũ eſt nõ eſſe ſeparabiles, neq; à ſe inuicẽ, neq; à corpore. A' ſe quidem inuicẽ, ut in diuiſis inſectis oſtenſum eſt: A' corpore autẽ, q; eius ſunt perfectiões et entelechiæ. Neq; enim ſenſitiua, uel nutritiua, uel motiua, uel appetitiua facultas ſine corpore. Eius enim, qđ nutriri, et ſentire, et moueri põt, ſunt facultates. Ipſe quidẽ nuper, quòd ſecundũ locũ nõ ſunt à ſe inuicem*

*ſeparabiles*

ſeparabiles, dicebat eſſe manifeſtum, ex iis quæ monſtrata ſunt. Illud autem, Nonnulli dicunt, tacitè Platonem ſignificans dicit, qui non ſolum ratione, ſed & loco eas diſcernit, ut dictum eſt.

Quòd autem ratione aliæ ſint, clarum eſt. Senſitiuū enim eſſe, & opinatiuū aliud: ſiquidem ſentire aliud eſt, quàm opinari. Similiter & vnūquodq; aliorum, quæ dicta ſunt.

Et ſi enim loco ſeparata non ſunt: ſed definitione tamen nō ſunt eadem. Alia enim ſenſitiui ratio eſt: & alia eius quod eſt ſecundum locum motiuum: & in reliquis ſimiliter.

23 Præterea autem nonnullis quidē animalibus omnia inſunt: nonnullis verò pauciora: aliis autem vnum ſolum. Id autem facit differentias animalium.

Quòd à ſe inuicem ratione aliæ ſunt animæ facultates, per hæc quoq; confirmat. Animaliū enim differentiæ ex ea, quæ eſt ſecundū formam, animarū differentia fiunt. Animalia autem à ſe inuicem differunt, quòd hæc quidem plures animæ facultates habeant: illa uerò pauciores. Quòd ſi omnes animales facultates eſſent eadem ratione, à ſeipſis non differrent animalia. Non enim ſecundum materiæ differentiam differunt, ut dicunt Pythagorei, qui in diuerſa & differentia corpora animas immittunt: & ex corporum differentia differentes animarū operationes fieri dicunt. Si autem hoc eſt à ratione alienū: A ſua enim forma unumquodq; figuram, & characterē ſuſcipit: Formæ autem rationem anima obtinet: differentes eſſe neceſſe eſt animæ definitionū facultates: & ex eo animaliū fieri differentias, quia non omnia omnes habent: ſed hæc quidē omnes: illa uerò aliquas: alia autem unam. Illud autē, Nonnullis quidem animalium, & hoc, Hoc aūt facit differentias animaliū, dixit pro eo, quod eſt, uiuentium. Quæ enim unam habent animalem facultatem, utpote uegetatiuam, non animalia.

Propter quam autem cauſam, conſiderandum poſtea.

Quæ de cauſa, inquit, aliæ quidem ſunt coniunctæ, & plures animæ facultates in iiſdem: in aliis aūt pauciores: in aliis autem una, poſtea dicemus: & præterea qua de cauſa hæ quidem ſunt priores: illæ uerò ſecundæ. De his enim dicit in his, quæ deinceps ſequuntur.

Similiter autē & circa ſenſus accidit. Alia enim habent omnes: alia verò pauciores: alia autē vnum maximè neceſſarium, tactum.

Quod in omnibus animæ facultatibus in uniuerſum accidit, inquit, hoc in ſenſitiua quoq; ſolā fit. Alia enim animalia oēs habent ſenſus, alia uerò plures: alia autē unum. Atq; eorū cauſam dicet in iis, quæ ſequuntur, quam iam prediximus.

24 Quoniam autem id quo viuimus, & ſentimus, duobus modis dicitur, ſicut quo ſcimus: Eorum autem dicimus hoc quidem animam: illud verò ſcientiā: Eorum enim vtroq; ſcire dicimus, ſimiliter, &, quo ſani ſumus, hoc quidem ſanitas, illud verò, aliqua corporis parte, vel toto. Eorum autem ſcientia quidem, & ſanitas, figura, & forma quædā, & ratio, & veluti operatio ſuſceptiuorū: illa quidē eius, quod ſcientiam: hæc verò eius, quod poteſt ſanitatem ſuſcipere.

Per hæc conſtituit definitionem exponere, & ab eo, quòd eſt, tranſire ad id, propter quid eſt. Naturæ enim primū eſt propter quid eſt: nobis aūt primū eſt, quòd eſt. Cùm itaq; apertius dixiſſet, entelechiam eſſe animā: uult nunc oſtendere, quòd rectè eā entelechiā definiit, hoc eſt ſubſtantiā, quæ eſt ſecundū formā, quod eſt, propter quid eſt. Cùm enim ſumpſiſſet, quòd animata ab inanimatis differāt eo quòd uiuāt: ex hoc nūc oſtēdit, ſe rectè animā definiſſe entelechiā naturalis corporis inſtrumētarii. Secundum eā enim, inquit, uiuit & ſentit animal: propriè quidē, & primò, anima: ſecundò aūt & per eam, corpore: ſicut formā habēt animata, quòd uiuunt, & ſentiunt. eius aūt primo cauſa eſt anima. Ipſa ergo animatorū forma eſt & entelechia. Procedit aūt confirmatio hoc modo. Omnia, inquit, compoſita duobus modis eſſe dicuntur, & ſecundū materiā, & ſecundū formā. Primò enim ſecundū formā unumquodq; eſſe dicitur id, qd' eſt: ſecūdo aūt ſecundū materiā, & ideo illud, quatenus eſſe dicitur, id eſt, forma eſt in materia. Eſt autē argumētatio ab inductione. Dicimur enim, inquit, ſcire duobus modis, ſciētia, & anima. & anima enim ſcientes eſſe dicimur, nō enim utiq; corpore: & rurſus ſcientia eſſe ſciētes. Sed propriè quidem, & primò, ſcientia. per illā enim & anima. in ea enim ſciētia. & propterea anima ſubiectū aliquod & tanquā materia: forma aūt ſciētia. Rurſus ſani eſſe dicimur uel ſanitate, uel corpore, uel oculis. Sed hic rurſus in utroq; ſimul, corpe, inquā, & ſanitate. Primò quidē per ſanitatē habemus, ut ſani ſimus: ſecūdo aūt, corpore, & per illā. & propterea formæ quidē rationē obtinet ſanitas: materiæ uerò corpus. Scientia enim animā perficit: ſicut ſanitas corpus. Primò ergo ineſt ſanos, & ſciētes eſſe per ſcientiā, & ſanitatē. Per ſanitatē enim corpus ſanū eſſe dicitur: & per ſcientiā ſcire anima. Similiter nigri dicimur, uel albi, uel rubri, primò quidē, propter talē colorē: ſecundo autem propter ſuperficiē: & eſt hæc quidē ſubiectū: ille uerò forma. Sic etiā calidi eſſe uel frigidi, primò quidē per caliditatem, uel frigiditatē: ſecūdò aūt per corpus: & eſt hoc quidē ſubiectum: illa uerò qualitas, forma. Sicut ergo in his, & in omnibus habet: ſic & in animatis quoq; eſſe neceſſe eſt. Viuere enim dupliciter dicitur. Viuere enim uel corpore dicimur, uel anima. Sed primò quidē anima. Secūdò aūt & per illā, corpore. eo enim quòd uiuūt animata corpora, ab inanimatis differūt, utpote cū uita corpori accedat ex anima. Horū ergo neceſſe eſt formā quidem eſſe animam, ſicut & in reliquis omnibus. & ideo primò unumquodq; eſſe dicebatur ſecundū formā, quæ in ſe eſt: materiā aūt, & ſubiectū, corpus. Illud aūt, Veluti operatio ſuſceptiuorum dixit, pro eo, quod eſt, perfectio. Eſt enim eius quod ſciētiam ſuſcipere poteſt, dico aūt animæ perfectio, ſcientia. Eius aūt, quod eſt ſanitatis ſuſceptiuū, dico aūt corporis, ſanitas eſt perfectio. Sanitatis enim, & ſciētiæ ſuſceptiuū potentia eſt, & imperfectū: perficitur aūt ſciētia, & ſanitate. Quare ſi corpus materia, anima aūt forma: eſt aūt materia potētia: entelechia autē forma, eo quòd eius, qd' eſt potētia, perfectrix eſt in materia forma: Rectè ergo eſſe entelechiam animam definiit.

Videtur enim in patiente, & diſpoſito actiuorum ineſſe operatio.

Quoniam dixit ſcientiam, & ſanitatem eſſe eius, quod ſanitatis & ſcientiæ eſt ſuſceptiuum, operationem: quia non cuiuſlibet uidetur operatio eſſe ſcientia, & ſanitas: ſed eius, quod agit in id, quod eſt ſanitatis ſuſceptiuū, & ſcientiæ: ut medici, uel ſcientis: propterea prius determinauit, quòd in patiente, & diſpoſito eſt agentis operatio. Hoc enim etiam in Phyſicis oſtendit, quòd una eſt amborum operatio & agentis & patientis: & ipſa eſt in patiente, & non in agente: ille enim eſt immobilis, & proprium habet perfectionem. Patiens autem eſt, qui mouetur, & à potentia in actum ducitur. Nobis ergo ea, quæ dicta ſunt, in mentem redigēs, hæc dixit. Propterea ergo non ſimpliciter dixit, operatio, ſed ueluti operatio.

Anima aũt hoc quo viuimus, & ſentimus & cogitam⁹, primò. Quare ratio quædã fuerit, & forma: ſed nõ vt materia, & ſubiectum.

*Cùm inductione oſtendiſſet, quòd id, per quod primo unũquodq; dicitur, hoc forma eſt: per quod autem ſecundò, hoc materia & ſubiectum: transfert orationẽ ad id, quod quæritur, id eſt, animatũ. Primo enim, anima, & uiuere, & ſentire, & cogitare dicimur. Forma ergo anima: materia autem, & ſubiectum corpus. Cùm autem uiuere, & ſentire, & cogitare dixit: uegetatiuam, & irrationalẽ, & rationalem animam ſignificauit: ut omni animæ definitionem adaptet.*

Cùm enim tribus modis dicatur ſubſtantia, vt diximus: quorum hoc quidem forma: illud verò materia: aliud autem ex ambobus: eorum materia quidem potentia: forma autẽ Entelechia. Quoniam autẽ, quod ex ambobus, eſt animatum: non corpus eſt Entelechia animæ, ſed ipſa corporis alicuius.

*Quòd tripliciter quidem eſt ſubſtantia, paulo ante oſtendit. Quoniam autem tertium ſubſtantiæ ſignificatum, quod ex ambobus: eſt autẽ animatum quæ eſt ex ambobus ſubſtantia, ex animo & corpore: quorum neceſſe eſt illã quidem eſſe formã: hoc uerò materiam: hoc enim erat, quod ex ambobus, quod eſt ex materia, & forma: oſtenſum autem eſt animam eſſe ſubſtãtiam, quæ eſt ſecundũ formam: fuerit corporis naturalis inſtrumentarij forma anima: & non corpus animæ forma. Si autem anima forma: materia ergo corpus. Materia autẽ potentia, inquit, hoc eſt, in hoc, quod eſt potentia, eſſe habet. Corpus ergo potentia. Forma autem eſt Entelechia eius quod eſt potentia. Forma aũt anima. Anima ergo Entelechia. Recte ergo tradita eſt animæ definitio, quæ dicit animam eſſe Entelechiam corporis naturalis inſtrumentarij.*

Et propterea rectè exiſtimant, quibus videtur neq; ſine corpore eſſe, neq; corpus aliquod anima. Corpus enim non eſt: Corporis autem eſt aliquid. & propterea in corpore ineſt, & tali corpore.

*Poſtquam oſtendit, recte dictam eſſe corporis Entelechiã animam, quod ei erat propoſitum oſtendere: tanquam hoc per prima non ſatis monſtrato, neq; cauſa tradita, propter quam anima Entelechia, reuerſus eſt, ut hoc monſtraturus. Ex iis ergo monſtratis eos laudat, qui neq; corpus animã eſſe dixerunt, neq; ſine corpore. Si corporis enim eſt Entelechia: non fuerit ipſa corpus. neq; enim alicuius perfectio idem eſt cũ eo cuius eſt perfectio. Sed neq; corpus aliquod anima: alicuius enim adhuc fuerit Entelechia, & talis corporis, id eſt naturalis inſtrumentarij. Hinc ergo uideri poſſet omnem eſſe animam à corpore inſeparabilem dicere, ſed oportet ad totã philoſophi ſententiã reſpicere, & eorum, quæ de mẽte prius dicta ſunt, meminiſſe. Quare ſi omninò mentem ſeparabilem, & immortalem pronũciat: eſſe animã hic audiendũ eſt uegetatiuã, & irrationalem. alioqui & mens, quatenus eſt corporis Entelechia, ſecundũ hoc eſt inſeparabilis. eſt aũt corporis entelechia, neq; ſubſtantia, neq; omnibus ſuis operationibus, ſed iis, quas habet ex habitudine, quæ eſt illi ad corpus, quarũ maxime ſunt actiuæ. Hæ aũt operationes ſunt à corpore inſeparabiles. Et quẽadmodum gubernator, qui nauis entelechia eſt & perfectio, quatenus eſt gubernator, à naue eſt inſeparabilis: quia aũt nõ ſolum gubernator eſt, ſed & homo: ut aũt homo, cũ non ſit nauis entelechia, ea ratione eſt & ſeparabilis: Sic & noſtra anima, ut anima quidẽ, cùm ſit entelechia corporis, ea ratione ſine corpore non fuerit. Quoniã autem habet quaſdam etiam ſeparabiles à corpore operationes, eas, inquam, quæ ſunt de intelligibilibus, ad quas non ſolum non confert corpus, ſed eas etiam impedit: clarũ eſt, quòd & ſubſtantiã habebit ſeparabilem. & tunc mens & intellectus, & erit, & dicetur: non amplius autẽ anima, niſi potentia. Quemadmodum & cùm eſt in corpore, potentia mens eſt & intellectus, ut & ipſe dicit. Et ſi omnino ei innatũ eſt ut imaginetur eas, quæ de intelligibilibus inimaginabiles penitus ſunt, operationes: idq; non fruſtra habet ex natura: neceſſe eſt ut ſic aliquando operetur. Et huic quoq; conſequens eſt, ut & eius ſubſtantia ſit ſeparabilis. De his autem diximus antea exactius.*

Et non, ſicut priores, eam in corpus compegerũt: neq; quicquam præterea definierũt, in quo, & quali: quamuis nõ cernatur quoduis quodlibet ſuſcipere. Sic autem fit & ſecũdum rationẽ. Vniuſcuiuſq; enim Entelechia in eo quod eſt potẽtia, & propria materia innata eſt fieri. Quòd itaq; Entelechia quædã eſt, & ratio eius, quod potentiam habet, vt tale ſit, ex his manifeſtum eſt.

*Prius quoq; eos reprehendit, qui cùm de anima diſſererẽt, de corpore nihil dicerent quòd eã ſuſciperet: perinde ac fieri poſſet iuxta Pythagoricas fabulas, ut quælibet anima quoduis corpus ſubiret. Atqui, inquit, non cernitur quælibet forma in quouis ineſſe ſubiecto. Neq; enim lingua unquã ſonis & ſtrepitibus ſubiectũ fuerit: neq; auris odorabilibus: neq; uaris ſuccis. Cera nunquam ſuſceperit teſtæ formã, aut æris. Ergo ſi nõ quælibet forma in quouis ſubiecto fuerit: forma aũt corporis anima: non in quolibet corpore fuerit: quod antiqui quidẽ nõ definierunt: ipſe aũt definijt, cùm dixit, Corporis naturalis inſtrumentarij Animæ enim ſimpliciter inſtrumentariũ ſimpliciter corpus eſt ſubiectũ: quã nunc definijt. Talis autẽ animæ tale inſtrumentarium corpus, ut uerbi gratia, rationalis, rectum & manibus utens, ut rationi ſeruiat. Aliis aũt aduncis unguibus corpus, propter rapacitatẽ, &, ut ſemel dicã, ad uniuſcuiuſq; animæ operationem, & corporis, corpus conſtitutum & compoſitũ eſt. Hoc autẽ Plato quoq; ante ipſum dixit, ut iam ante diximus. De figura enim humani corporis loquẽs, inquit. Neque enim ea, quæ, quod eſt, nondũ uidit, talẽ habebit figurã. Quod eſt aũt intelligibile dicit. Intelligibile aũt ſola rationalis anima cognoſcit. Soli ergo rationali animæ humanum corpus eſt accommodatũ. Sic aũt fit ſecundum rationem. Vniuſcuiuſq; enim entelechia in eo quod eſt potentia, & propria materia innata eſt fieri. Vt ergo, inquit, dicebant illi de anima, de ſuſceptiuo corpore nihil definientes, neq; ſecundũ rationem eſt, nec iis, quæ cernuntur, conſequens: ut autem nos diximus, talis eſſe corporis entelechiam, animam dicentes, &, quæ ſic habere cernuntur, teſtantur, & ratio. Alicuius enim, inquit, entelechia in illo ineſſe nata eſt, quod natura habet potentiam, ut tale ſit. Tale autem eſt uniuſcuiuſq; cohærens materia. neque enim quæuis materia quamlibet formam poteſt ſuſcipere. Neq; enim cera domus formam unquam ſuſceperit: neq; papyrus nauis. Neq; quoduis ergo corpus cuiuslibet animæ ſuſceptiuum fuerit. Neceſſe eſt ergo ut in definitiõe animæ, ſuſceptiui quoq; corporis ratio habeatur. Ad aliquid enim ſunt forma, & materia. Quæ aũt ſunt ad aliquid, ut à ſe inuicẽ ſeparata uel ſint, uel cognoſcantur, fieri non poteſt, quatenus ſunt talia.*

Animæ autem facultatũ, quæ dictæ ſunt, his quidem omnes inſunt, ſicut diximus: illis verò quædam earum, nonnullis aũt vna ſola.

Quod

*Quod paulo ante dicere pollicitus eſt de facultatibus animæ, quæ quibus, & quot inſunt, & propter quam cauſam, & quales, quarumnā facultates ſunt inſeparabiles, & quanam à quibus ſeparentur, hoc quidem dicit, quòd meliores deteriores ſequuntur, & ab eis ſunt inſeparabiles: ipſæ autem ſine melioribus eſſe non poſſunt. His enim ineſt ſola uegetatiua: illis antē præter hanc ſenſitiua quoq;: quas omnino conſequitur & appetitiua. Quodcūq; enim ſenſus eſt particeps, appetitus quoq; ſit particeps neceſſe eſt: ut & paulo ante monſtrauit, & nunc monſtrabit. Superius autē dictis accedit & cogitatio, ut hominibus: uel aliquibus eiuſmodi, uel etiam melioribus facultatibus. Simul etiam per hæc oſtenditur, quòd primum eſt, & ſecundū in animis.*

Facultates autem diximus, nutritiuam: ſenſitiuam: appetitiuam: motiuam ſecundum locum: cogitatiuam. Ineſt autem plantis quidē nutritiua. alijs autem & ipſa, & ſenſitiua, & appetitiua. Appetitus enim cupiditas, ira, & voluntas. Omnia autem animalia ex ſenſibus vnum habent, tactū. Cui aūt ſenſus ineſt, huic voluptas, & egritudo, & iucundum, & moleſtum. Quibus autem hæc, & cupiditas. Iucundi enim appetitus eſt hæc.

*Notandum eſt quòd in animalium facultatum enumeratione prius quidem appetitiuam per ſe non inſeruit: ut quæ eſſet omnino ſenſitiuo coniuncta, ubi dicebat, quod ijs definita eſt animæ: nutritiuo: ſenſitiuo: cogitatiuo: motu: nunc autem ipſam alijs quoq; facultatibus adiunxit. Alijs autem & ipſa, & ſenſitiua, & appetitiua. Alijs, pro eo quod eſt, animalibus. Subiungit enim. Omnia aūt animalia ex ſenſibus unū habent tactum. Animalia itaq;, inquit, nutritiuam facultatē habent, & ſenſum, & appetitum. Deinde clarè admodū hoc adſtruit, quòd, ubi omnino ſenſus unus fuerit, omnino neceſſe eſt cupiditatem eſſe, & appetitum. Propterea ergo ſenſum omnia habent animalia. In omnibus enim omnino ineſt tactus, etſi nullus alius ineſt ſenſus. Senſus aūt iucundū, & moleſtum apprehendit. Vbi aūt eſt iucundū, illic omnino & cupiditas, & appetitus. Cupiditas enim eſt iucundi deſideriū. Vnde &, quæ ſolum tactum habēt, diffundi & extendi uidentur, cùm iucundum accedit: contrahi autem, cùm moleſti quicquā prope fuerit. Cùm autem dixiſſet, quòd cui ſenſus ineſt, huic & uoluptas, & ægritudo, adiecit, Et iucundum, & moleſtum. Pulchre aūt admodum, & commodè tranſitione uſus eſt. Appetitus enim non eſt uoluptatis, ſed iucundi. Definit autē appetitum, cupiditate: ira: uoluntate. Eorum enim unumquodq; appetitus eſt. Clarum eſt ergo, quòd ſimpliciter quidem appetitus, ſenſitiuæ facultati ineſt: non omnis autem appetitus. Iis enim, quæ tactum ſolum habent, ſecundum cupiditatē appetitus ineſt: Iis autem, quæ omnes ſenſus, & qui ſecundū iram. Videntur enim huiuſmodi ad ſui defenſionem & ultionem prompta. Voluntas autem eſt ſolius rationis. Quare æquiuocus eſt appetitus, & cupiditas ſimiliter. & quemadmodum diſpoſitio quidem eſt, & quæ de habitu cōmuniter prædicatur. eſt rurſus &, quæ magis propriè habitui opponitur, & ab eo diſtinguitur: ſic & appetitus dicitur & cōmuniter de ira, cupiditate, & ratione: & diuina enim appetere dicimus: & ſcientiam appetere: eſt autem &, qui proprie appetitus dicitur in naturalibus motibus, rationi oppoſitus, & ab eo diſtinctus. Et cupiditas ſimiliter, alia quidem eſt cōmunis: eſt & quæ iræ, & rationi opponitur, & ab ijs diſtinguitur.*

28 Præterea autem nutrimenti ijs quæ ſenſum habēt. Tactus eñ nutrimēti ſenſus. Siccis eñ & humidis, & calidis, & frigidis nutriuntur omnia animalia. Eorum autem ſenſus tactus.

*Quòd, quæ ſenſum habent, habēt quoq; appetitū, etiā ſi unū ſolū tactū habeāt, iam cōmunius, & uniuerſalius oſtendit, quia, quæ ſenſum habent, habent quoq; appetitū, quòd ſimul ſentiūt iucundū, & moleſtum. Quæ autem illa ſimul ſentiunt, quod iucundum quidē eſt admittūt, quod moleſtum autem auerſantur & fugiunt. Quod autem quiſpiam admittit, hoc & cupit: cupiditas autem appetitus quidam eſt. Propterea ergo & appetitus diuiſionem fecit. Quæ ſenſum habent, propter hoc ipſum habent quoq; appetitū. Nunc autem propius, & ſpecialius hoc ipſum oſtendit, quòd, quæ tactum habent, omnino habent & appetitum. Tactus enim, inquit, ea ſentit, quibus nutritur animal. Nutritur autem ex ijs, ex quibus conſtat. Cōſtat autem ex quatuor qualitatibus: ſicca: humida: calida: frigida, ut in libro de Generatione oſtendit. ex ijs ergo & nutritur. unumquodq; enim eo, quod ſibi eſt conueniens, & accommodatum, nutritur. Præterea autem & quomodo his nutritur, monſtrauit. Nutritio enim, inquit, ſit per calida, & ſicca. Poculentum aūt per frigida & humida. Earum autem qualitatū iudex eſt tactus. Quibus autem eſt nutrientiū ſenſus, his & fames, & ſitis. Vtrunq; autem cupiditas, & appetitus. Siccis enim, & calidis, & frigidis, & humidis nutriuntur uiuentia primū. Succorū enim, qui tales non ſunt, deſideriū fit per accidens. Nutrimentorum enim ueluti cōdimenta ſunt ſucci, ut Ipſe inquit. Et quòd poculentū quidem per frigida, & humida fiat, medici quoq; dicunt. Fieri enim ſitim non ſolū propter ſiccitatē: ſed & propter calorem: & ideo uel à frigido ſolo aëre ſedatur eiuſmodi ſitis. Quare ſi poculentum ſitis eſt medicamentū: Potabāt enim, inquit Homerus, ſitimq́; leuabāt: ſitis aūt per ſiccitatē fit, uel per caliditatē. In febribus quidē clarū eſt, quòd caliditas febris cauſa eſt. Sepe itaq; uentriculo humiditate repleto poculenti fit deſiderium: quoniā propter calorē fit. Quare ſi cōtraria ſunt cōtrariorum medicamenta. Sitis aūt fit per ſiccitatē, uel calorem. Frigido ergo, & humido poculentū uel potus fit. Si autem calidū quoq; ſepe in potu accipimus, hoc per accidens facimus: propter imbecillitatē fortaſſe ſtomachi, uel propter conſuetudinē. Quēadmodū dulcia uina, &, quæ in principijs bibūtur, propter uoluptatē, non propter ſitim accipimus. Si itaq; poculentū frigidis fit & humidis: nutritio neceſſariò fiet ex ſiccis, & calidis. Si enim ex quibus ſumus, his & nutrimur: Sumus autē ex ſiccis, & humidis, calidis & frigidis: Fames aūt & ſitis eſt deſideriū replendi, & reficiendi id, quod ex ſubſtantia noſtra abſumptū, & diſſipatū eſt: Abſumimur autē ſecundū omnes qualitates, ex quibus cōponimur: Fit aūt poculentū frigidis & humidis. Nutrimentū ergo ſiccis & calidis neceſſariò fiet. Si enim non eſt alia nutrimenti ſpecies præter potū, & id quod proprie nutrimentū dicitur: Eſt enim & potus aliquod nutrimentū. Neceſſe eſt autē nutrimentū ex ijs eſſe, ex quibus & cōſtamus: omnino neceſſe eſt, cùm potus ex frigidis, & humidis fiat, nutrimētum eſſe ex ſiccis, & calidis. & ſi plātarum nutrimētum eſt fimus: ipſe autē eſt calidus: nō ſolis ergo ſiccis fit nutrimētum, ſed & calidis. & ſi allatum uinū ſæpe ſedauit famem: clarum eſt, quòd nō, quatenus eſt humidum: hoc enim magis aqua faceret: nunc autē nō facit: clarum ergo, quòd ſi calidū nutrijt, calido quoq; fit nutrimentū. Eſt autē & hoc ipſum maiori ratione, & magis logice probare. Quæ à communioribus in ſpecialiora fit diuiſio, fit ſecundum aliquam contrapoſitionem eorū, quæ opponuntur, ut diuiditur ſubſtantia in corpus & incorporeū. Rurſus corpus in animatū, & inanimatum. & animal in rationale, & irrationale. & rationale in mortale, & immortale. & clarum eſt, quòd eorum contrapoſitio eſt, ut quæ ſecundum habitum eſt, & priuationem. Quoniam enim de incorporea*

ſubſtantia

ſubſtantia aliquid prædicare non poſſumus: ei corpus negatiue abſtulimus.Similiter & in alijs. Animati autem diuiſio in animal,& plantanimum,& plãtam.Atq; ipſa quidem ſecundũ aliquam contrapoſitionem accepta eſt.Quod enim animali proprie ineſt,eo priuatum eſt plantanimum. Et quod ei ineſt, illo planta priuata eſt.Præterea coloris diuiſio primum in albũ fit, & nigrũ:ex his enim ſunt alia:hæc aũt cõtraria. Et numeri in parẽ,& imparẽ.Quẽadmodũ autẽ diſpoſitio diuiditur in habitũ,& eã diſpoſitionẽ,quæ proprie dicitur.Sic & nutrimẽtũ, in id qđ eſt proprie nutrimẽtũ,& potũ.Eorũ ergo diuiſio accipienda eſt ex communiori ſecundũ aliquod ex oppoſitis. Atqui neq; tanquam ſecundum priuationem & habitũ accipi poteſt: neq; ſecundum affirmationem,& negationẽ:neq; multo magis ut quæ ſunt ad aliquid:ſolum ergo accipiendũ eſt ea,ut contraria,diuidi,& contra ſe inuicem opponi.Si ergo potus eſt frigidorum,& humidorum:proculdubio nutrimentum erit ſiccorũ, & calidorum.Non eſt autem mirandũ, ſi ſæpe ſimul contraria appetimus,dico autem potum,& nutrimentum:idem eſt autẽ dicere,ſiccũ,& humidum: calidum & frigidum. Ex his enim conſtitutionem habemus. Quibus abſumptis, & diſsipatis ad eorum repletionem mouetur appetitus.Simile enim ſimile appetit.Ex quo ualde clarum eſt,nutrimentũ quidem eſſe calidorum,& ſiccorum: potum autem frigidorum & humidorum. Si enim ex quatuor cõſtamus:omnium autem fit abſumptio & diſperſio:Fames uerò & ſitis eſt deſiderium repletionis eorũ, quæ abſumpta ſunt & diffluxerunt:calidorum ergo, & ſiccorum,frigidorum,& humidorum deſiderium,eſt fames,& ſitis. Hi enim ſoli ſunt eorum,quæ abſumpta ſunt,appetitus.Et quòd ſiccorum quidem fames:humidorum autem ſitis,clarum eſt. Si enim ſiti calidum attribuimus,abſurdum. In febribus enim, ut dixi,manifeſtè frigidi eſt deſiderium.calor enim eſt id,quod uexat & moleſtiã exhibet.Continget ergo ut unum & idem ſit contrariorum deſiderium:& duarum contrarietatum tres partes uni appetitui trademus.Ambo autem ſunt abſurda, & rationi conſentaneum eſt,cùm duo ſint appetitus,duæ autem contrapoſitiones,quarum appetitus utriuſq; cõtrapoſitionis pars una eſt,utriq; appetitui naturam attribuere.Quando dico frigidi deſiderium,non omnino dico tactu frigidi:ſed ſæpe omnino frigidi potentia.Et alterius eorum fit appetitus,ſcilicet,uel nutrimenti,uel potus:quando alterum eorum minus,quàm par eſt,fuerit,& non ſufficerit:dico aũt ſiccũ,& calidum:uel humidum,& frigidum.Quòd aũt nutrimentum non ſolũ eſt ſiccorum,ſed & calidorum: ſed & potus non ſolum humidorũ, ſed & frigidorũ:ſic quoq; adſtruxit Ariſtoteles.Siccum enim, inquit,terra.ex ea enim fumoſa exhalatio.ipſa autẽ calida.Similiter,inquit,& ex humidis uaporoſa.ipſa autẽ frigida. Siccũ ergo conſequitur calidum:humidum autem frigidum. Hoc autem non eſt firmum.Quodcunq; eſt enim,in quodlibet mutatur, & maximè contraria in contraria.Hac ergo ratione, quæ humida & calida appetunt,contraria quoq; deſiderant.quod eſt à ratione alienum. Ex dictis autem cauſam habes,propter quam ſenſibus omnibus præponitur tactus: & quòd ſi is non fuerit, nullus alius eſſe poteſt:ſine alijs autem ipſe:eo quòd eorum eſt apprehenſio,ex quibus eſſe habemus.Si ergo ſenſus tactus non ſit,apprehenſionem non habemus ſubſtantiæ noſtræ, quæ diffluxit:ſic ergo neq; deſideramus,quod deeſt. Quòd ſi ita eſt, ne ſupplementi quidẽ deſideriũ habebimus,ex quo ſeruatur animal:& ſi non ſit,neceſſario corrũpetur,& peribit.

Aliorum verò ſenſilium per accidens. Ad nutrimentum enim nihil confert ſonitus:neq; color:neq; odor. Succus autem vnum quid eſt eorum quæ tangi poſſunt:fames autem,& ſitis cupiditas. Fames quidem calidi, & ſicci: ſitis autem humidi,& frigidi. porro ſuccus eſt veluti quoddam eorum condimentum.

Duplicẽ ad hoc interpretationẽ afferunt. uel enim dicit tactum alia ſenſilia per accidens apprehendere: uel appetitum. Apprehendit enim tactus primo quidẽ,& per ſe calida: ſicca: humida:frigida.Hæ enim qualitates tangi poſſunt. Alias autem ſi dicatur apprehendere per accidens ſcilicet. Hoc aũt nõ ſolũ in tactu,ſed & in alijs ſenſibus dicere cõueniet. Senſus enim uiſus primo quidẽ colores apprehendit:per accidens aũt dulce: uel amarũ:uel odoriferũ.Vt ſi uideat mel:ut flauum quidẽ per ſe apprehendet.ut dulce aũt,per accidens. Poſtquã enim duo ſimul ſenſus cooperati fuerint, uiſiuus dico, & guſtatiuus:ſcit quòd talis forma dulcis eſt,uel amara,quòd eiuſmodi ſit uel bene,uel male olens fortaſſe.Sic & tactus primo quidẽ quæ dicta ſunt apprehendit:per accidens aũt & alia.Si enim clauſis, exẽpli gratia,oculis panẽ tetigero:ſcio,quòd talẽ habet qualitatẽ, & talem colorẽ.& ſi mel attigero,ſcio,quòd dulce, & flauũ. Eadem & in reliquis ſenſibus.& cauſam diximus, propterea quòd hi ſenſus aliquando cooperati fuerint.Quoniã ſi quid uiderimus,in quo non ſimul cooperati ſunt ſenſus: qualẽ quidem habet colorẽ noui:non itidẽ aũt & ſucci poſſum qualitatẽ diſcernere.Similiter & in tactu,& reliquis.Si ergo ad tactũ illud acceperimus,Alia aũt ſenſilia per accidens,hoc dixerit, ut ait Alexander:Vel quia exiſtimauerunt nonnulli oẽs ſenſus eſſe tactus:& omnia ſenſilia tangibilia: quia tangentibus eorũ uidetur eſſe apprehenſio:Viſus enim attingens id,quod eſt perſpicuum:& olfactus,quod odore diſcernitur,quod odoriferum uocant.& auditus ſimiliter.Hoc ergo diſtinguens dixit, quòd alia ſenſilia per accidens apprehendimus. Non enim quatenus perſpicuũ attingit uiſus,apprehendit uiſibilia:neq; olfactus odorabilia:neq; auditus audibilia:ſed eis illa apprehendere contigit,per quæ propria ſenſilia apprehendunt.Non enim, ſicut tactus propria ſenſilia attingens apprehendit, ſic & reliqui tactu habent apprehenſionem.Neq; enim colores uiſus apprehendit,eos tangens:ſed perſpicuũ,per quod colores uidentur. Aliorũ aũt ſenſilium,inquit Alexander,per accidens tactũ ait eſſe apprehenſiuũ: quòd eorũ ſit apprehenſiuus,quibus alia acciderũt.Simplicia enim,& prima corpora, ex quibus & alia, iiſ definita ſunt,quorũ tactus eſt apprehenſiuus. Calidum enim & frigidũ,& ſiccũ.& humidũ ſunt formales,& ſimplices primorum corporũ differentiæ.Quoniã ergo alia, quæ alij ſenſus per ſe apprehendunt,corporibus accidunt: quorũ tactus proprie eſt apprehenſiuus:per accidens eos tactus apprehendit. Magis aũt proprie illud,Aliorũ autem ſenſiliũ per accidens,ad cupiditatẽ conſtruendũ.Quibus aũt hæc,& cupiditas. Iucundi enim hic eſt appetitus.Aliorũ aũt ſenſilium per accidens. Appetit enim cupiditas primò,per quæ nutritur,humida & ſicca: calida & frigida.Per accidens aũt ſuccos, & colores, & alia ſenſilia.Qui enim,uerbi gratia,uinũ album uel dulce cupit,per accidens ea appetit propter quandã conſuetudinẽ:quoniã primo humida appetit.Et quòd hoc magis ſubaudiendũ eſt,Aliorũ autem per accidens,declarant ſequentia.Nihil enim,inquit,cõfert ad nutrimentum ſonitus,neq; color.Quare ad appetitum eſt redditio.Per quæ enim nutritur,ait,ea appetit: alia autem per accidẽs.Vt enim progreſſus inquit,ſuccus eſt ueluti quoddam condimentum nutrientium. Succum autem appellat talem guſtabilem qualitatem,quæ ineſt nutrientibus. Frigidum autem potum dixit,quòd,etiam ſi calida bibatur, tactu eſt calida:potentia autem frigida. Vnde & eam extinguit, quæ ex ſiti prouenit, ſiccitatem. Vnde & qui ualde ſitiunt, frigidum appetunt.Quare niſi propter neceſsitatem ne unũ quidẽ admiſerint

*admiſerint. Quid ergo, nunquid & tales ſucci animali ad ſalutem conferunt: & ei alij perniciem afferunt? Dico ergo, quòd ut corpora quidẽ ſimpliciter, à ſiccis, & humidis, calidis & frigidis nutrimur. Vt autem tali quoq; qualitate prædita, tali etiã in alimentis qualitate indigemus: maximè cùm propterea non eadem in omnibus alimentorum qualitates aſſumuntur, quòd ad eas non eſt commoderatio, & proportio ex tali elementorum tẽperatura. Quoniã enim tales qualitates ex tali elementorum tẽperatura in cõpoſitis adſunt, ſecundum aliquẽ alicuius ex ſimplicibus dominatũ, meritò ijs quidẽ, in quibus calidũ, uerbi gratia, dominatur, tales ſuccos afferimus, qui inſunt frigido dominante. Contraria enim ſunt contrariorum medicamenta. Quare, non quia talis ſuccus, eũ afferimus ijs, qui illo indigent: ſed qua fuit ſecũdum dominatum frigidi, ſorte, uel calidi, ſicci, uel humidi. Quare rurſus primò quidem hæc ſunt, quæ nutriũt: per accidens autem ſucci. Fames autem & ſitis cupiditas. Cùm dixiſſet ea, quæ tactum habent, ſentire nutrimentum: quæ autẽ nutrimẽtum ſentiunt, & eſurire, & ſitire: famem aũt & ſitim eſſe cupiditatem: cupiditatẽ aũt appetitũ: collegit & oſtẽdit, quòd ijs, quæ tactiuum ſenſum habent, conſequitur omnino & appetitus.*

29 Hæc verò poſtea ſunt declaranda: nunc autem hucuſq; definitum ſit, quòd animalibus, quæ tactum habent, appetitus quoq; ineſt.

*De unaquaq; enim animali facultate dicet poſtea: dicet autem & de proprijs ſenſilibus uniuſcuiuſq; ſenſus, quando de ipſis ſenſibus diſſeret.*

De imaginatione autem incertum. poſtea autem conſiderandum.

*Prius quidem dicebat, quando de inſectis loquebatur, ſicut appetitum, ita & imaginationem ijs conſequi, quæ ſenſu præditæ ſunt. Nunc autem incertum eſſe dicit, an omnino ijs, quæ ſenſum habent, imaginatio quoq; conſequitur. Spongiæ enim, quod iucundum & moleſtum eſt, ſentiunt: imaginationem autem eas non habere meritò quis putauerit. Siquidẽ melior quidem imaginatio ſenſibus: illa autem nullum habẽt ſenſum præter tactum. Quare ſi deteriores non fuerint, melior non fuerit. Dicet autem & de ea in hoc libro paulo poſt, & adhuc exactius in tertio, quibuſnam animalibus inſit, & quibus non.*

Alijs autem ad hæc ineſt &, quod eſt ſecũdum locum motiuum: alijs autẽ &, quod eſt cogitatiuum, & intellectus: vt hominibus: & ſi quid aliud eſt eiuſmodi, vel etiam præſtantius.

*Animalium facultatum ordinẽ tradit, ſimul declarans, quòd eſt in eis prius & poſterius. In nonnullis enim ſola eſt nutritiua: in quibuſdã autem & ſenſitiua: quã quidẽ appetitiua quoq; conſequitur. adhæc in quibuſdã eſt imaginatio: in alijs & quod eſt ſecundũ locũ motiuũ: in alijs &, qđ eſt cogitatiuũ, quod eſt intellectus potẽtia, ut in hominibus. & in quibus ſunt meliora, in ijs omnino & deteriora nõ ita aũt & uiceuerſa. Illud aũt, Et ſiquid aliud eſt eiuſmodi, uel etiã pretioſius, aiũt de quibuſdam dæmonibus dicere, qui eiuſdem ſunt ferè ordinis cum humana natura. Neq; enim ex ijs, quæ ſuperius ſemper ſunt, deſcenſum ad nos uſq; ſine medio eſſe oportet, ut aiunt: neq; prolapſionẽ illico fieri ad ea quæ ſunt ultima rationalis ſubſtantiæ: ſed eſſe ueluti medietatem, quæ neq; ſic ad irrationalitatem connectitur, ut nos: neq; uerò expers eſt habitudinis ad ipſam. Atque animam quidem dicunt non rectà in hoc decidere: ſed prius in aëre ad aliquod tempus fuiſſe, uitam minus hac affectibus obnoxiam agentem, non autem penitus habitudinis expertem ad irrationales facultates, ut forte per hæc innuit.*

Clarum ergo quòd eodem modo vna fuerit definitio animæ, & figuræ. 30

*Poſtquã oſtendit, quòd in animalibus facultatibus eſt prius & poſterius: uult deinceps oſtendere, quòd rectè à confuſo tranſit ad id, quod per membra eſt diſtributum: & à communius tradita definitione ad uniuſcuiuſq; facultatis definitionem ſeparatim. Si enim, quod de animabus communiter prædicaretur, maxime genus eſſet: nec ſic naturalem philoſophum in generum definitionibus inſiſtere oporteret: ſed ad ſpecies tranſire ſpecialiſſimas. Vniuſcuiuſq; enim cognitio ex ijs, quæ ſeparatim unicuiq; inſunt, cognoſcitur. Quoniam autem non eſt genus, quod de animabus communiter prædicetur: Quemadmodum enim figura uox eſt æquiuoca: & ſi hanc definiens quiſpiã dicat, figuram eſſe, quod ab aliquo uel aliquibus terminis comprehenditur, niſi per partes figuras percurrat, triangulam, quadrãgulam, & reliquas, nihil nos de figuris docuerit. Non enim eſt ipſa per ſe figuræ natura ſine particularibus: ſicut quædam eſt animalis natura, quæ propria eſt, & omnibus particularibus conuenit. Quæ licet non fuerint, animal nihilominus eſſe poteſt ſubſtantia animata, ſenſitiua. Sic qui communem animæ definitionem tradiderit, niſi particularia perſequatur, nihil docuerit: quoniam ne animarum quidem genus eſt. Nihil enim aliud eſt anima præter id, quod unaquæq; particularis eſt: ſicut neq; figura aliud eſt præterquam unaquæq; figura, ut triangula: uel quadrangula: & reliquæ. Sed quemadmodum in figuris prima quidem eſt triangula, in rectilineis dico: ſi quidem circulus omnium primum habet locum, ut qui ab una linea continetur: ſecundum autem ſemicirculus, uel, ut ſemel dicam, ſectio, ut quæ a duabus lineis continetur: & tertiam triangulus, ut qui a tribus lineis continetur. In rectilineis autem primus quidem triangulus. Secundus autem quadrangulus. ex duobus enim triangulis componitur. Si enim diagonalem lineam, quæ per angulos quadranguli ducitur, coniunxeris: facis duos triangulos rectangulos. Tres aũt cõpoſiti trianguli quinangulum faciunt, dico aũt a c b & a b e & e d b Quatuor aũt ſexangulum a b e & a f g Quinq; autem ſeptangulũ, & deinceps addito triangulo, angulum quoq; adijcies. Omnis enim multangulus ex triangulis habet generationem. Et in omni multangulo, ſi rectam adiunxeris duo latera attingentem: triangulum efficies. & quilibet in triangulos diuiditur. & propterea ſublato quidem triangulo, eorum quæ deinceps nihil erit. Illis autem ſublatis manet triangulus. Quare in eis eſt prius & poſterius, & quæ de eis communiter prædicatur figura, nõ eſt genus: ſed breuis quædam, & compendioſa comprehenſio eorum, de quibus prædicatur. Sic ergo & in animabus, ſublata quidem nutritiua, nulla erit alia in mortalibus animalibus: nam & cauſam ſæpe diximus. Alijs autem ſublatis ea ſola eſſe poteſt, ut in plantis. Si itaq;, quod de eis communiter prædicatur, non eſt aliqua ſubſtantia: in communi definitione manere eſt ridiculum. Nihil enim ex ijs de ſubſtantia animarum ſcimus. Eſt itaq; neceſſarium uniuſcuiuſq; definitionem ſeparatim perſequi.*

Neq; enim illic eſt figura præter triangulã, & quæ ſunt deinceps: neq; hic anima præter eas, quæ dictæ ſunt. Fuerit autem & in figuris definitio communis, quæ omnibus quidẽ conueniet: nullius autem eſt figuræ propria. Similiter autem & in dictis animabus.

Eſt enim genus quædam natura: quæ in ſpeciebus quidem ineſt: ſed propriam præter unamquamq; ſpeciem habet definitionem. Quemadmodum definitio conuenit quidem ſpeciebus: nullius autem eſt eorũ propria: ſed generis eſt ſubſtantiæ propria. Figuræ quidem definitio nullius eſt alius declaratiua præter particulares figuras, de quibus prædicatur. Quare non ſolum eſt in eis ſicut genus in ſpeciebus: ſed & earum aliquid eſt. Quod enim ab aliquo uel aliquibus terminis comprehenditur figurarum eſt enumeratio, non aliqua declarata natura. Circulus quidem ab aliquo, triangulus autem ab aliquibus. Sicut ergo communis in figuris definitio non eſt alicuius naturæ declaratiua præter particulares figuras: ſic neq; animæ communis definitio. Signum eſt autem, quòd uno ſublato, tolluntur & reliqua: triangulo quidem, figuræ. nutritiua autem facultate, reliquæ. Quod de eis ergo communiter prædicatur, non eſt genus, ſed uox æquiuoca.

Et ideo ridiculum quærere communem definitionem & in his, & in alijs: quæ nullius eorum, quæ ſunt, propria eſt definitio: non autem ſecundum propriam, & inſectilem ſpeciem, eiuſmodi dimiſſa. Ei autem, quod eſt de figuris, conſimiliter habent, & quæ ſunt circa animam. Semper enim in eo quod eſt deinceps, ineſt quod potentia prius eſt, & in figuris, & in animatis. vt in quadrangulo quidem triangulus: in ſenſitiuo autem nutritiuum. Quare ſigillatim quærendum eſt, quæ ſit vniuſcuiuſq; anima: vt quæ plantæ: & quæ hominis, vel animalis.

Quomodo ergo tradidiſti ipſe communem in omni anima definitionem, quæ nullius ſit animæ propria? Sed hoc non dicit, quòd non oportet communem tradere definitionem, ſed quòd non oportet hoc ſolum quærere: neq; exiſtimare ſatis eſſe communis definitionis traditionem, ad nobis declarandam propoſiti ſubſtantiam: ſed & ſpecialiſſimarum ſpecierum definitiones tradere oportet: ſi quidem uniuſcuiuſq; eſt ſubſtantia ſecundũ ea, quæ propriè inſunt. Hoc ergo ſummatim dicit, quòd ridiculum eſt ſola communi definitiõe contentum eſſe, relicta uniuſcuiuſq; propria. Etſi enim maxime ſeparata, & communis eſſet animæ ſubſtantia: non oporteret Phyſicum in eius definitione manere: ſed uniuſcuiuſq; animæ ſpecialiſſimam quærere cum ei ſubiecta materia. Quemadmodum neq; in communis animalis conceptione manere oportet, ſed & de ſpecialiſſimis conſiderare: nunc autem multo magis, quando neq; genus ſimpliciter eſt anima. Quòd ſi non eſt genus: neq;, quæ eam explicat, oratio definitio eſt. Rerum autem ſubſtantias per definitiones dicimus. Ridiculum ergo Phyſicum ad communem uſq; rationem ſubſiſtere. Sed quemadmodum Geometer, cùm communiter figuram definiſſet, addidit ſpecialiſſimas uniuſcuiuſq; earum, quæ ſubſiſtunt, figurarum definitiones: ſic & nos oportet, cùm communiter animæ figuram tradiderimus, ſeorſum quoque de unaquaq; animali ſubſtantia uerba facere. Semper enim in eo, quod eſt deinceps, ineſt quod natura prius eſt, & in quadrangulo ineſt triangulus potentia. Si enim adiunxeris lineam, ut dicebam, diagonalem: duos triangulos facies rectangulos. Et in animabus, ubi eſt, quod ſecundum locum motiuum eſt, illic omnino & ſenſitiuum. Vbi autem hoc, illic & nutritiuum. Non item ubi priora, illic & poſteriora. Etenim nutritiuum ſine alijs eſt in plantis. & triangulus abſq; figuris, quæ ſunt deinceps. In eis ergo eſt prius & poſterius. Non ſatis ergo erit ratio communis: ſed & uniuſcuiuſq; ſeparatim quærenda eſt definitio.

Propter quam autẽ cauſam ordine, & ſerie ſic habeant, conſiderandum. Sine nutritiuo enim ſenſitiuum non eſt. A ſenſitiuo autem ſeparatur nutritiuum in plantis. Rurſus verò ſine tactiuo, aliorum ſenſuum nullus eſt. Tactus autem ſine alijs ineſt. Multa enim animalia neq; viſum, neq; auditum habent, neq; omnino olfactus ſenſum.

Vult hinc ordinis cauſam reddere facultatum naturalium, quam ob cauſam poſteriores quidem non ſunt ſine prioribus: priores autem ſunt etiam ſine poſterioribus. Sed prius quàm tradat cauſam, prius in quonam ſint ordine proſequitur. quòd ſenſitiua quidem non ſine nutritiua: nutritiua autem ſine ſenſitiua. Rurſus in ſenſitiua aliæ quidem ſine tactiua eſſe non poſſunt. ipſa autem eſt ſine illis. & , ut ſemel dicam, pretioſiores nõ ſunt ſine deterioribus: ipſæ autẽ ſine illis eſſe poſſunt. Vt ſpongiæ quidẽ, & urticæ, & ſi quid ſimile, ſolius ſunt tactus, ut aiũt, participes. Hiatulas autẽ, & oſtrea præter eũ, guſtum quoq; habere dicũt. Paſcuntur enim, & uidetur in eis, quod cum ore, & uentre conuenientiam, & proportionem habet. Quòd ſi os, neceſſario quoq; guſtatiua facultas. olfactum autem non habẽt, neq; enim eſcam attingere cernũtur. Purpuræ autem & præter eas quoq; odoratiuam habent: eſcam enim eas ſequi dicũt: auditum autem non habent: neq; à ſtrepitibus ullo modo affici cernũtur. Alia aũt præter has tres auditũ quoq; habent, ut talpæ. Oculis enim priuatæ ſunt: uel potius eas Ariſtoteles oculos dicit habere, oculos enim cernuntur habere ſub pelle, idq; uidetur natura ideo excogitaſſe, quòd, cùm hoc animal ſub terra uiuat, terram fodiens, & ea ratione ſibi uictum comparans, ne eius ergo oculi lædantur dum terram fodit, eos natura pelle cõtexit. Omnibus enim, quæ ſecundum locum mouentur, animalibus neceſſario natura oculos quoq; ſuppeditauit: ne ad ſui incõmodum & detrimentum ſecundum locum motũ habeant, cùm per præcipitia ferantur. Atq; in aquatilibus quidem eſt inuenire, quæ oculis carent, cùm non tantum eis ſit incommodũ, quòd in aqua uitam agant. Quare ubi eſt uiſus, illic & reliqui. Similiter ubi auditus, & qui ſunt deinceps & in reliquis ſimiliter. Non itidem autem ultimos primi quoq; conſequuntur. ſtatim autem poſt ſenſus, appetitiuum ordine collocatum eſt, etiam ſi unius ſolum ſenſus fuerit: & eſt ſupra id, quod eſt ſecundum locum motiuum. Deinde & imaginatiuum, quod non eſt eis conſequens, qui ſecundum locum mouentur. Formicæ enim, & apes, & eiuſmodi, ſunt, ut in confeſſo eſt, imaginationis participes. Vermes autem, & ut ſemel dicam, quæcunq; inordinato motu mouentur, imaginationem non habent. ſiquis autem & hanc conceſſerit, imbecillam quidem certe habent, & obſcurã, & quæ ne cognoſci quidem poſſit, an ſit. Idem ordo eſt & in reliquis rationibus facultatibus. Rationi enim conſentaneũ eſt cœleſtia cogitatione uti, ut uitæ eorum ordo, & ſeries expoſcit: quoniam ab eis corpora ambiuntur. opinione autem utuntur, non ea, quæ eſt ſine ratione: ſed concluſione cogitationis. Vegetatiuæ aũt facultates, nutritiua quidẽ, & auctiua, alteræ alterã omnino conſequuntur, & ſi non ſemper: tempore enim auctiua deſinit, manet autem nutritiua. Genitiua autem non omnibus ineſt, quibus ineſt auctiua, & nutritiua. Multa enim animalia ea priuata ſunt, ut uermes, & omnia, quæ ex putrefactione fiunt. & multæ etiam herbæ, quæ ſponte naſcuntur, ſemen non ferunt, etiã ſi nutriantur, & augeantur. Omnino autẽ ad meliores deteriores ſequuntur, ut ipſe dixit. Nam æterna, eo ipſo, quòd ſunt æterna, uegetatiuæ reliquerunt, quæ quod in mortalibus effluit, reficiunt & inſtaurant. Ira quoq; & cupiditas,

ditas, cùm nihil ſit incommodans, quod arcere, & ulciſci oporteat. Vnde neq; talibus ſunt inſtrumentis prædita, qualibus, &, quæ ſunt eiuſmodi facultatibus donata, ſed ad rationem animalis uitæ. Et irrationalium quidem corpora prona ſunt & obliqua propter uitæ breuitatem: hominum autem recta, & ſuperius orbiculata, ut ſuperius dictum eſt: illud quidem propter irrationalem: hoc uerò propter rationalem uitam, rectitudine oſtendente, quod à rationalibus dependere oporteat, & ad eas inclinare. Cœleſtium autem ſolùm ſunt orbiculata corpora, ut quæ eorum intellectiuæ ſunt uitæ imitamenta, ſecundum quam, formam, & figuram accipiunt. Eorum autē cauſas dicet deincept.

32 Et ex ſenſitiuis alia quidem habent, quod eſt ſecundum locum motiuum: alia autē non habent.

Sicut, quæ ſenſum habent, nutritiuam quoq; facultatem omnino habent: ſic &, quæ habent id, quod eſt ſecundum locum motiuum, ſenſum quoq; omnino habent: quoniā id eſt ſenſu melius. non itidem autem, & quæ ſenſum habent, id quoq; habēt, quod eſt ſecundum locum motiuum: eiuſmodi ſunt plantanima. ea enim in petris radices egerunt, & tota locū non mutant. Si itaq; motum acceperimus uniuerſalem: contingit, ut ſenſum quidem aliquem res habeat, motum autem non habeat. Si autem ſimpliciter omnem ſecundum locum motum, omnino ubi ſenſus, & ſolus tactus, illic & ſecundum locum motus generalis uel particularis. Propterea enim dedit natura hunc ſenſum: ut ad iucunda quidem & utilia procedat: ea autem, quæ lædunt declinet, eorum ſimul ſenſum accipiens, id, quod eius eſt particeps. Cernuntur itaq; ſpongiæ, & cochleæ, & alia plurima, eo quidem, quod eſt durum, & quod reſiſtit, tangente, cōtrahi: humido uerò diffundi & extendi. Sic ergo propterea ſenſus datus eſt, ut ad id quidem, quod eſt ſibi cognatum, & gratum, ſe applicet: declinet autem quod nocet. ſe autem applicare & declinare ſunt motus ſecundum locum.

Poſtremum autem quod & minimum, ratiocinationem, & cogitationem.

Vt homo, & ſiqua eſt alia huiuſmodi ſpecies. Ratiocinationis autem, & cogitationis meritò minimum habet. Quò magis autem res uni omnium principio accedunt, quantitate quidē minuuntur, excedunt autem potentia. Quo fit, ut & ea, cùm ſit extra numerum, ſit omnipotens. Quare &, quæ ſunt eis propinquiora, quantitatem quidem contrahunt, augent autem potentiam. Propterea ergo, quæ ratiocinationis, & cogitationis partem ceperunt in mortalibus, minima ſunt numero: & ideo ſunt potentia maxima.

In quibus enim ex corruptibilibus ineſt ratiocinatio, iis reliqua quoque omnia. Quibus autem eorum vnumquodq;, non omnibus ratiocinatio.

Neceſſariò addidit ex corruptibilibus. In corruptibilibus enim omnibus inſunt omnes prædictæ animales facultates, & dictus earum ordo. Diuina autem, & immortalia ratiocinationē quidem habere uidebuntur: aliarum autem facultatum nullam. Ad uſum enim & mortalium ſalutē omnes illæ fuerunt. Ratiocinationem autem dicit cogitationem. Non eſt autem mirandum diuiniora quoq; animalia, ut cœleſtia, propter corporis connexionem, uti quidem cogitatiōne eorum uitæ conueniente: non ſicut ea, quæ apud nos eſt, quæ ex dubitatione ad eius ſolutionem aſſequendam procedit, & à quæſtione ad inuētionem. Sed quærit, per quædam prima colligens ſecunda, tantum differēte eiuſmodi cogitatione à mente, quòd hæc quidem ſola applicatione cōprehēdit, quod cognoſci poteſt: illa uerò tranſitu aliquo indiget: nō ſine tamē negotio & dubitatio, & quæſtio præceſſerūt.

Sed illa ne imaginatione quidem: hæc verò ea ſola viuunt.

Eorum enim, quæ rationem non habent, quæ ſunt perfectiſſima, ſecundum imaginationem uiuunt. Illud autem, Hæc ſola uiuunt, dixit, ut ratiocinationi opponatur, et ab ea diſtinguatur. Nam & ſenſu quoq; uiuunt: ſed unumquodq; ſecundū id, quod in eo eſt pretioſiſſimum, formam & figuram habet. Nonnulla autem etiam eorum, quæ ſenſu prædita ſunt, imaginationē non habent. Hoc enim dicere uidetur. eſt autē dubia, & anceps oratio. Si enim, quæ ſenſu prædita ſunt, appetitum quoq; habēt: eſt autem appetitus abſentium: præſentis enim non eſt appetitus: quod autem non eſt præſens appetere, fit per eius ueluti typo expreſſam repræſentationem: quomodo fieri poteſt ut, quæ appetitum habeant, idem eſt autem dicere ſenſum, imaginationem quoq; non habeant? Eorum autem rationē exactius quæremus: quando de imaginatione tractare aggredietur philoſophus. De ea enim diſſeret & hic quoq;: maximè autem in tertio libro. Poteſt autem ſimpliciter dicere quædam imaginationē non habere, quæcunq; neq; ſenſum, ut plantæ.

De contemplatiua autem mente alia eſt ratio.

Hic quoq; clarum eſt eum mentē ſeparare, & non cum aliis animæ facultatibus connumerare. Hic autē rurſus dicit Alexander eum de diuina mente in æternis dicere. Sed ea non longe abſunt, quæ de illa ab eo dicta ſunt, ubi dicebat, Sed de mente, & contemplatiua facultate nihil adhuc apertum. Videtur autē animæ aliud eſſe genus, et hoc ſolū cōtingere ſeparari. Propemodū autē hic quoq; eadē dicit. Illic enim dicebat, Nondū eſt apertū: Hic uerò, alia ratio. Atqui nō dixerit quiſpiā ea de diuina mēte dici. Neq; enim ab illis ſeparatur corporibus, ſiquidē ſunt æterna. Deinde, etiam ſubiunxit, Reliquæ autē partes animæ, ab his uidelicet diſtinguens. Si autem illæ non ſunt earum facultatum participes, ut nuper dictum eſt: noſtra mens eſt, ſcilicet, ſeparabilis à corpore, in quo eſt, & eſt pars totius animæ, quæ eſt in animali. alioqui & ipſe in ſequenti libro, morali nempe tractatu, dicit, quòd actiua mens noſtra eſt, & nō diuina. noſtræ enim ſunt ſecundum mentem actiones. Hæc autem eadem eſt cum contemplatiua ſecundum ſubiectum, ſolo fine differens. Non autem dixerit de diuina mente, dicens, De cōtemplatiua autem mente: ſed de noſtra. Pulchre autem dixit de ea aliam eſſe rationem. Vt enim ſæpe dixi, ipſe inquit, & in libro de partibus, & in quarto Metaphyſicorum, quòd naturalis eſt philoſophi diſſerere de anima, non omni, ſed quæcunq; non ſine materia. Quoniam ergo contemplatiua mens eſt, meritò ait aliam eſſe de ea rationē. Eſt enim Theologi de formis ſeparabilibus diſſerere. Sed tamē, ſicut conſueuit, quemadmodum in Phyſica in fine ſeipſum erexit ad ſeparabilem naturalium rerum cauſam, de immobili cauſa diſſerens: ita & hic poſtquam de aliis diſſeruerit, ſeipſum quoq; ad mentem extollet. Neceſſariò autem addidit contemplatiua. Etſi enim eadem eſt cum actiua ſecundum ſubiectū: ſed ut actiua tamen, habet inſeparabiles corporis operationes. Circa id enim omnis actio. Quare mens ſeparata, non ut actiua ſeparatur. ea enim ratione eſt inſeparabilis, ſed ut contemplatiua: propterea de contemplatiua dixit.

Quòd itaq; de corū vnoquoq; oratio, ipſa quoq; eſt tractatui de anima accommodatiſſima, & maximè propria, clarum eſt.

Oſtendit enim, quòd in quibus communis definitiua oratio non eſt propria quædam natura præter ea, de quibus prædicatur, ridiculum in communi definitione inſiſtere: ſed & doctrinam aſſumere oportet de unoquoq; eorum, quæ ſignificantur à communi definitione. Quoniam ergo eiuſmodi eſt communis

*animæ definitio: neceſſe eſt eum, qui de anima diſſerit, de unaquaq; animali facultate uerba facere. Neceſſe eſt autem & eum, qui de iis eſt conſideraturus, quid eſt eorum unumquodq; aſſumere, tradita communi animæ definitione: & poſtquam oſtenderit deinceps, quòd non oportet uſq; ad communem definitionem ſiſtere: ſed ſeorſum de unaquaq; animali facultate diſſerere: quod enim de eis communiter prædicatur non eſt genus: eſt enim in eis prius, & poſterius. In quibus enim ſunt præſtantiores, ut rationalis, in iis & reliquæ: non autem uiceuerſa. Similiter autem & in partibus: ſicut in ſenſitiua, quæ aliquā ex aliis ſenſitiuis facultatibus habent, tactum quoq; omnino habent: quæ autem tactum, non omnino & aliquam aliam: ſpongiæ enim, & urticæ, & ſiquid eiuſmodi, ſolum tactum habent: cernuntur enim, cùm aliquid attingit, uel contrahi, uel diffundi. Quoniam ergo de unaquaq; animali facultate oratio neceſſaria eſt: oportet, inquit, eum, qui de his eſt tractaturus, quærere quænam ſit uniuſcuiuſq; ſubſtantia. Deinde, inquit, & de iis, quæ cohærent: id eſt de iis quæ propriè, & per ſe accidunt. Per ſe autem accidentia dicit, quæ eis facultatibus ineſſe in confeſſo eſt. Ea enim ad aſſumendam definitionem, & ſubſtantiam cōferunt. ut quòd uiuere, corpori à uegetatiua ineſt: quòd eſt in eis prius, & poſterius: quòd ſenſus, qui maiora ſenſilia apprehendunt, minora apprehendere nequeunt. Qui enim uehementiores ſuccos, & qui nimis feruunt, guſtauerit, leniores non ſentiet. & qui maiores ſtrepitus audiuerit, minores non percipiet, ut ſuſurros. Similiter &, qui ſolem intentis aſpexit oculis, legere non poteſt, neque alia exactè uiſibilia apprehendere. Similiter &, qui in tactu ualde frigidum, uel calidum attigerit, tepidum nō ſentiet. Mens autem contra habet. Quo enim maiora intelligibilia apprehendit, eo exactius circa minorum apprehenſionem uerſatur. Et ſenſus quidem, ſenſilium exceſſus corrumpunt. luminis enim uel tenebrarum exceſſus uiſum corrumpit. Similiter & in aliis. Mentem autem maiorum intelligibilium apprehenſio perſpicaciorem facit. Hæc ergo, quæ per ſe animalibus facultatibus accidunt, & quæ in confeſſo eſt his eſſe ſimilia, ad ſubſtantiam aſſumendam, & definitionem conferunt. Dicit autem ipſe, quòd poſtquam de ſubſtantia dictum fuerit, de iis quoq; quæ ſubſtantiæ cohærent, dicere oportet, de incertis & obſcuris dico per ſe accidentibus, quæ quidem ex ſubſtantiæ inuentione apparent: ut an ſeparabilem habeat ſubſtantiam, an inſeparabilem. ex tradita enim definitione inueniemus, quòd inſeparabilē. & utrum mortalis an immortalis. Illud autem, De iis, quæ cohærent, ſiue de iis, quæ per accidens inſunt, ut an mouetur per accidens, & an in loco eſt. Vel cohærentia quidem dixit, quæ propinquius propriè accidunt, ut ſeparabile, uel inſeparabile: alia autem, quæ longius, ut mortale an immortale. uel quòd aliqua quidem per ſe apprehendunt: aliqua autem per accidens: ut uiſus per ſe quidem colores. per accidens autem fortaſſe figuras.*

Neceſſe eſt autem eum, qui de iis eſt verba facturus, accipere quid eſt eorū vnūquodq;: deinde ſic de cohærentibus.

*Hinc doctrinæ formam uult exponere, qua de unaquaq; uſurus eſt animali facultate. Cùm enim prima quidem ſit facultas: ſecunda autem operatio: prius quidem de animalibus operationibus diſſerit: deinde de facultatibus, eo quòd ſint manifeſtiores facultatibus operationes: & adhuc ante hæc de iis, quæ opponuntur facultatibus. Opponuntur autem ut ad aliquid. Nutritioni enim nutrimentum opponitur. Nutritio enim nutrimento nutrit, & nutrimenti eſt nutritio. Similiter uiſus uiſibilis uiſus. & in aliis ſimiliter. Hod ipſum ergo uult confirmare, quòd doctrinam ab oppoſitis, utpote manifeſtioribus, oportet incipere.*

Si autem dicere oportet, quid eorū vnumquodque, vt intellectiuū: vel ſenſitiuum: vel nutritiuum: prius adhuc dicendum eſt, quid intelligere, & quid ſentire.

*Si de animalibus, inquit, facultatibus tractare oportet, idem eſt autem dicere de ſubſtantiis: qui enim nouit facultatem, ſubſtantiam quoq; nouit: nouit enim, quòd ſubſtantia eſt incorporea, in ſubiecto corpore talem habens facultatem. Quoniam ergo, inquit, de facultatibus tractare oportet: facultatibus autem priores ſunt operationes: neceſſario de operationibus dicere primum oportet.*

Facultatibus enim priores ſunt operationes, & actiones ſecundum rationem. Quòd ſi ſic, & iis etiam adhuc priora oppoſita ſeu obiecta conſiderare oportet: de illis primum definiendum fuerit propter hanc ipſam cauſam.

*Addidit, quòd ratione. Tempore enim facultates ſunt actionibus priores. Operationes utique tempore quidem ſunt ſecundæ: ratione uerò priores, id eſt doctrina. Nobis enim apertiores ſunt operationes facultatibus. Vbiq; autem oportet ab apertioribus initium ſumere. Vel, ut ait Alexander, ratione, id eſt perfectione. Perfectio enim eius, quod eſt potentia, ipſa eſt operatio. Huius enim cauſa facultas eſt ſeu potentia. Illud autem cuius cauſa, prius eſt eo, propter quod illud. Cuiuslibet enim finis tempore quidem eſt poſterior: ratione uerò prior. Prępoſito autem rationi fine, ſic, quæ ad ipſum ſunt, inquirimus, & præparamus. Et natura quidem omnia propter aliquid facit. Et ſi enim non nouit, quæ facit: neq; de iis proponit: ſed naturaliter tamen ad aliquem finem refertur eius operatio. Meritò ergo prius quàm de facultatibus loquatur, de operationibus prius tractabit: ut quæ noſtræ cognitioni ſunt priores, quòd ſint apertiores: atq; etiam fini. Quòd ſi ſic, inquit, id eſt de apertioribus, & primis prius uerba facienda ſunt: operationibus autem apertiora ſunt, quæ eis ſunt oppoſita: de oppoſitis ergo primum uerba facere oportet. Oppoſita autem ut ad aliquid. Senſus enim ſenſilis eſt ſenſus. & intellectus intelligibilis eſt intellectus. & nutritio nutrimenti eſt nutritio. Quòd autem facultate operatio prior eſt ratione, & operatione oppoſita, & quænam in uniuerſum ſunt ratione prima, in nono Metaphyſicæ dicit. In quorum enim definitione aſſumpta quædam ſunt, ea illis priora ratione definimus. Atqui facultatem definientes operatione opus habemus. Vt uiſum definientes dicimus, facultas, ex qua uidere eſt, quod eſt operatio: non ibidem autem operationem definientes, facultate utimur. Videre enim eſt apprehendere uiſibilia, id eſt colores. Rurſus operatione ſecundum eandem rationē priora ſunt oppoſita, circa quæ operationes. Definientes enim operationem, quæ eſt in uidendo, uiſibili quoq; utimur. Videre enim eſſe dicimus apprehenſionem colorum. non ita autem in coloris definitione uidere comprehenditur. Color itaq;, ut uiſibilis quidem, eſt ad aliquid. Ad aliquid autem ſunt, quibus eſſe idem eſt, eo, quòd ad aliquid quodammodo ſe habeant. In his enim neceſſe eſt in utriuſque definitione alterum comprehendi. Vt autem color, non eſt ex iis, quæ ſunt ad aliquid. Quare non neceſſe eſt in eius definitione, Videre, aſſumi. Hæc ergo priora ſunt illis, quæ in definitione aſſumuntur. His autem adhuc priora oppoſita conſiderare oportet. & in principio libri dicebat, Quærere oportet an de iis, quæ ſunt oppoſita operationibus, prius tractare oportet. & nunc dicit, quòd ab illis doctrina eſt incipienda, ut apertioribus, & naturæ primis. Vt enim in prædicamentis oſtendit, cùm eſt quidem ſenſus, omnino neceſſe eſt eſſe & ſenſile. & ſi ſit nutritio, omnino neceſſe eſt eſſe & nutrimētum. & his ſub-*

*latis,*

*latis, neq; ſenſus, neq; nutritio erit. Senſu autem ſublato, & nutritione, ea, quorum eſt ſenſus apprehenſiuus, & ea, quibus nutriuntur, quæ nutriuntur, nihil eſſe prohibet. Etſi enim non, ut ſenſilia, ſunt ſenſu priora: ſed illi tamen præexiſtunt, ut hæc quædam. Quænam autem animalium facultatum operationibus oppoſita ſint, ut ei quod eſt nutriri, ſentire, & intelligere, ſubiunxit, De nutrimento enim, inquit, & ſenſili & intelligibili. Et in nutritiua quidem facultate primum de nutrimento diſſerit. In generatiua autem, & auctiua quoniam non inuenit oppoſitum, quod cum nutrimento conuenientiam, & proportionem habeat: neq; enim ſicut aliquid eſt extra nutritionem nutrimentum, ſic & in illis. In eo enim, quod augetur, eſt auctiua facultas: Similiter, quod generatur, ſimile eſt generanti: Quare quæcunq; de generante dicuntur, eadem & de generato: & de eo nihil oportet ſeparatim dicere: Et cuilibet apertum eſt, quòd generantis ſimile eſt, quod gignitur: nam & de nutrimento anceps eſt, ut diſcemus, oratio: propterea ergo à finibus de eis doctrinam aggreſſus eſt, de auctiua dico, & generatiua. Generatiuæ autem facultatis finis eſt, rerum diuinarum imitatio. Quoniam enim omnia primum quidem appetunt, & eam, quæ eſt in illo, æternitatem: non poſſunt autē corruptibilia, eo quòd ſunt eadem ſecundum numerum, dei æternitatem imitari: in alijs generandis, quæ ſunt qualia & ipſa ſunt, æternitatem imitantur. Finis autē auctiuæ eſt, id, quod augetur, ad perfectam, & quæ ſecundum naturam eſt, formam reducere. ad quam cùm peruenerit, perfectiſſimas naturæ operationes exercet, generatiuas autem dico operationes. A' finibus ergo ſuam de iis doctrinam aggreditur. Si quis autem exactè conſideret, nutritiuam quoq; à fine docuit: ut eius declarat definitio. Sic enim illam definit. Facultas, inquit, eſt, quæ ſeruare poteſt, quod illam habet, ſicut eius eſſe eſt: hominem, quatenus eſt homo, & reliqua.*

Vt de nutrimento, & ſenſili, & intelligibili.

*Ante nutritiuam enim facultatem, quid eſt nutrimentum docebit. & ante ſenſitiuam facultatem, quid eſt ſenſile. Non ita autem & de intellectu docturus, prius diſſeret de intelligibili. Hic enim oppoſitum eſt obſcurius, dico autem, Intellectu intelligibile. Sed quoniam hæc nondum dixit, dico autem de doctrina omnium animalium facultatum: propterea adiecit, Et de intelligibili, ne perturbet doctrinam: quoniam, ut dixi, non eodem in eis ordine utetur.*

34 Quare primum de nutrimento, & generatione dicendum.

*Quoniam primum eſt natura nutritiua facultas, ut ſæpe dixi: dicit autem oportere ante facultates de operationibus dicere: ante operationes autem de oppoſitis: ad quæ operationes eſſe habent: ei autem, quod eſt nutriri, nutrimentum opponitur: quod enim nutritur, nutrimento nutritur: propterea rurſus incipiens ab ea, quæ eſt de nutritiua anima, oratione, de nutrimento primum ait oportere dicere. Nutritioni autem generationē coniunxit, utpote cùm nutrimentum gignendi quoq; cauſa ſit. Semen enim eſt nutrimenti excremētum. Generationem autem, quod generatur, dixit. hoc enim ei, quod eſt generare, opponitur. Quod enim generat, quod generatur, generat. De generatiua ergo dicturus primum de oppoſito dicendum eſt. non eſt autem, ſicut dicebam, quod generatur, ut oppoſitum: ſed magis ad finem. Hoc enim ſibi, tanquam ſcopum, proponit natura permanſionis gratia, ut aliud faciat, quale ipſum eſt. Nihil uerò prohibebit & ipſum tanquam ſubiectum conſiderare: quando, ut, quod generatur, ſolum conſideratur. Neque enim generationem eſſe contingit ſine eo, quod generatur: neq;, quod generatur, ſine generatione. Sicut ergo ædificatio ædificabilis eſt ædificatio: & ſenſus ſenſilis ſenſus: ſic & generatio generabilis eſt generatio. Et ſicut ædificationis finis eſt perficere ædificabile, id eſt domum facere: Sic & generationis facere aliud, quale eſt generans. Sicut ergo domum nihil prohibet, & ut oppoſitum, & ut finem conſiderare ædificationis: ut hoc ipſum quidem, domum, id eſt tegumentū, quod arcet à pluuijs & æſtibus, finem: ut autem ædificabile, donec ædificatur, oppoſitum. Sic & generationis, id quod generatur, ut, quod adhuc generatur quidem, oppoſitum. Vt enim ædificatio ad ædificabile: ſic generatio ad generabile. Vt autem iam generatum, ad finem. Idem & in auctione, & eo quod poteſt augeri, & eo quod auctum eſt.*

Nutritiua enim anima alijs quoq; ineſt: & prima, & maxime communis eſt animæ facultas: per quam viuere ineſt omnibus. Cuius opera ſunt generare, & vti nutrimento.

*Hinc deinceps incipit eam, quæ de uegetatiua eſt anima, doctrinam aggredi. Nutritiuam hic animam, uegetatiuam dicit, Quoniam ante facultates de operationibus prius tractare oportet: ante operationes autem de oppoſitis: animalium autem facultatum uegetatiua prior eſt: eo quòd, quæ alias habent animales facultates, eam quoq; habent: quæ autem eam habent, non alias quoq; habent: propterea primum de nutrimento, & generatione neceſſe eſt dicere. Hæc enim ſunt animæ uegetatiuæ opera: de qua primum tractandum eſt, ut maximè communi. Secundum eam enim uiuere ineſt omnibus uiuentibus: ut animalibus eſſe ſecundum ſenſum. & prius quidem, ut iam dixi, de generatiua uerba facit: cuius ſunt opera generare, & nutrimento uti. Vides, quòd illud, Nutritiua enim anima, dixit, pro eo, quod eſt, uegetatiua. Sic enim, Nutritiuæ, inquit, ſunt opera generare, & nutrimento uti, pro eo, quod eſt nutrire.*

Eſt enim maxime naturale eorum, quæ in viuentibus ſunt, operum, quæcunq; perfecta, & non manca, vel generationem non habent ſpontaneam, facere alterum, quale ipſum: animal quidem animal: plantam autē plantam: vt, quod ſemper, & diuinū eſt, aliqua ex parte habeant, quatenus poſſunt. Omnia enim illud appetunt: & propter illud agunt, quæcunque ſecundum naturam agunt.

*Ecce generatiuæ facultatis principium à fine cœpit, docens quiſnam eſt eius finis. Maximè naturale autem, id eſt, finis, quē ſibi tanquam ſcopum maximè proponit natura, ut aliud faciat, quale ipſum eſt. Quæcunq; ergo uitam habent, niſi uel manca fuerint, ut eunuchi: uel non perfecta, ut recenter nata: uel niſi ſpontaneam habent generationem, ut, quæ ex putredine fiunt, ut uermes, & pulices, & cimices, & eiuſmodi: habent à natura finem, quem ſibi maxime proponunt, ut generent alterū, quale ipſum. Muli autem, & ſi quid eſt eis ſimile, ſunt & ipſi ueluti manci. Neutram enim ſpeciem ſeruant: quare neq; ex ſe ipſis inter ſe habent generationem. Narrant autem, quod, cùm quandoq; mulæ concepiſſent, abortum fecerint: cùm non poſſet, quod erat conceptum, natura perficere: eo quòd neutra ſit pura, & integra natura: neq; enim equi, neq; aſini: ſed utraque eſt mutila. Non omnia autem concipiunt, quæ ex putredine fiūt. Refert enim Ariſtoteles in libro de hiſtoria animalium piſces quoſdam ex putredine gigni, qui etiam concipiunt. Atq; apes quidem, quæ ex taurinorum corporum putredine gignuntur, ſimiliter generant, ceris ſemen immittentes. Deinde & cauſam adiungit, propter quam maximè naturalis eſt finis uiuentibus alterum facere, quale ipſum. Vt enim, inquit, id, quod ſemper eſt, & diuinum, aliqua ex parte habeant, quatenus poſſunt.*

*Videntur enim omnia, quæ natura cõſtant, eius, quod rerum eſt primum, & optimum, deſiderio teneri, dico autem diuini. Quare unumquodq;, quatenus poteſt, imitatur eam, quæ eſt in primo, æternitatem. Dubitauerit autem quiſpiam: ſi eſt maximè naturale omnibus uiuentibus facere, quale ipſum: unumquodq; eſt autem ſimilis generatiuũ: an etiam in irrationali anima continget eſſe generatiuam facultatem: & ſenſum ſenſum gignere: iram iram: & in reliquis ſimiliter: an uegetatiuam eſſe irrationalis generatiuam, ut ſit ex deteriore melius: quod eſt abſurdũ. Nunquid autem dici poteſt, quòd quemadmodum abſciſſus ramus in ſeipſo habet indiuiſibiliter naturales omnes facultates: & quemadmodum inſectorum partes etiam à totis abſciſſæ, in ſe habent ſenſitiuam facultatem, & ſecundum locum motum: ſic & in ſemine, quod eſt ex animalibus, indiuiſibiliter inſunt rationes animalium facultatum. non enim uitæ expers & mortuũ egreditur. Sed ſi hoc datum fuerit, quòd irrationalis quoq; animæ rationes ſunt in ſemine: quæ cùm augentur, uel ad perfectionem deducuntur, irrationalis anima tunc in corpus inditur: nec illa irrationalis animæ ſubſtantia extrinſecus & aliunde in corpus adſciſcitur: multa eorum, quæ ſunt in cõfeſſo, ſubuertemus. Conſideretur autem, ut in homine, quod dicitur. Fertur humanæ animæ ad generationem deſcendenti, prius quàm in hoc corpus deciderit, ei adtexi ſpiritũ, & illas, quæ ſunt in eo, irrationales facultates. Quòd ſi hoc uerũ eſt: neceſſe eſt ante ſemen præexiſtere irrationalem animam. Si enim in ſemine generationem habet: falſum eſt, quod dictum eſt. & ſi in ſpiritu eſſe habet, & poſt animalis diſſolutionem remanet, fieri non poteſt, ut in ſemine ſint eius rationes. in illo enim eſſe quoq; habebit. Rationi autem conſentaneum eſt, ut & poſt corpus manens, ante ipſum quoq; exiſtat. Nunquid autem, quemadmodum animalium, quæ ſponte naſcuntur, & plantarum generatio, non ex anima, quæ præexiſtit, ſucceſsione fit: ſed & apta exiſtẽte materia, ab uniuerſo opificio, herbarum, & animalium ſpecies in eam immittuntur, &, quæ in ipſo ſunt, animales facultates: ſic & in irrationali anima, quæ eſt in omnibus animalibus, cùm ea ex uniuerſo opificio ſubſiſtant? Generatiua ergo facultas non eſt irrationalis animæ: nulla eſt dubitatio. neque enim generatiua ei facultate opus eſt, quæ ſecundum numerum habet æternitatem. Sed ſi omnia, quod ſemper eſt, appetunt: & animatis propterea inſita eſt generatiua facultas: quomodo in inanimatis procedet oratio? neq; enim generatiuam habent facultatem. Dico ergo, quòd in eis quoq;, pro modo eorum, talem operationem licet intueri. Quemadmodum enim in animatis non ſimile eſt eiuſmodi deſiderium: ſed in animalibus quidem, quæ electiuum habẽt motum, appetitus quoq; à natura immittitur generatiuæ facultatis, qui, ueluti œſtro perciens, animalia commouet, & ad talem operationem cogit: & in his ipſis plurima eſt differentia. Homo enim ſimul etiam, quod fit, inquirit: dico autem, quòd ſucceſsionis gratia tales nobis inſunt operationes. In plantis autẽ, & arboribus, cùm electionis expers motus ſit, ſpontanea generatiua operatio procedit: ſic non eſt mirum, ſi etiam in inanimatis appareat remiſſa talis facultas. Itaq; & elementa, quæ in ſe inuicem agunt, quod dominatur, & eſt potentius, in ſuam ſpeciem mutat, quod eſt imbecilius, & quod uincitur. Frigidum enim à calido ſuperatum in ipſum mutatur. Similiter & ſi calidum à frigido ſuperetur. Et in ſicco, & humido ſimiliter. Quoniam enim elementa non ſunt incorruptilia, eadẽ cauſa ſi fuerit à calido corruptum frigidum, fit alibi uicaria eius loco repoſitio, ſuperante frigido, ut conſeruentur ſpecies. Et corrupta quoq; metalla in alterius locum rurſus reponuntur. Etſi enim ne hic quidem lapis alium ſibi ſimilem generat: ipſa tamen metalli uniuerſitas, ſiue, ut ita dicam, totitas generatiuam habet facultatem. Similis eſt enim hic lapis alicui animalis parti: ipſa uerò metalli uniuerſitas toti animali. Etenim & in animalibus, in totis eſt generatiua facultas, non in partibus. & ſicut in animalibus, carne aliqua ablata, pro ea aliam generat natura: ſic & in metallis pro ablato aliud reponitur.*

Illud autem propter quod duplex eſt. Hoc quidem cuius gratia, illud verò cui. Quoniã ergo eius, quod ſemper eſt, & diuinum, continentia & perpetuitate particeps eſſe non poteſt: quòd nihil corruptile contingat vnum & idem numero permanere: qua ratione particeps eſſe vnumquodq; poteſt, ea quoq; ratione communicat: hoc quidem magis: illud veró minus. & permanet non ipſum, ſed quale ipſum: numero quidem non vnum: ſpecie veró vnum. Quare ſemen, animalium, & plantarum eſt inſtrumentum.

*Illud autem, cui conſequens eſt eſſe maxime naturale uiuentibus, ut quale ipſum generent, fit, eo quòd omnia primum appetunt, & illius æternitatẽ: & quoniã omnino finalis cauſæ meminit, propterea, inquit, quòd illud, propter quod, id eſt finis, duplex eſt: hoc quidem cuius gratia: illud uerò cui: quod & in poëtica, & in libro de generatione dixit. Quemadmodum dico, Domus ædificator finem habet, ut faciat tegumentum imbrium & æſtuum prohibitiuum: hic finis cuius gratia eſt. Tegumenti enim gratia domum facit. habet autem & alium finem, nos uidelicet. hoc enim tegumentum nobis facit. Sumus ergo, & nos domus ædificatoris finis, ut cui. Sicut ergo hic: ſic & in omnibus, quæ natura conſtant, duplex eſt finis. eius enim, quod diuinum eſt, deſiderium, propter quod unumquodq; animatũ facit aliud, quale eſt ipſum, eſt finis cuius. huius enim gratia generatio. Quoniam enim corpora ſunt animis inſtrumẽta: animæ ſunt fines, ut cui. Cum artifice autem domus extructore, conuenientiã & proportionem habet natura: cum homine uerò tegumẽtum fieri iubente anima. cum corpore autem domus. Non ſolum autẽ in animalibus duplex eſt finis, cuius, & cui: ſed & in plantis. Et in his enim natura inſtrumentariam facit corpus: quod refertur ad uſum eius, quæ in eis eſt, animæ. Inſtrumẽtariæ enim ſunt plantarum quoq; partes: radix: cortex: medulla: & folia: & eiuſmodi. In animatis ergo duplex eſt finis, ut dictum eſt: in reliquis autem non eſt itidem inuenire duplicem finem. Metalla enim, & lapides, &, ut ſemel dicam, inanimata, quæ à frigiditate quidem & caliditate proximè fiunt, ſed ab uniuerſo opificio, ſeparatè, unum habent finem, cuius gratia. propter mundi enim fabricam. non itidem autem, & cui, ut finis eſt in eis. neq; enim ſunt aliquorum inſtrumenta: neq; ad aliquarum uſum animarum comparantur. Magis autem eſt, ut duplex finis, in omnibus communiter conſideretur. & eſt, ut cuius finis, communiter rerum omnium naturalium, & artificialium, boni deſiderium. Boni enim gratia & natura, & ars omnia agit. finis autem cui, ornandæ materiæ gratia. eſt enim finis forma quoq; ſimpliciter abaci, uel animalis, quod eſt ornare materiam, & boni deſiderium, propter quod hæc fiunt: uſus fortaſſe, uel diuinitatis imitatio. Notant autem hic, quòd ſcopum Ariſtoteles finem dicit. Cuius enim deſiderium, hic ſcopus eſt. & propterea duplicem finem dixit. Appetitum autem communius dixit. Propriè enim in ſolis ſenſum habentibus appetitus, ut ſuperius dixit. Plantæ autem appetitum non habent, quoniam neq; ſenſum. Appetitum ergo dicit naturalem ad hoc conſtitutionem. & ſicut, ſcilicet, ignem, quod ſurſum eſt, appetere dicimus, & ſic ad illud tendere. Omnino ergo, quæ naturalem hunc impulſum & appetitum habent, primi æternitatem appetunt. Et quoniam corruptilia,*

lia, inquit, non poſſunt eadem numero manere: faciendo alia, qualia ipſa ſunt ſpecie, ſucceſſione æternitatem perſequuntur. Hoc quidem magis: illud uerò minus. uel quod hæc quidem ſint uitæ diuturnioris: illa uerò breuioris. uel propter ea, quæ deficiunt, & non ſunt perpetuò, ſed aliquibus temporibus fiunt, ut locuſtarum genera, & ueſpæ, & culices. & ſi qua alia eiuſmodi. Magis autem proprie hoc audit aliquis, nõ de temporis diuturnitate, ſed de qualitatis participatione. Sic enim, quod reliquis animalibus longe eſt præſtantius, homo, erit longe deterioribus minus diuinitatis particeps. multa enim animalia ſunt diuturnioris uitæ quàm homo: cornices: & elephanti: & ſerpentes: & alia plurima. Non itaq; ſic illud audiendum eſt, Hæc quidem magis: illa uerò minus: ſed ſecundum qualitatem participationis. Quemadmodum & ſolis illuminationes non omnia animalia ſimiliter admittunt. Aliter enim aquila ſolaris luminis eſt particeps: & aliter homo: & aliter ueſpertilio, pro modo uiſiuæ eorum facultatis: ſic & dei illuminationes alia aliter ſuſcipiunt, ſecundum ſuæ ſubſtantiæ modos.

Eſt autem anima viuentis corporis cauſa, & principium. Ea autem multipliciter dicuntur. Sed tamen anima, ſecundum diuiſos tres modos, cauſa. Etenim vnde illi motus, ea eſt id, propter quod. &, vt ſubſtantia, animatorũ corporũ anima cauſa. Quòd itaq; vt ſubſtantia, clarũ eſt. Cauſa enim omnibus, quòd ſint,
37 eſt ſubſtantia. Viuere autẽ viuentibus eſſe eſt.

Poſtquam dixit de fine generatiuæ facultatis: & de nutrimento, & ſenſili, &, ut ſemel dicã, de ijs, quæ ſunt oppoſita animalibus facultatibus, eſt tractaturus: prius per hæc docet, quòd illi, quæ habenda eſt de anima, orationi, oppoſitorum eſt neceſſaria tractatio. Animatum enim, quatenus eſt animatum, nutritur. Quare, quòd ipſum nutriatur, ei anima cauſa eſt. Similiter & ut uita ſentiat, cauſa eſt anima: quod autem nutritur, nutrimento nutritur: & quod ſentit, ſenſile ſentit. Quare ei, qui de nutritiua & ſenſitiua anima eſt tractaturus, prius ſciendum eſt, quid eſt ſentire, & nutrire: & ei, qui illa noſſe uult, ſcire neceſſarium eſt, quidnam eſt nutrimentum, & ſenſile. Senſus enim ſenſilis ſenſus eſt: &, quod nutritur, nutrimento nutritur. ea autem ſunt ad aliquid. Eorum autem, quæ ſunt ad aliquid, qui alterum noſſe uult, ei quoq; neceſſe eſt reliquum cognoſcere. Quare neceſſe eſt, ut, qui de anima dicturus eſt, de oppoſitis quoq; dicat. Frumentum enim, ut frumentum quidem, non eſt ad aliquid. Vt nutrimentum autem, eſt ad aliquid. Similiter & lapis, ut ſubſtantia quidem aliqua, non eſt ad aliquid: ut autem uiſibilis, ad aliquid eſt. Viſibile enim eſt uiſu uiſibile. Vnde ergo hoc eſt, quòd anima nutrimenti, & ſenſus corporibus cauſa eſt, ut adeò neceſſariò oſtendatur de eis eſſe dicendum, hoc oſtendit per propoſita. Cùm enim cauſæ, inquit, multis modis dicantur: Vel enim materialis cauſa eſt: uel formalis: uel finalis: uel effectiua: Cùm ergo quatuor modis cauſæ dicantur: ſecundum tres modos oſtendit cauſam eſſe uiuentibus animam: & ut formam: & ut finem: & ut effectiuam. Quòd enim non materialis cauſa anima eſt, clarum eſt. Et quòd anima quidem, ut forma, uiuentibus cauſa eſt, duobus argumentis oſtendit. Illud enim, ut ſubſtantia, ei formam ſignificat. Anima, inquit, uiuentibus uiuendi cauſa eſt. Quæ autẽ uiuunt, quatenus uiuunt, eſſe habent. Quicquid autem eſt, quatenus eſſe habet, id eius forma eſt. Anima ergo uiuentium forma eſt. Vel ſic potius. Anima uiuendi uiuentibus cauſa eſt: Viuentibus autem uiuere eorum eſſe eſt: Anima ergo uiuentium eſſe eſt. Cuiuſcunq; autem rei ipſum eſſe. eius ſubſtantia eſt. Anima ergo omnium uiuentium ſubſtantia eſt. Subſtantia autem, ut ſint, omnibus cauſa eſt. Anima ergo, omnibus uiuentibus, ut ſint, cauſa eſt. Vt ſubſtantia ergo, anima, ut ſit, cauſa eſt. Hoc ergo unum eſt argumentum, quòd anima, ut forma, cauſa eſt. Alterum eſt autem, quod iam etiam in præcedentibus dixit. Cuiuſuis enim, quod eſt potentiæ, inquit, perfectio, ſeu entelechia, forma eſt. Potentia autem uitam habentis corporis anima entelechia eſt. Anima ergo potentia uitam habentis corporis forma eſt. Sic ergo cauſa eſt anima animati corporis, ut quæ eius forma eſt. Atqui & ut effectiua cauſa, cauſa eſt, & principium anima: & ut finalis. Et quòd cauſa eſt, ut finis, anima, ſic oſtendi poteſt. Prius autem accipit, quòd natura omnia alicuius gratia facit. hoc enim mõſtratur in auſcultatione naturali. Inſtrumentis prædita corpora, animæ gratia. Cuius autem gratia aliquid fit, hoc eſt illius finis. Anima ergo inſtrumentis præditorum corporum finalis cauſa eſt. Quòd autem, ut effectiua cauſa, principium eſt anima, aperte oſtendit. Effectiua autem cauſa eſt illa, unde eſt principium motus. Motus autem ſpecies ſunt quatuor. Primus enim, & maximè proprius motus eſt, qui eſt ſecundum locum: Deinde, qui eſt ſecundum alterationem: Deinde ſecundum auctionem: Deinde ſecundum diminutionem: Et, quod motus ſecundum locum cauſa eſt animalibus, anima, clarum eſt: ſed ſic non omnem comprehẽdit animam: ſed eam, quæ eſt ſecundum locum motiua. Quare etiam oſtendit, quòd alterationis quoq; cauſa eſt. Senſuum enim cauſa eſt anima. Senſus autem alterantur, à ſenſilibus quodammodo affecti. alteratio enim quædam eſt, diſgregatio, & congregatio uiſus. Sed nondum per hæc plantas quoque comprehendit: ſubiungit itaq;, quòd auctionis & diminutionis cauſa eſt anima, ut omnia animata comprehendat. Non ſimiliter autem eſt effectiuũ principium, & formale. Formale enim principium ſimiliter eſt; ac finale. effectiuum autem non amplius ſubſtantiæ, ſed aliquarum operationum, uel affectuum principium, & cauſa eſt. Quomodo autem dicimus diminutionis quoq; cauſam eſſe animam? Nihil enim neq; ipſum ſibypſi, neq; ſuo ſubiecto corruptionis cauſa eſt. Omnia enim non ſolum eſſe, ſed & æternitatem pro modo ſuo appetunt, ut iam dictum eſt. Dicimus ergo, quòd quemadmodum dicitur & id, quod non eſt, & priuatio cauſa eſſe rerum generationis: non quòd cauſam effectiuã habeat: ſed quòd ex ijs mutatur, quod fit: & quòd ea cedant formæ eorũ, quæ fiunt. Omne enim, quod fit: ex ijs, quæ nõ ſunt, & ex propria priuatione fit: ut dictum eſt in naturalibus: Sic & anima diminutionis eſſe cauſa dicitur: non quòd faciat diminutionem: ſicut facit auctionem: ſed quod propter imbecillitatem ei deinceps cedat. Alioqui ad oſtendendum, quòd effectiua cauſa eſt anima, ſatis eſt ſcire, quòd auctionis cauſa eſt. Si itaq; ſecundũ omnes cauſarum modos animato corpori anima cauſa eſt, ut ſit, quatenus eſt animatum: Si autem eſt animatum, eoipſo nutritur, & augetur, & generat: & eorum ergo anima cauſa eſt. quod erat propoſitum oſtendere. Ea autem multis modis dicuntur. Cauſam autem dicit & principiũ multis modis dici. Quatuor enim modis dicitur: ut forma: ut materia: ut effectiua cauſa: ut finalis. Similiter autem anima tribus definitis modis cauſa eſt. Ex quatuor enim modis cauſarum in naturali auſcultatione, definitarum, ſecundum tres ſimiliter corpori anima cauſa eſt. Vnde enim motus, hoc eſt, ut effectiua cauſa: ſic enim ipſam uocat: & cuius gratia, id eſt, ut finis: &, ut ſubſtantia, animatorum corporum anima cauſa eſt, pro eo, quod eſt, ut forma. In propria enim forma uniuſcuiuſq; ſubſtantiæ characterem & figuram accipit. Materia enim communis eſt omnium. Iam uerò animata eſſe habent ſecundum animam. Quare animatorum corporum anima forma eſt. Quòd itaq; ut ſubſtantia, clarum eſt. cauſa enim, ut ſint, omnibus eſt ſubſtantia. Quòd cauſa eſt anima, ut forma, per hæc oſtendit. eſt autem hoc primum argumentum. Anima enim, inquit, uitæ principium & cauſa eſt uiuentibus.

*bus. Viuere autem uiuentibus eſſe eſt. Vniuſcuiuſq; autem eſſe eius forma eſt, & ſubſtantia. Anima ergo forma eſt & ſubſtantia uiuentium. Vniuſcuiuſq; autem ſubſtantia cauſa eſt, ut ſit. Anima ergo uiuentibus ſubſtantia, ut ſint, cauſa eſt. Non hoc autem ordine propoſitiones protulit: ſed à poſterioribus incepit. Cauſa enim, inquit, ut ſint omnibus eſt ſubſtantia, ut ſic ſit oratio. Subſtantia, idem eſt autem dicere, forma, ut ſint, omnibus cauſa eſt, ſecundum hanc enim unumquodq; et eſt, & dicitur. Quare uiuentibus ſubſtantia, & forma, ut ſint, cauſa eſt. Viuentia autem eſſe habent ſecundum uitam. hac enim ratione ab alijs differunt. Vitæ autem anima cauſa eſt. Quare ſi omnibus, ut ſint, cauſa eſt uniuſcuiuſq; ſubſtantia & forma: uiuentibus autem uitæ cauſa eſt anima, quatenus eſſe quoq; habent. forma ergo & ſubſtantia uiuentium eſt anima. Ariſtoteles autem, cùm propoſitiones dixiſſet, concluſionem non addidit, ut apertum eſt. Subſtantiam autem, ut iam dixi, formam dicit.*

Eſt autem eius, quod eſt potentia, ratio entelechia.

*Secundum argumentum. Ratio autem, inquit, pro eo, quod eſt, ſubſtantia, & forma.*

Manifeſtum autem, quòd & cuius gratia anima, ſicut mens, alicuius gratia facit: eodem modo & natura. & hoc eſt ei finis. Tale autē in animalibus anima ſecūdum naturā. Omnia enim naturalia corpora, animæ inſtrumenta: quemadmodum quæ ſunt animalium, ſic quæ ſunt plantarum, vt quæ ſint gratia animæ. Duobus autem modis illud cuius gratia: & cuius, & cui.

*Poſtquam oſtendit, quòd, ut forma corporis, principium, & cauſa eſt anima: nunc oſtēdit, quòd, & ut finis. Quemadmodum enim mens alicuius gratia facit: eodem modo & natura. Mentem dicit actiuam, ſicut mens architecti nihil fruſtra aſſumit: ſed omnia, quæ ad aliquem finem ſpectant, nempe domus conſtructionem. Sic ergo nil fruſtra facit natura: ſed unumquodq; eius opus propter aliquid eſt. Hoc autem apertè oſtendit in naturali auſcultatione: Declarant & de uſu partium medicorum tractatus: quòd ne minimum quidem naturæ opus fruſtra eſt: ſed alicuius gratia. Cuius autem gratia facit, hoc eſt eius finis, inquit. Cuius ergo gratia facit? animæ, inquit, gratia. Animatorum enim, inquit, corpora omnia, & animalium, & plantarum, inſtrumenta ſunt animarum. Inſtrumentū autem fit gratia utentis: & eam habet finem. Quare &, quæ fiunt à natura, corpora, animata dico, finem habent ipſam eis uſuram animam. Duobus autem modis illud, cuius gratia, & id cuius, & id cui. Hoc in loco uel ſic accipiendum eſt, animam quidem finem, ut cuius: animal autem, ut cui. facit enim inſtrumentarium corpus natura animæ quidem gratia, ut eo utatur, tanquam finis, anima, ut cuius. finis autem ut cui, animatum. Vt enim citra impedimentum ſint animali operationes, omnia facit natura. Vel igitur ſic eſt, illud, Cuius, & illud, Cui: uel, ſicut paulò ante diximus, Cuius quidem, gratia fabricæ mundi, & æternitatis: Hoc enim omnia expetunt: Sic & animæ. Ei enim præparat ad uſum inſtrumentum: quod & uerius eſt.*

Sed & vnde primum ſecundum locum motus, anima. non omnibus autem ineſt viuentibus hæc facultas. eſt autem & alteratio, & auctio per animam. Senſus enim alteratio quædam eſſe videtur. nihil autem ſentit, quod non habet animam. Similiter autem & de auctione, & diminutione habet. Nihil enim diminuitur, nec augetur naturaliter, quod non nutritur. Nihil autem nutritur, quod non vitæ ſit particeps.

*Deinceps ad effectiuam tranſijt. effectiuam enim cauſam ſic ſemper uocat, unde principium motus. Cùm autem multis modis dicatur motus, ut dictum eſt: quòd motus quidem ſecundum locum anima cauſa eſt, clarum eſt. Sed non omnibus, inquit, ineſt uiuētibus hæc facultas, id eſt ſecundum locum motiua. Quare non ſic uidebitur omnis anima eſſe cauſa effectiua. & ideo eam aliorum quoq; motuum eſſe cauſam oſtendit: alterationis, inquā, & auctionis: & diminutionis. & ſic in omni anima uniuerſalem fecit orationem. Quòd itaq; anima alterationis cauſa eſt, ſic oſtēdit. Animalibus anima ſenſus cauſa eſt. Omne autem, quod ſentit, alteratur. Anima ergo alterationis cauſa eſt. Quomodo autem ſenſum dicit alterationem, nunc quidem non addidit. Deinceps autem adijciet, quòd duplex eſt alteratio: & in uniuerſum pati duplex eſt: hoc quidē, quod ducit ad corruptionem: illud uerò ad perfectionem. À doctore enim diſcipulus patitur, & alteratur, & non ad corruptionem, ſed perfectionem ducitur. Quod enim potentia in eo eſt, ad operationem deducitur. Sic & ſenſus alteratur, et à ſenſilibus patitur ad perfectionem ductus, & à potentia ad operationem productus. Quòd autem auctionis quoq;, & diminutionis cauſa eſt anima, ſic oſtendit. Quod augetur, & minuitur, nutritur. nihil enim augetur, quod non nutritur. Quicquid autem augetur, uitæ eſt particeps. & fieri non poteſt, ut nutriatur, quod non eſt uitæ particeps. Vt ergo nutriatur uiuere cauſa eſt. Totius autem uitæ cauſa eſt anima. Iis ergo, quæ augentur, & minuuntur, huius ipſius auctionis & diminutionis cauſa anima eſt. Si autem nonnulli quoq; lapides augeri uidentur: non eſt hæc proprie auctio: ſed potius additio. Hanc enim auctionem dicit, quæ fit per inſtrumenta naturalia. Inſtrumenta autem non ſunt in inanimatis. non ergo augentur. & alioqui, quod augetur, per omnem partem augetur. ut in libro de generatione oſtenſum eſt. Lapidibus autem, exterius fortaſſe addito puluere, quædam fit mutatio: & ſic maius totum fit, non facta auctione, ſed additione: ſicut ſi ignis augeri dicatur, pluribus lignis additis. ſic & metalla augentur, humida, ex qua conſtant, materia circumcirca exterius concreta, eaq; in ipſorum ſubſtantiam, ab ea, quæ eſt in terra, naturali facultate, ex uniuerſo mutata. Si enim proxima, & continens cauſa eſt anima. Continentur autem, & ſunt, & animalia, & plantæ, donec nutriuntur. Nutrimentū autem auctionis cauſa eſt. Anima ergo auctionis cauſa eſt. Male ergo materialibus principijs, terræ, & reliquis, auctionis cauſa attribuitur. Sed ad hoc fortaſſe dixerit Empedocles. Sicut tu materiales, & effectiuas naturalium cauſas tradis: ſic & ego nunc non effectiuas cauſas, ſed materiales tradidi. Sed locum non habebit reſponſio. Neq; enim terreſtres radices magis augentur, quàm rami. Vbique autem terrenum ſuperabundat. Quod ergo ad terræ ſubſtantiam attinet, nihil ſurſum augeri deberet.*

Empedocles autē non rectè hoc dixit, adijciens plantis augumentū euenire, radices quidem deorſum agentibus: quòd terra ſic feratur ſecundum naturam: ſurſum autē, propter ignem ſimiliter. Neque enim illud ſurſum & deorſum rectè accipit. Non enim idem eſt omnibus ſurſum, & deorſum, & vniuerſo. Sed ſicut caput animalium: ſic radices plantarum: ſi oportet alia inſtrumenta dicere, & eadem, propter opera, & quibus funguntur munera: idem autem inſtrumentum dicere, in quo ſit 38

idem

39 idem opus. Ad hæc autem, quid eſt, quod ea continet, quæ in contraria feruntur, ignem, terram? Diſtrahētur enim, niſi ſit aliquid prohibiturum. Si autem ita eſt: anima quoq; eſt cauſa, quód augetur, & nutritur.

*Poſtquam oſtendit augmenti cauſam eſſe animam, reprehendit Empedoclem, qui non rectè dixit auctionem in animatis fieri. Dicebat enim augeri plantam, eo quidem, qui in ipſa eſt, igne ramos ſurſum augente: terra autem, quæ in ipſa eſt, radices infernè agente. Auctionis enim cauſam terræ, & igni adſcribebat. Hic enim ſurſum ramos auget, ut qui ſurſum ferat: terra uerò deorſum radices, ut quæ deorſum ferat. Eum autem primo reprehendit, quòd non rectè dicat eſſe inferius plantarum radices. non enim omnibus idem eſt, inquit, quod ſurſum eſt, & deorſum. Deinde cauſam quoq; affert. Inſtrumenta enim, inquit, operibus dijudicantur. Si enim operationum gratia ſunt inſtrumenta: quæ eaſdem operationes agunt, eadem fuerint. Quemadmodum enim in alijs animatis, id per quod nutritur, eſt os: ſic ergo & plantis id, per quod nutriuntur, os fuerit. Nutriuntur autem per radices. ipſæ ergo plantarum os fuerint. aliorum autem animatorum omnium os, per quod nutriuntur, supernè eſt. Omnium enim caput, in quo os, ſuperiorem locum obtinet. Et plantarum ergo os, & caput conuenienter ſuperius fuerit. Quare plantarum radices ſupernè potius: rami autem infernè. Vt ad uniuerſum autem, ſi quidem in uniuerſo ſurſum, & deorſum dicere oportet: quod circumcirca quidem eſt, ſurſum eſt: Dico autem cœlum: Quod autem medium, deorſum, nempe terra. Animata itaque dicuntur ſupernè caput habere, non omnino, ut quod circumcirca eſt, ſed ut unde principium motus: quandoquidem & ex cœlo principium eſt motus eorum, quæ hic ſunt. Et cùm irrationalia animalia plurima, ferè autem omnia, prona in terram ſpectent, ut ne poſterioribus quidem partibus ad id, quod circumcirca eſt, caput altius habeant: ſuperiores tamen animalium partes eſſe dicuntur, caput, &, quæ ſunt circa caput. Quare caput ſupernè dicimus. cum capite autem proportionem & conuenientiam habent radices. illinc enim eſt plantis motus principium, ut ſuperius quidem ſint radices, & non inferius. Hoc ergo unum abſurdum ei obijcit: aduerſus quod quiſpiam pro eo reſpondens, & eum defendens dicit: quòd ille ſupra, & infra, ut ad uniuerſum dixit. Radices enim, ut ad centrum, augentur. reliquum autem, ut ad cœlum. Alterum rurſus abſurdum ex eius dictis colligit admodum aptè, & cohærenter. Non enim ab igne, inquit, & terra fit auctio. Si enim ignis ſurſum augetur: terra autem deorſum: diſtrahentur, inquit, & diuellentur plantæ, cùm nihil ſit, quod contineat. ſi autem eſt aliquid, quod continet: hoc fuerit anima, nutrimenti, & auctionis cauſa.*

40 Videtur autem quibuſdam ignis natura eſſe ſimpliciter nutrimenti, & auctionis cauſa. Ipſe enim ſolus uidetur ex corporibus & elementis, qui nutritur, & augetur. Quare & in plantis, & in animalibus exiſtimauerit quiſpiam id eſſe, quod operatur.

41 Is autem quodam modo concauſa eſt: non autem ſimpliciter cauſa: ſed potius anima. Ignis enim auctio in infinitum: donec fuerit, quod poſsit comburi. Eorum autem, quæ natura conſtant, finis eſt, & ratio magnitudinis, & augmenti. ea autem animæ, & non ignis. & rationis potius quàm materiæ.

*Poſtquam oſtendit animam auctionis eſſe cauſam: alia perimit, quæ quibuſdam auctionis uidentur eſſe cauſæ. Empedocles quidem terram, & ignem cauſam in plantis exiſtimabat, eo quòd illorum quidem cōtrarij ſunt motus, ſurſum, & deorſum. Videntur autem & plantæ in contrarias partes augeri, ſecundum radices, & ſecundum ramos. Alij autem ignem ſuſpicabantur ſolum eſſe auctionis cauſam: aduerſus quos nunc inſiſtit. Rectè autem illud, Simpliciter, addidit. in hoc enim errabant, qui uim auctiuam igni tribuebant, quòd eum ſimpliciter auctionis cauſam dicerent. Concauſa enim eſſe ignis, ut inſtrumentum auctionis per quod, ei quoq; eſſe uidetur: non autem ſimpliciter auctionis eſſe cauſa; ſed tantum abeſſe ait, ut auctionis ſimpliciter cauſa ſit, ut & deteriorem, quàm ſecundum inſtrumenta, concauſam eſſe dicat in libro de generatione, & corruptione. Inſtrumenta enim à ratione adaptata finem aſſequuntur. Si autem ab artifice dimittantur, incommodum. Sine artifice enim operari non poſſunt. Ignis autem ipſe per ſe operans, exitij, & corruptionis cauſa fit. Cùm enim cibus coquitur, & medicamentum, niſi à medica, uel coquinaria ratione regatur, qui coquit ignis, magis corrumpit, & à propria ſpecie, ſeu forma abducit. Cùm autem dixiſſet, quòd uidetur quibuſdam ignis eſſe nutrimenti, & auctionis cauſa: undenam in hanc adducti ſunt ſententiam, ſubiunxit. Solus enim, inquit, ex ſimplicibus corporibus cernitur augeri, & nutriri. In hoc enim ſolum conſuetudo nutrimenti nomine uſa eſt: & propterea, auctionis quoque. Quod enim nutritur, hoc & augetur. Huius multum uſum habemus in conſuetudine, & apud antiquos. Omnes ſimul tecum, inquit Poeta, edax ignis uorat: & rurſus, Omniuoro igne, dictum eſt. Si itaque ex ſimplicibus hic ſolum nutritur, & augetur: hic in compoſitis quoque fuerit nutritionis, & auctionis cauſa, dico autem, in animatis. Vbi ergo oſtenderit Philoſophus, quòd non ſimiliter nutriuntur, & augentur animata, ut ignis: ſimul etiam per hoc oſtenderit, quòd non in animatis ignis nutrimenti, & auctionis cauſa eſt. Sic autem oſtenditur. Quæcunque natura nutriuntur, & augentur (id eſt autem, Quæ in ſeipſis nutritiuam, & auctiuam habent facultatem. Quæ enim non ſic nutriuntur, & augentur, ea non propriè eſſe dicuntur illa, quæ dicuntur.) Quæ ergo natura nutriuntur, & per hoc augentur, habent nutritionis terminum: & definita eſt eorum ad certam uſque menſuram auctio. Ignis autem non eſt definita nutritio, & auctio. in infinitum enim augebitur, ſi materia ſuppeditetur. Ignis autem non ſimiliter ac animata, nutritur, & augetur. Si autem non ſimiliter: ne animatis quidem auctionis cauſa fuerit. Ignis enim non eſt finis, nec ratio auctionis. Quæ autem natura augentur, aliquem finem habent, & determinatam auctionis rationem. Secundum rationem autem augere, & definitè, fuerit animæ, & non ignis. Sic ergo oſtendit, quòd non ignis animatis auctionis cauſa eſt. Quòd autem neque de igne propriè dicitur nutritio & auctio, ſed generatio, oſtendit in libro de generatione, & corruptione. Is autem exiſtimatus eſt ex elementis nutriri & augeri: quòd apertè quidem in alijs ſuperabundantia, additio eſt: aqua enim aquæ addita, & terra terræ terræ, ſic fit eorum maior excreſcentia. id autem non eſſe nutrimentum, nec auctionem, clarum eſt. Ignis autem excreſcit, non addito igne, ſed diſsimili materia, ſicut lignis, uel eiuſmodi: ijsq; ab ignis facultate in eius mutatis ſubſtantiam, ſic fit ignis excreſcentia. Videtur autem tale quid eſſe, &, quæ eſt propriè, auctio. Mutato enim alimento in corporis naturam, ſic fit animatorum auctio. Oſtendit autem, ut dixi, quòd id, quod in igne fit, generatio eſt, & non auctio.*

Quoniam autem eadem eſt animæ nutriti- Cap. 2. 42

 ua, &

ua,& generatiuà facultas : de nutrimento primum definire neceſſe eſt.

Poſtquam dixit de fine generatiuæ facultatis : deinde oſtendit, quòd ei, qui de anima dicturus eſt, de iſs, quæ ſunt oppoſita animalibus facultatibus, tractare neceſſe eſt, ad oſtendendũ animam eſſe cauſam nutritionis, & auctionis, & alterationis, quæ eſt ſecundum ſenſus, & reliqua : & Empedoclis ſententiæ interea meminit, qui non animæ auctionem tribuit, ſed materialibus cauſis: & eos penitus refellit, qui eius, quæ fit in animatis, auctionis igneam ſubſtantiam cauſam exiſtimant : hic deinceps de cohærentibus uerba facit, dico autem de nutrimento: ut ſic deinceps de facultatibus quoq; tractet. Tanquam enim de una uegetatiua facultate ſuperius quoq; uerba fecit, ubi dixit, Nutritiua enim alijs quoq; prima in eſt, & eſt maxime communis facultas animæ, ſecundum quam uiuere ineſt omnibus: cuius ſunt opera generare, & nutrimento uti: & hic rurſus, Quoniam eadem eſt nutritiua, & generatiua facultas : de nutrimento primum definire neceſſe eſt. Quod autem dicit eſt eiuſmodi. Quoniam una eſt, & eadem uegetatiua facultas: cuius ſunt opera generare, & uti nutrimento (per extrema medium quoq; comprehendens, quod eſt augere, & ad perfectam menſuram deducere, quæ augentur) diximus autẽ, inquit, de fine generatiuæ operationis, neceſſe eſt & de eo, quod eſt oppoſitum nutritiuæ facultati, dic.re, dico autem, nutrimẽto: ut ſic deinde de ipſa quoque facultate loquamur. Vnam autem dicit facultatem nutritiuam, & auctiuam, & generatiuam: non ſimpliciter: quoniã uegetatiua communis de eis prædicatur: ſed quòd unus finis eſt harum omnium operationum. id autem eſt, generare alterũ, quale ipſum, propter deſiderium æternitatis. Omnia autem, inquit, à fine, ad quẽ maximè tenditur, denominare par eſt. Quare, quoniam omni uegetatiuæ facultati finis eſt generare alterum, quale ipſum: eam, quæ in omnibus eſt, generatiuã appellare æquum eſt. Nutritiua enim, & auctiua facultas, ut ei ſeruiãt, factæ ſunt. Quoniam enim fieri non poteſt, ut animata generent, quæ non ad definitam, & ſecundum naturam menſuram peruenerint: propterea auctiua operatione, & facultate opus eſt. Sed quia rurſus fieri non poteſt, ut augeantur, quæ non nutriuntur: ideo nutritione opus eſt. Quare propter generationem quidem auctio: propter auctionem autem nutritio. propter generationem ergo nutritio. Quare quoniã à fine omnia denominare par eſt: hæc eſt generatiua ab omnibus appellanda. Nutritiuã autẽ cum auctiua ad idem deducit, propter eam, quam, cùm in dictionis cõtextu fuerimus, cauſam dicturi ſumus. Quare neq; de auctione ſeorſum uerba facit: ſed cõiunctim cum eo, quod de nutritione dicit. Vnde neq; auctiuam ſeorſum facultatem definit. Quoniam autem ipſa animæ uegetatiuæ facultas, eadem eſt, ac nutritiua, & generatiua facultas: defectiuè ſecundum phraſim dicta eſt ſententia. Sic enim dicere oportebat. Quoniam autem eadem eſt animæ facultas, nutritiua, & generatiua: de generatiuæ autem fine dictum eſt : neceſſe eſt & de nutritiuæ oppoſito dicere: Nutritiuæ autem facultati oppoſitum eſt nutrimentũ: oportet itaq; primum de nutrimento dicere.

Hoc enim ab alijs facultatibus opere ſecernitur.

Nutritiua, inquit, anima ab alijs animalibus facultatibus ſecernitur, quòd nutriat. hoc eſt enim eius proprium. Nutrit autem nutrimento. Quare de nutrimẽto primũ dicere neceſſe eſt.

Videtur autem eſſe nutrimentum contrariorum contrarium : non quoduis cuiuis, ſed quæcunq; contraria non ex ſe ſolum inuicem habent generationem: ſed & auctionem. Multa enim fiunt ex ſe inuicẽ: ſed non omnia quantitatem ſuſcipiunt, vt ſanum ex laborante.

Varia ſunt, quæ de nutrimento dicuntur. Alij enim dicunt, quòd quatenus nutrimentum eſt ſimile eorum, quæ nutriuntur, id auget. eſt autem ſimile ſimilis auctiuum: non contrarium : id enim & contrarij quoq; corruptiuum eſt: neq; eſſe poteſt, ut à contrario nutriatur, quod nutritur, ſed à ſimili. Alij uerò dicũt, quòd contrarium nutrit, quod nutritur. Si enim nutrimentum patitur ab eo, quod nutritur: & contrarium in contrarium mutatur: nutrimentum ergo contrarium eſt eorũ, quæ nutriuntur. Hæc ergo ſunt, quæ de nutrimento dicuntur: quæ contraria eſſe uidentur, cùm reuera non ſint. Vtrunq; enim eorum ad partem aliquam reſpexit: & ad hanc uera dicit. Nutrimentum enim eſt potentia quidem ſimile ei quod nutritur: actu autem & operatione contrarium. Panis enim & obſonia, prius quàm conficiantur, & concoquantur, ei ſunt, quod nutritur, contraria: Poſtquam autem mutata, & alterata fuerint, tunc fiunt ſimilia. Mutatur autem non ſimile in ſimile: neq; quodlibet in quodlibet: ſed contrarium in contrarium. Neq; enim album in calidum: ſed frigidum in calidũ. Etenim fuſcũ, quod in albũ mutatur, nõ quatenus eſt albi particeps, ſed quatenus nigri particeps eſt, mutatur. Quare, ſi nutrimentum mutatur, clarum eſt, quòd in contrarium mutatur. Cùm itaq; duplex ſit nutrimentum : hoc quidem inconcoctum: illud uerò concoctum : inconcoctum quidem ei, quod nutritur, contrarium eſt : concoctum autem, & mutatum, iam ſimile. Cùm autem dixiſſet, quòd uidetur nutrimentum eſſe nutrimento contrarium : ſubiunxit, quòd non quoduis contrarium cuiuis contrario eſt nutrimentum : ſed quæcunq;, dum mutantur, in cõtrarium mutant, quod mutatur. Multa enim, inquit, cõtraria in ſe inuicem mutantur, ut ſanitas & morbus: album & nigrum: ſed ea nihil quantitati mutata adijciunt. Quare non ſunt ſuiipſorum inuicem nutrimentum. neq; album nigro nutritur, quãdo mutatur nigrum in album: neque ſanitas morbo. Non autem hoc ſimpliciter dicit, quòd, quæ in ſe inuicem contraria mutantur, & quantitati adduntur, ea à ſe inuicem nutriuntur. neq; enim hoc uerũ eſt, ut & ipſe dicit: ſed, quòd, quæ ex contrarijs nutriunt, ea quantitati adijciunt. Quando enim ab anima mutata fuerint eiuſmodi contraria, dico autem quæcunq; ei quantitati, in quam mutantur, adijciunt, tunc fit nutrimentum. Simplicia itaq; corpora augentur quidem inuicem inter ſe mutata: à ſe autem inuicem non nutriuntur. & quod magis eſt, ne proprie quidem in eis auctio dicitur, ſed additio : ut in libro de generatione oſtendit. Quòd autem primum nutrimentum, & inconcoctum, eſt ei, quod nutritur, contrarium, hinc planum eſt. Si enim patitur ab eo, quod nutritur, & mutatur in illius ſubſtantiam: non quodlibet autem à quolibet patitur: neq; enim quoduis à quouis mutatur, ſed contrarium in cõtrarium: nutrimentum, ſcilicet, quod patitur ab eo, quod nutritur, ut in illius ſubſtantiam mutetur, contrarium eſt ei, quod nutritur. Certe quoniam conſtamus ex frigido, & calido: humido, & ſicco: ſcilicet in qualitates, quæ eiuſdem ſunt ordinis cum eo, quod nutritur, nutrimẽtum quoq; mutabitur. Vel ergo, cùm ſit calidius, in frigidius per concoctionem mutabitur : uel frigidius in calidius: uel ſiccius in humidius: uel humidius in ſiccius. Quare ei, quæ in corpore ſuperabundat, qualitati contrarium nutrimentum afferimus: Si corpus quidem ſit ſiccius, humidius afferentes : ſi calidius autem, frigidius : & in reliquis ſimiliter. Clarum eſt enim, quòd materia opus habet nutritiua facultas, quæ ſuapte natura apta ſit, ut mutetur in eius, quod nutritur, ſubſtantiam. Poſtquam autem iam paſſum fuerit nutrimentum, & ei, quod nutritur, aſſimilatum, non eſt amplius contrarium, ſed ſimile. Ipſum autem ultimum, & in utraque deinceps parte aſſimilatum, eſt quoque aggregandum, & agglutinandum.

Videntur autem neq; illa eodem modo ſibi eſſe inuicem nutrimẽtum. Sed igni quidem aqua nutrimentum. Ignis autem aquam non nutrit. In ſimplicibus itaque corporibus, hæc eſſe maxime videntur, hoc quidem nutrimentum: illud verò, quod nutritur.

*Poſtquam dixit ex contrarijs ea ſui eſſe inuicem nutrimentum, quæ non ſolum ex ſe inuicem fiunt, ſed & ſe inuicem augent: propterea addidit, quòd non omnia eiuſmodi ſui eſſe inuicem nutrimentum dicuntur. & hoc per exemplũ oſtendit, quòd non quicquid ſecundum quantitatem auget, nutrimentum eſt contrario, ſed quod ex contrarijs formalius eſt, ſeu formæ magis particeps, auctum à magis materialis, & contrarij in ipſum mutatione; nutriri dicitur. non itidem autem, &, quod eſt materialius ab eo, quod eſt magis formale. Sic enim ſe habent inter ſe ignis & aqua. His ergo ſic inuicem mutatis, aqua, inquit, igni eſt nutrimentum: ignis autem aquæ non itidem. nemo enim dixerit aquam ab igne nutriri. Ignis autem nutriri dicitur. Omnes ſimul tecum, inquit Poeta, edax ignis uorat. Vnde etiam quæſiuerit quiſpiam. ſi, quemadmodum aquæ in ignem mutatio, generatio ſolum eſt, & non auctio: ſic & ignis in aquam, ut oſtenſum eſt in libro de generatione: cur aqua quidem igne non nutriri dicitur: ignis autem aqua dicitur? Quòd enim aqua ignis nutritur, clarum eſt. Eſt enim oleum aqua aliquo modo affecta, & cera, & huiuſmodi. & ligna quoq;, & ſimilia, quòd aliquid humiditatis habeant, materia ſic ignis fiunt. Vnde omnia exiccata ligna, ut quæ putrefacta ſunt, uel in cinerem redacta, ne uri quidem poſſunt: eo quòd ſint undiq; humiditatis expertia. Dicimus ergo, primum, quòd conſuetudinem ſecutus eſt Philoſophus. Dicimus enim nutrimentum eſſe igni oleum. hoc autem nihil eſt aliud, quàm aquam igni nutrimentum eſſe dicere. Oleum enim, ut in quarto Meteororum oſtenſum eſt, eſt ex aqua & aëre, quæ ambo ſunt humida natura. Præterea in libro de generatione oſtenſum eſt, quod id, quod augetur, forma eſt, & non materia. Oportet enim, quod augetur, unum eſſe numero: materia autem, quæ affluit, & effluit, non eſt eadem in eo, quod augetur. Forma autem ipſa magis formalis, ut in elementis, ignis: Aqua autem magis materialis, ut in illis oſtendit. forma autem magis actiua, & incorporea, & comprehenſiua: ſiquidem patitur quidem materia: agit autem forma. & illa quidem diffundi & diſpergi poteſt: à forma autem continetur, & certis finibus circunſcribitur. Ea uerò in igne quoq; cernuntur. eſt enim & alijs elementis agilior, & ſubtilior, & magis comprehenſiuus. Ignis enim ſphæra reliqua elementa comprehẽdit. Et, ut ſemel dicam, in contrarijs, quod ex contrarijs melius eſt, formæ rationem obtinet, quatenus dicit, Quare & eam, quæ eſt ad id, mutationem generationem dicit. Quod autem deterius, materie. Quare corruptionem dicit, quæ eſt ad id, mutationem: alioqui &, quod nutritur, nutrimentum per ſeipſum conficiens, in ſeipſum mutat. Hoc ipſum autem uidetur ignis quoq; facere, infuſo oleo, & lignis ſubiectis. Mutatio quidem certe ignis in aquam non ſic fit. Per hoc autem quod dixit, In alijs ergo corporibus, & ut multis uidetur, hoc declarauit. Nutrimentum enim propriè in corporibus eſt animatis. Hæc autem ſunt compoſita, quæ & nutriuntur.*

44 Dubitationem autem habet. Aiunt enim nonnulli ſimile ſimili nutriri, quemadmodum & augeri. Alijs autem, vt diximus, contra videtur, contrarium, contrario. vtpote cùm ſimile tale ſit, quod pati nõ poſſit: nutrimentũ autẽ mutetur, & cõcoquatur. Mutatio autẽ eſt omnibus in oppoſitũ: vel in id, qđ intercedit.

*Poſtquam ſatis dixit nutrimentum eſſe contrarium contrario: nunc dicit, quòd dubitationem habet tractatus de nutrimento. Nonnulli enim dicunt ſimile à ſimili nutriri: alij uerò contrarium à contrario. De his autem dixit in libro de generatione. nunc quoq;, inquit, neceſſarium eſt de nutrimento loqui ei, qui de nutritiua facultate dicturus eſt. Poſtquam autem dixit, quòd dubitationem habet, eo quòd alij ſimili quidem nutriri, quæ nutriuntur, dicunt: alij uerò, contrario: utriq; opinioni, quæ eas confirment, paucis addidit, illinc quidem ijs, qui ſimili nutriri cenſent, dicens, ſicut & augeri. Si enim eodem nutrimur, & augemur: augemur autem ſimili: carnis enim adiectione caro augetur: ſimili quoq; nutrimur: hinc uerò ijs, qui contrario nutriri uolunt, dicens, Vtpote cùm ſimile à ſimili pati non poſſit. Quod enim patitur, à contrario patitur. & nutrimentum mutare & concoquere aliquid pati eſt. Omnis enim mutatio, etiam ea, quæ ex eo, quod inter cõtraria intercedit, fit, quodammodo, quatenus fit, contrarij eſt particeps. & non fit mutatio ex ipſo, & in ipſum. Oppoſitum autem hic contrarium accipit: & non omne ſimpliciter oppoſitum: & apertum eſt ex eo, quod addidit, Et quod intercedit. Inter contraria enim aliquid intercedit: & non ſimpliciter omnia oppoſita.*

Præterea nutrimentum aliquid patitur ab eo, quod nutritur: ſed non hoc à nutrimento. ſicut nec faber à materia: ſed illa ab ipſo. Faber autẽ mutatur tantum ab otio & ceſſatione ad operationem. 45

*Cùm dixiſſet, quòd nutrire, & nutriri ſit aliquo agente, & patiente: utpote cùm pati, inquit, non poßit ſimile à ſimili: per hoc oſtendens, quòd agere, & pati oporteat, quod nutrit, & quod nutritur: deinde dixiſſet nutrimentum mutari: nunc oſtendit quòd nutrimentum quidem eſt, quod patitur, & alteratur: actiuum autem eſt, & à paßione alienum, quod nutrit. Si enim, quod nutritur, idem manens ſecundum formam nutritur: nutrimentum autem non idem manet: ipſum eſt ergo, quod mutatur. Exemplo autem uſus, fabro, poſtquam oſtendit, quòd ab artifice, & forma materia patitur: ſed non contra, à materia artifex: quoniam uidetur artifex quoque in eo, quod materiam operetur, mutari: quænam ſit eius mutatio, oſtendit. Ab ocio enim & ceſſatione, inquit, ad operationem mutatur: ſed non ſecundum paßionem. neq; enim quicquam patitur, neq; alteratur, oſtendens, quod talis quædam eſt nutritiuæ facultatis mutatio in nutriendo, non alteratio, ſed perfectio. Perficitur enim facultatis operatio. Talis autem mutatio, non motus, ſed perfectionis potius generatio, ut oſtendit in naturali auſcultatione.*

Vtrum autem eſt nutrimentum, quod poſtremum aggregatur, & adiungitur, vel primum, intereſt. Si autem vtrunq; : ſed hoc quidem incoctum: illud verò concoctum: vtroq; modo contingat nutrimentum dicere. Quatenus enim incoctum eſt, contrarium contrario nutritur. Quatenus autem concoctum, ſimile ſimili. Quare manifeſtũ eſt, quòd dicũt quodammodo vtriq; & rectè, & non rectè.

*Quærit utrum nutrimentum dicere oporteat, id ne, quod à principio afferimus, panem dico, & reliqua: an, quod poſtremum corpori aggregatur: cuiuſmodi eſt, qui ex nutrimento ſanguis mutatur, & in partibus fit, & eis aßimilatur. hoc eſt enim poſtremum. Nutrimenti enim, aiunt medici, quod nutrit nutrimẽtum eſt. ex his enim inuenietur, quod quæritur, utrum ſimili nutrimur: an contrario. Si enim, quod primũ affertur, eſt*

nutrimen

nutrimentum: contrario nutrimur. Si autem poſtremum, quod corpori aggregatur & unitur, ſimili. Si autem utraque nutrimentum, quod etiam uidetur, & primum & ultimum: & ſimili, & contrario. Primum enim, & incoctum, eſt contrarium. Secundum autem, & concoctum, ſimile. Quare uterq; eorum, qui de nutrimento dixerunt, ut ad partem reſpiciens, rectè quidem dixit: non autem perfectè. Dubitauerit autem quiſpiam, quidnam eſt, quod poſtremum aggregatur. Si enim non primum fit caro, deinde carni aggregatur: hoc enim eſt additio, non auctio: quicquid ante mutationem poſtremum fuerit, hoc contrarium eſſe neceſſe eſt. Si enim mutatur: ſolum ergo contrarium nutrimentum. Si autem poſtremum dicit, quod iam eſt aſſimilatum: non eſt amplius eiuſmodi nutrimentum, ſed pars. Et ſoluens Philoſophus inquit, quòd facta quidem caro eſt ſecundum nutrimentum: ſecundum partem autem, eius, quod ante aggregationem fuit, corporis eſt nutrimentum: illo quidem ut toto conſiderato, dico autem, eo, quod poſt aggregationem pars eſt. De his autem exactius in libro de generatione, & corruptione dictum eſt.

46 Quoniam autem non nutritur, quod vitæ non eſt particeps: animatum corpus fuerit, quod nutritur, quatenus eſt animatum. Sic & nutrimentum eſt ad animatum: & non ſecundum accidens.

Quare non propriè de igne nutrimentum dicitur. Tranſit autem à nutrimento ad operationem. ea eſt autem nutrire. Nutrire enim eſt eius, quod nutritur. & nutriri quidem fuerit, per operationem circa nutrimentum eius, quod nutritiuam habet facultatem, illius, quod nutritur, ſeruare ſubſtantiam. Nutrire autem, circa nutrimentum operari nutritiuam facultatem. Deinceps ergo ab operatione, quænam ſit nutritiua facultas inuenit, & definiet. Si autem nihil nutritur quod non ſit uitæ particeps, inquit: ab anima autem uiuẽtibus uita: neceſſe eſt animatum corpus eſſe, quod nutritur, ſecundum hoc ipſum, quatenus eſt animatum: & non ſecundum accidens. non enim corpori, quòd nutritur, eſſe animatum accidit: ſed quòd eſt animatum, propterea nutritur. Si autem, quod nutritur, eſt animatum: nutrimentum quoq; ſecundum hoc ipſum animati fuerit. Quare non propriè ignis nutriri dicitur. Eorum enim, quæ ſunt ad aliquid, alia quidem propriè, & ſecundum ſe ad illud ſunt, ad quod referuntur: alia autem per accidens. Vt ſeruus dicitur hominis eſſe ſeruus: & domini ſeruus. Sed domini quidem ſecundum ſe: hominis uerò per accidẽs. accidit enim domino eſſe hominem. Dicatur autem & grammatici eſſe ſeruus, & rhethoris: per accidens, ſcilicet. Nutrimentum autẽ per ſe ad animatum dicitur.

47 Eſt autem aliud nutrimentum, & eſſe auctiuum. Quatenus enim quantum quid eſt id, quod eſt animatum, auctiuum: quatenus verò hoc quidpiam, & ſubſtantia, nutrimentũ. Seruat enim ſubſtantiam. & euſq; eſt, donec & nutritur. & generationis effectiuum, non eius, quod nutritur, ſed quale, quod nutritur. iam enim eſt ipſa ſubſtantia. Nihil autẽ ipſum ſeipſum generat: ſed ſeruat.

Hoc quoq; ijs eſt conueniens, quæ de nutrimento tractantur. Hoc autẽ in ijs quoq; dixit libris, qui ſunt de generatione, quòd non ſecundum idem nutrimur, & augemur. Quoniã enim, quod nutritur, & forma eſt, & quantum quid: Similiter autem & nutrimentum nutrit, quod nutritur: nutrimenti proprium eſt ſeruare formam euſque, dum nutriuntur, quæ nutriuntur, & ſi non augeantur. Si autem quantitatem augeat ei, quod nutritur, additum nutrimentum: non augetur autem ſemper, quod nutritur: quando excretio uel fuerit æqualis, uel maior ea, quæ ex nutrimento fit, aggregatione: ut dixit in libro de generatione: & ſic quidem certe nutrimentum, quod in ſe eſt, quantitati adijcit. Quoniam ergo idem nutrimentum & nutrit, & auget: Si enim idem eſt potentia, quod id, quod nutritur: nutrit, & ſeruat formam eius, quod nutritur: Si autem quantitate præditum eſt: ea quoq; ratione auget: clarum eſt, quòd, quæ circa nutrimentum operatur, facultas, idq; concoquit, & mutat, & corpori adglutinat, una, & eadem fuerit nutritiua, & auctiua. Quando enim ſic habet, quod nutritur, ut & eſſe poſſit, & eius quantitati adijcere: non ſolum nutrit, ſed & auget. Quando uerò non poteſt, quod nutritur, eo quòd id, quod nutritur, tempore deſeſſum ſit & exhauſtum, non amplius quoq; auget. Cùm enim partes ſicciores ſeipſis euaſerint, non ſuapte natura amplius extendi poſſunt, ut quantitati adijciãt. Vnde & infantium, ac puerorum uelox admodum fit incrementum. & cùm in totis ſæpe duobus, aut tribus annis duorum, aut trium cubitorum additionem cœperint, in alijs plurimis minimam adiectionem accipiunt: cùm iam deinceps partes ad ſiccius mutentur, nec extendi poſſint, & quantitati adijcere. Nam nutritiua facultas, quantum quidem in ſe eſt, quantitati ſemper adderet. Et alioqui, cùm deinceps magna facta ſit effluxio, eo quòd ad diminutionem tendat animal, non ſufficit nutritiua facultas ad reficiendum, quod deficit, & ei, quod à principio fuit, adijciendum. Quoniam ergo nutritiua facultas eadem eſt cum auctiua: meritò de nutritiua, & generatiua ſola meminit, eandem, ut dixi, exiſtimans cum nutritiua auctiuam. Et generationis effectiuum, non eius, quod nutritur, ſed quale, quod nutritur. Poſtquã dixit, quòd nutrimentum ſecundum aliud & aliud nutrit, & auget, dicit generationis quoq; effectiuum eſſe nutrimentũ: ſiquidem ſemen eſt excrementum ultimi nutrimenti, ut oſtendet in libris de generatione animalium: certe ad qualitatem & quantitatem nutrimenti, rerum uenerearum magis uel minus motus fit. Non eſt autem eius, quod nutritur, generationis effectiuum nutrimentum: nihil enim ipſum ſeipſum generat: iam eſt enim eius ſubſtantia: ſed quale ipſum quod nutritur. Omnia enim, quæ generant, ut plurimum, & ſecundum naturam, ſibiipſis ſimilia generant. Aeternitatem enim deſiderantia, ſic eam, ut ſuperius dictum eſt, aſſequuntur, quòd alia, qualia ipſa, generent.

Quare eiuſmodi quidem animæ principiũ, 48
facultas eſt quæ ſeruare poteſt, quod eam habet, quatenus tale. Nutrimentum autem ad operandum præparat. & ideo, quod nutrimẽto priuatum eſt, eſſe non poteſt. Quoniam au 49
tem tria ſunt: quod nutritur: quo nutritur: & quod nutrit: Quod nutrit quidẽ prima eſt anima: quod nutritur autẽ, quod eam habet corpus. Quo nutritur verò, nutrimentum.

Poſtquam dixit, quòd nutrimẽtum eſt eius, quod nutrit, ſeruatiuum, quatenus eſt nutrimentum: ex hoc nutritiuam quoq; inuenit animam, & eam definit, quòd ea eſt facultas, quæ ſeruare poteſt, quod eam habet, quatenus tale. Illud autem, Quatenus tale, pro eo, quod eſt, ſecundum hanc ipſam formam, id eſt in eadem forma ſeruans, quod nutritur. Et ipſe quidem nutritiuæ ſolius facultatis definitionem tradidit. Ex hac autẽ etiã tradi poteſt auctiuæ & generatiuæ facultatis definitio. Eſt enim auctiua facultas animæ, quæ ad perfectã formã ducit, quod eam habet: ad quam cùm peruenerit, poteſt oẽs naturales operationes perficere. Generatiua autem eſt facultas animæ, quæ præparare

poteſt

*poteſt id quod eam habet, ad faciendum alterum, quale ipſum, ſecundum deſiderium eius, quæ eſt in primo, æternitatis. Nutrimentum autem, inquit, præparat nutritiuæ facultati talem operationem. Niſi enim ſit nutrimentum, non operatur nutritiua facultas. Eſt autem nutrimentum operationis præparatiuũ nutritiuæ facultatis, per quã ſeruatur, quod eam habet. Et ideo quod nutrimento priuatum eſt, fieri non poteſt, ut ſit animatum. id enim eſt quod nutritur. Quoniam autem eſt quod nutritur, & quo nutritur, & quod nutrit: quoniam de nutrimento dixit: uult, quæ ab eo denominantur, definire, & dicere quid eſt eorũ unumquodq;. Eſt enim aliquid quod nutrit, & quod nutritur, & quo nutrit. Quod nutrit autẽ eſt prima animæ facultas, quæ eſt nutritiua: ſæpe autem dictum eſt, cur prima. Quod nutritur autem, animatum corpus, quatenus hanc habet facultatem. Quo autem nutritur, nutrimentum.*

Quoniam autem à fine omnia par eſt appellare: finis autẽ eſt generare, quale ipſum: fuerit prima anima, id quod eſt generatiuũ, quale ipſum.

*Sicut enim ab intelligendo intellectus appellatur: & à ſentiendo ſenſus: nutritiuæ autem facultatis, quam primam uocat, ut inferius primam, finis eſt generare, quale ipſum: eorũ enim, quæ nutriuntur, quæ perfecta ſunt, & non manca, generant: ergo eam etiam à fine denominare par eſt, dico autem generatiuam: quia generare ei finis eſt.*

Eſt autem, quo nutritur duplex, ſicut, quo gubernat, manus, & clauus.

*Poſtquam dixit quidnã eſt illud, quo nutritur, quod nũc additur inſtrumẽtariũ eſt, quo, tãquã per inſtrumẽtũ, nutritur. Hoc ergo inſtrumentũ duplex eſt, inquit, hoc quidẽ quod mouet, & mouetur: illud uerò, quod ſolum mouetur, non itidem etiam mouet. Innatum enim calidum, quo quidem nutrit anima, tanquam per inſtrumentum, & mouet, & mouetur. À nutritiua quidem facultate mouetur: reliquas autem partes mouet, ut dentes, uenas, uentrem, & alia, per quæ nutritio: quæ quidem ſolum mouentur: non ita autem & mouent alia, quia ut inſtrumẽtum: ſed nutrimentum. Oſtendit autem duplicem rationem eius, quo nutrit, tanquam per inſtrumentum, gubernatoris appoſitione. Manus enim eſt, quod mouet, & mouetur. mouetur enim ab anima: mouet autem clauum. Clauus autem ſolum mouetur. non enim ipſe aliud mouet inſtrumentum: ſed mare, uel nauem, ſicut illa nutrimentum. Alij autem nutrimentum dicunt, quod mouet quidem, & mouetur à calido. mouere autem, quatenus nutrit. Melius autem eſt id, quod mouet, & mouetur, calidum accipere, quod ab anima quidem mouetur: mouet autem nutrimentum. nutrimentum autem, quod ſolum mouetur. Non enim mouet, quod nutrit in eo, quod nutrit, ut oſtenſum eſt. Dicit autem Alexander aliam quoq; expoſitionem. Id enim, quo nutrit, duplex, non de nutrimento accipiendum nunc dicit: ſed duplex eſſe, nutritiuam, ſcilicet facultatem, & innatum calidũ. Quorum illud quidem eſt immobile, nutritiua, ſcilicet, facultas: ipſa enim, cùm nõ moueatur, mouet: innatum autem calidũ, quod mouetur, & mouet. mouet enim nutrimentum. mouetur autem à facultate. Hæc autem expoſitio cõuenerit lecturæ, quæ ſic fertur. Hoc quidem, quod mouet, & mouetur: illud uerò, quod ſolum mouet, uidelicet, cùm ipſum non moueatur. & huic quidem lecturæ gubernatoris exemplum ad hunc modum adaptaueris. Clauus quidem, qui mouet, & mouetur, mouet quidem mare, uel nauẽ: mouetur autem à manu. manus autem, quod ſolum mouet: mouet enim clauum, ſed ipſa ab alio non mouetur. Continentium enim partes non mouentur per ſe: quoniã neq; in loco per ſe, ut oſtenſum eſt in Phyſica: continens autem eſt manus gubernatori. & aliter, quòd clauum quidem ab aliquo, quod eſt extra, mouetur, nempe à manu: manus autem nihil habet, quod ad eam extra moueat. Si ergo ſcriptura habet, Illud uerò ſolũ mouẽs, ultima interpretatio conueniet.*

Hoc quidem quod mouet, & mouetur: illud verò, quod ſolum mouet. omne autem nutrimentum neceſſe eſt facultate concoqui: cõcoctionem autem operatur calidum: & ideo omne animatum habet caliditatẽ. Typicè ergo, quidnam eſt nutrimentum, dictũ eſt. poſtea autem de eo clarè dicendũ eſt in libris conuenientibus.

*Poſtquam dixit, quòd duplex eſt animæ nutrire: eſſe, præter dictum nutrimentũ, aliud, per quod ſit duplex id, quo nutrit, nunc dicit. Innatum enim, inquit, calidum. Deinde & quomodo nutrit, ſubiunxit. Oportet enim, inquit, nutrimentum cõcoqui. Quod autem concoctionem operatur, eſt calidum. Quare hac ratione nutrit. Si autem omne animatum nutritur: nutrimẽtum autem à calido concoquitur: neceſſe eſt ergo omne animatũ habere caliditatem. Typicè ergo, quid eſt, dictum eſt. Poſtea autem de eo clare dicendum eſt in cõuenientibus libris: quòd dupliciter eſt nutrimentum, contrarium enim, & ſimile: & quòd eorum, quæ augere poſſunt, contrarium: & quòd cõcoquitur, & mutatur: & quòd ſecundum aliud nutrit: & ſecundum aliud auget: & quòd, quatenus nutrit, ſeruat quod nutritur: & quòd generationis quoq; ipſum eſt principium, non eius quod nutritur, ſed quale, quod nutritur: et quæcũq; alia dicta ſunt. Poſtea autem de eo clarè dicendum eſt in conuenientibus libris. De nutrimento quidem aliquo modo dixit in libris de generatione. dicet autem poſtea & in tractatu de generatione animalium, in quem differt. in quo etiam de ſemine dicet, quòd & ipſum eſt nutrimenti. Excrementum enim, inquit, nutrimenti eſt ſemen. Quare ad ſeminis generationem alia quidem nutrimenta ſunt apta: alia uerò contra.*

His autem definitis, dicamus communiter de omni ſenſu.

*Poſtquã dixit de anima, de plantali dico ſeu uegetatiua: quòd eſt facultas animæ conſeruatrix eius, quod eam habet, per propriam operationem, quæ ſit præſentia alimẽti: & per hoc oſtendit, quòd eſt entelechia ſeu perfectio illam habẽtis corporis, & ab ea inſeparabilis: tranſijt ad ſenſitiuæ animæ definitionem. Et quemadmodum prius in anima ſimpliciter communem de omni anima definitionem tradidit: ſic & hic prius communiter de omni ſenſu diſſerit. Deinde de unoquoq; ſeorſum. Tradit autem communem ſenſitiuæ animæ rationem. Senſum enim eſſe dicit facultatem animæ, qua per alterationẽ ſenſilibus aſsimilatur. Hac ratione ſenſitiuam quoq; animam dicet. Quæcunq; ergo ad ſenſum in uniuerſum definiẽdum ei ſunt utilia, ea prius diſtinguit. Primum autem eo utetur, quòd & ſenſus patiatur, & alteretur. Diſſeret autẽ & de eo quod eſt potentia, & de eo quod eſt actu. & nõnullas mouebit dubitationes, & de eo quod facit, & de eo quod patitur, & de ſenſu: & eas etiam ſoluet.*

Senſus autem in eo, quod eſt moueri, & pati, accidit, quemadmodum dictum eſt. Videtur enim eſſe quædam alteratio.

*Primum quòd ſenſus in ſenſilium apprehenſione taliter uel taliter affectus alterari uidetur. Si autem alteratur, & patitur. Paſsio enim, alteratio. Si autem patitur, & mouetur. non hæc autem dicit, perinde ac ſi ſit ipſe in ea ſententia, quòd ſenſus alterẽtur, et patiantur. Addidit itaq; illud, Videtur. Oſtẽdet enim procedẽs, quomodo unũquodq; eorũ in anima dicitur, q. nõ*

propriè

*proprie neq; alterari,neq; pati ſenſus dicitur. Hoc autem,ut dictum eſt,dicit,quia paulò ante cùm oſtēderet quòd anima etiā, ut unde incipit motus animalium,cauſa eſt,oſtēdit quòd non ſolum auctionis,& ſecundum locū motus,ſed & alterationis cauſa eſt,argumentatus,quòd ſenſus ſit alteratio.Senſus ergo alteratio.Alteratio motus.Senſus ergo in eo eſt,quod alteratur & mouetur.*

Dicunt autem aliqui & ſimile à ſimili pati. hoc autem quomodo fieri poſsit,vel non poſſit,diximus quidem etiā in ijs, quæ in vniuerſum dicta ſunt de faciendo,& patiendo.

*Quoniam autē ſenſum eſſe accidit in eo quòd mouetur & patitur:in his uniuerſalem dubitationē proponit,quomodo patitur id,quod patitur,ab eo,quod agit.Vtrum ſimile à ſimili patitur,uel contrarium à contrario. Vtrunq; enim aliqua ratione niti uidetur,neq; enim,quod omnino aliud eſt,ab eo patiatur,ut nulla in re communicans.neq; enim albedo à dulcedine patiatur. nihil eſt enim eis commune.neq; calor ab albedine.Neq; uerò ſimile à ſimili patiatur. Albedo enim ad ſimilem albedinem nihil egerit:neq; enim quodlibet agit in quodlibet,ſed contrarium in contrarium.Albedo enim à contraria nigredine patietur. & frigiditas à calìditate,& contra. Videbitur ergo eſſe quoq; rationi conſentaneum,ut à contrario contrariū patiatur.& ſimile à ſimili.Hac ergo dubitatione ſoluta, dixit & quomodo ſenſus à ſenſilibus patitur:cùm partim quidem ſit ſimilis, partim autem diſsimilis.Quia potētia quidē eſt ſimilis ijs, quæ ſecundū actum ſunt,ſenſilibus : ſiquidē ab eis patitur:quod autem patitur,à ſic ſimili patitur:dico autē,quod eſt potentia ſimile, actu uerò diſſimile,& contrarium,ut oſtendet.Hanc autem dubitationē ſoluit etiā in libris de generatione,& corruptione.cum enim tractatum ſignificauit,cùm dixit,Diximus in ijs,quæ in uniuerſum dicta ſunt. non ſubiunxit autem redditiuè, quod & nunc quoq; dicetur,Alexander quidē certè dicit haberi eiuſmodi quoq; lecturam.Dicendum autem & nunc. Si autē non hoc adſcriptum eſt,nihilo minus hoc ipſum ſubaudiendum eſt. ipſum enim prætermiſit,ut quod ſit in confeſſo.Dicet autem de hoc ipſo in ijs, quæ deinceps ſequuntur.*

Habet autem dubitationem, cur non ipſorum quoq; ſenſuum ſenſus fit:& cur ſine ijs, quæ extra ſunt,ſenſus non agunt.

*Poſtquam in uniuerſum dubitauit,utrum,quod patitur,à ſimili patitur,an à diſsimili:priuſquam hanc dubitationem ſolueret, aliam dubitationē adiungit:& per ſecundæ ſolutionē,priorem quoque diſſoluit. eſt enim hoc in more poſitum Ariſtoteli. Quæ eſt ergo dubitatio?Si ſenſus,inquit, eſt ſenſiliū apprehenſiuus:ſenſilia autem ſunt & ſenſoria,per quæ ſentimus:cur non ea quoq; apprehendit ſenſus,etiam ſi nihil adſit exterius?ut,cur oculus ſeipſum non uidet, & ſi ſit compoſitus ex ijs, quæ ſunt uiſibilia,dico autem elemētis?Hanc autem dubitationem mouit, quæ alioqui conuenit ijs,quæ de ſenſu tractantur : nunc autem, quia eius ſolutio conſtituit,quòd ſenſus in patiēdo,& alterando accidunt.Quæ eſt ergo dubitationis ſolutio? Ait ergo, quòd ſenſus potentia ſolum eſt,quod eſt.Quodcunq; autem eſt potentia,in actum producitur ab aliquo,quod actu eſt. Ergo & ſenſus,qui eſt potētia,in actum à ſenſili producitur:Senſili autem, quod eſt exterius.Quicquid autem eſt potentia,quod in actum producitur,à ſimili producitur,quod iam actu eſt.Durum enim à frigido fit per accidēs. Ei enim,quod eſt eſſe frigidum,durum fuit conſequens,ut in glacie.Senſus ergo, qui eſt potentia, à ſimili producitur in actum, quod iam entelechia & perfectione eſt.Quare & ſenſus potētia eſt,quod ſenſile. Quomodo autem hoc dicitur,hoc in proceſſu articulatim exponet.& ſi à ſenſili in actum producitur : ſenſile autem eſt & ſenſorium, in quo ſenſus:cur non ab eo quoq; in actum producitur? alioqui ſi non poteſt ſenſus proprium ſenſorium apprehendere,cùm ſit ſenſile:cur,quæ in eo modum excedunt,apprehendit? cum enim,qui eſt ſecundum naturam calorem,qui eſt in uniuerſo corpore,ſenſitiua facultas non apprehendit. Poſtquam autem calor nimius in nobis fuerit,& commoderationem exuperauerit,ut in febribus:tunc eum ſentit. Et uiſus ſimiliter oculum quidē ſecundum naturam habentem non apprehēdit:ut qualis ſit humorum, uel tunicarum color. Poſtquam autem ei præter naturam aliquid acciderit,ut in ijs qui albugine laborant,eius, quæ eſt in oculo, albuginis ſenſum habet:& ideo omnia alba eſſe exiſtimant. Similiter & ſi quis alius humor cryſtallino incubuerit, & colorem,& eius figuram apprehendit.Vnde & in ſuffuſionū principijs,prius quàm perfectè impedita fuerit operatio obducta pupilla,in omnibus uidere uidentur culices,& eiuſmodi. Dicimus ergo ad hanc dubitationem,dico autē,cur non ſentit ſenſus proprium ſenſorium,cùm ſit ipſum quoq; ſenſile. dicimus, inquam, quòd non eo modo ſenſilia ſenſus apprehendit, quo intellectus intelligibilia.Intellectus enim,quod cognoſci poteſt, ambiēs,& & comprehendens,ſuæ eſt operationis dominus,& à nullo impeditur,quādo uult propriā applicare operationem, in ſeipſo, ut dixi,habēs intelligibilia.Ipſe enim in ſeipſum cōuerſus omnia uidet.Senſus autem,quod cognoſci poteſt, extra habet. & ideo non aliter cognoſcit,quàm ad id,quod eſt extra,extenſus.Id autem eo fit,quoniā non ſeparabiles habet operationes.neq; enim ipſe in ſeipſum conuerti poteſt, ut qui in ſubiecto eſſe habeat proprio ſenſorio,& cum eo ſenſilia apprehēdat.Iure ergo non poteſt ſenſus proprium ſenſorium apprehendere. Si enim cum eo ſenſilia attingat:eo quòd in ipſo eſſe habet, & ſenſilia attingit,ſic ea apprehendit.Si autem proprium ſenſoriū apprehenderet:ipſum utiq; tangens,apprehenderet.Tangere autem ſine ipſo non poteſt. Ipſum ergo ſenſorium ſeipſum tangere neceſſe eſſet,& ipſum ad ſeipſum conuertere. Sed fieri non poteſt, ut quod ſit corpus,ipſum ſeipſum tangat: neq; ergo ſenſoriū, cùm ſit corpus,ipſum ſeipſum tanget.Si autem non tetigerit,nec ſenſitiua,quæ in eo eſt facultas,ipſum apprehendet.Sic enim ſenſilium fit apprehenſio, ſecundum ſenſorij quidem attactū ad ſenſile,iudicium autem,& apprehenſionem eius,quæ in ſe eſt, ſenſitiuæ facultatis. Hæc ergo una cauſa eſt.Secunda autem, quòd opus habet interiecto aëre:& ideo, cùm lema eſt in oculo, non apprehendimus:neq; eo,qui interiectus eſt,aëre quomodocunq; ſe habente,ſed illuminato. Quare ſenſus fuerit potentia, quod ſenſile.Senſile autem,quòd aliquid agit in ſenſum, ad propriam operationem deducit.Quod autē agit,in id,quod patitur,agit. Quicquid autem patitur,mouetur: ſenſus ergo à ſenſilibus patitur,& mouetur.Si autem ſenſus quidem eſt potentia: actu autem quod ſenſile:eorum autem hoc quidem agit: illud uerò patitur. Quod ergo patitur, ſimile quidem eſt potentia ei quod agit:actu diſsimile.Soluta eſt ergo & prima dubitatio per ſecūdam.Si autem ſenſitiuum,quod eſt potentia,patitur à ſenſili,& fit actu ſenſitiuum:patitur autem,quod patitur,à diſsimili: Nihil autem eſt ipſum ſibijpſi diſsimile: nihil ergo ipſum à ſeipſo patitur.Meritò ergo,quod eſt ſenſitiuum,ſeipſum non apprehendit : quoniam neq; ipſum à ſeipſo patitur, dico autē utrunq; ſimul,ſenſitiuam facultatem cum ſenſorio. Et eſt hæc tertia, & maximè propria cauſa,quòd ſenſus propria ſenſoria non apprehendunt.Vtriuſq; enim ſimul eſt apprehenſio,Quòd ſi hoc eſt, quod à ſenſilibus patitur: alterū ergo,quod agit, neceſſariò eſſe debet.Quid uerò?an non ipſi ſentimus nos ipſos calidus, uel frigidus affectos,uel eiuſmodi aliquid,à mala tēperatura eorum, quæ ſunt in nobis,elementorum? Et,quando humor cryſtallinus caſu,uel affectu aliquo fuerit coloratus: eodem colore putamus,*

*& aërem*

*& aërem,& alia uiſibilia eſſe colorata. Ad hoc autẽ pulcherrimè dicunt etiam medici, quòd nobis febricitãtibus, uel in morbis refrigeratis, ſentimus non ipſos neruos ſenſitiuos, uel carnes calefactas, ſed ſanguinis & ſpiritus humores. Quoniam ergo ſenſitiua facultas eſt primo in carnibus, & neruis: meritò, cùm humores malè temperati fuerint, ſpiritus, inquam, & ſanguis, & ſenſitiuis partibus appoſiti fuerint, eos tactu apprehẽdimus, quemadmodũ aërem calefactũ, uel frigefactum tactu per appoſitionem apprehendimus. Quòd ſi febris ipſa etiam ſolida attigerit: quoniam non æqualiter caleſcunt, ſed inæqualiter: ſunt omnino quædam partes, quæ ſecundũ naturam habẽt, ut ea apprehendant quæ ſunt affecta præter naturam. Neque enim fieri poteſt, ut ſit æqualis mala temperatura: tunc enim ad exitium, & corruptionem deinceps tendit animal. Hæc eſt ergo conſenſus cauſa. & quòd hoc uerum, qui hectica, id eſt in habitum deducta, febre laborant, hoc autem eſt, qui in ipſis ſolidis febricitant, ſi æqualis in iis fuerit mala temperatura per uniuerſa ſolida, nullum cõſenſum accipiunt eius, quæ in eis eſt, caliditatis, eo quòd æqualis ſit caliditas per uniuerſas partes: & nõ ſit hoc quidem quod agit, illud uerò quod patitur. Quẽadmodum ergo neq;, qui à natura ad calidius temperati ſunt, hoc ipſum conſenſu percipiunt, quòd æqualis ſit per uniuerſum caliditas, uel q; etiam alioqui propter conſuetudinem: nam cùm ij, qui ſunt in uentre & alijs concauitatibus, humores ſecũdum naturam commoderationem habent, non ſentimus: quando autem præter naturam plus uel minus proceſſerint: tunc eorũ conſenſum accipimus: quod ſecundum naturam quidem habet animal, & uoluptate & dolore priuatum eſt. Quando autem ad id, quod eſt ſecũdum naturam, ducitur, eius quidẽ ipſius ſenſum habens, lætatur: ad id uerò, quod eſt præter naturam, dolore afficitur. De humore autem, qui in oculo conſiſtit, quomodo ipſum uidemus, & quomodo ſenſorio ſecundum naturã habente eum non apprehendimus, præter naturam autem habente apprehendimus, nondum eſt per iam dicta ſolutũ. Quod iam enim dictum eſt, ſoli tactiuo ſenſui conuenit. Atqui & guſtus, cùm ſecundum naturam habet guſtatiuum ſenſorium, non apprehendit ſuccum, qui ineſt humiditati, quæ eſt in ſenſorio. Cùm autem præter naturam habet, apprehendit, ſicut in morbis, uerbi gratia, amaritudinem, uel ſalſedinem, uel eiuſmodi.*

Cùm inſit ignis & terra, & alia elementa, quorũ eſt ſenſus p ſe, vel ea quæ illis accidũt.

*Elemẽta enim habent qualitates: has quidẽ ſubſtãtiales, & eorum completiuas: illa uerò per accidens. Subſtãtialium itaq; elementorum qualitatum apprehenſiuus eſt tactus: iſt caliditatis: frigiditatis: humiditatis: ſiccitatis. Hæ ſunt enim qualitates, quæ illis formam tribuunt. Earum autem, quæ per accidens illis inſunt, ut colorum, ſonorum, odorum, & aliarum, alij ſunt ſenſus apprehenſiui. Illud autem, Per ſe, uel quæ eis accidunt, Græcè καθ' αὑτά, ἢ τὰ συμβεβηκότα αὐτοῖς, pro eo quod eſt, καθ' ἑαυτῶν, ἢ τῶν συμβεβηκότων τούτοις: id eſt, de ſe & iis, quæ illis accidunt, recto uſus pro genitiuo. Frequẽs aũt eſt huiuſmodi uſus. Itq; duo ſcopuli, hic ad coelũ peruenit uſq;, pro eo quod eſt, horum duorum ſcopulorum.*

Eſt ergo manifeſtũ, quòd ſenſitiuum, quidẽ nõ eſt actu, ſed potentia tãtum: & ideo nõ ſentit: ſicut quod comburi poteſt, non vritur ipſum per ſe, ſine combuſtiuo. ſeipſum enim vreret: neq; opus haberet igne, qui ſit perfectione, & actu.

*Hinc eſt dubitationis ſolutio. Quoniam enim, inquit, potentia ſenſus eſt, & non actu: non apprehendet, niſi adſit actiuũ, & ad operationem deductiuum. Sicut neq;, quod comburi poteſt, niſi adſit ignis, ipſum ſeipſum urit. ſicut lignum, uel oleũ. Conuenientiam ergo, & proportionem habet ſenſitiuum cum igne: cum eo autem, quod cõburi poteſt, ſenſitiua facultas.*

Quoniam autem ſentire duobus modis dicimus. Nam & id, quod potentia audit, & videt, audire, & videre dicimus, & ſi forte dormiat: & id, quod agit, & operatur: Duobus etiam modis dicatur ſenſus: ille quidem vt potẽtia: hic verò, vt actu. Similiter & ſentire, &, quod potentia eſt, &, quod actu. 53

*Quoniam potentia ſenſum eſſe dixit, niſi adſint ſenſilia: actu autem fieri, ſi adſint: hoc ipſum uult probare. Sicut enim, inquit, quod ſentit duplex eſt: illud quidẽ ſecundũ habitum: ſicut dicimus ſenſitiuũ eſſe dormientẽ hominẽ: hoc uerò ſecundũ actũ, ut uigilantẽ, & iam ſecundũ ſenſus operantẽ: ſic, inquit, & ſenſitiua facultas, & eius operatio. Ipſum aũt, ſentire dico, duobus modis dicitur, illud quidem potentia: dico aũt, quod habet habitũ, nõ aũt operatur: hoc uerò, quod iam operatur. Hoc ergo primũ ſentire, pro eo, quod ſentit, accepit: hoc eſt ipſum cõpoſitũ. Illud uerò, Duobus etiã modis dicatur ſenſus, hoc eſt, ſenſitiua facultas: Illud aũt, Similiter & ſentire, ipſa operatio. Vnde illud, Quoniã ſentire, pro eo qđ eſt, id quod ſentit, dixit.*

Primum ergo, tanquam idẽ ſit pati, & moueri, & agere, dicimus. Et motus enim eſt quidam actus, ſed imperfectus: ſicut in alijs dictum eſt. Omnia autem patiuntur, & mouentur ab actiuo, & eo quod eſt actu. Eſt ergo &, quod à ſimili patitur: eſt &, quod à diſſimili: ſicut diximus. Patitur enim, quod eſt diſſimile. Paſſum autem ſimile eſt. 54

*Poſtquam dixit, & obiter dubitauit, cur non ſeipſos quoq; ſenſus ſentiunt: & huius rationem tradidit, quòd non adeſt actiuum: tranſit ad oſtendendum, quomodo, quod patitur, partim quidem, ut à ſimili, patitur: partim, ut à diſsimili. Potentia quidem ſecundæ dubitationis ſolutio hoc quoq; ſoluerit, ut oſtendimus. Hic autẽ & hoc quoq; ſeorſum oſtendit. Quoniam ergo id, quod hic dicitur, dictionis contextui conſequens eſſe dicunt, Et ſimile pati à ſimili, id autem quomodo fieri poſsit, uel non poſsit, in iis etiam quæ de faciendo uel patiendo in uniuerſum dicta ſunt, dictũ eſt: Quibus ſi addiderimus: Nunc autẽ dicendum eſt, in ordine fuerit conſequenter, quod dicitur. Primũ ergo perinde ac idem ſit pati, & agere, & moueri dicimus. Quoniam aũt dixit, quòd ſenſus in eo, quod eſt moueri, uel pati, accidit: & de patiendo omnino dubitauit, à quo, & quomodo ſit: Vtrum à ſimili, ut quibuſdam uidetur, uel à diſsimili, ut alijs: hoc aũt non rectè dici uidetur, ſenſum pati, & alterari ſimpliciter: non enim agere, & ab alio moueri, & pati eſt ſentire, ut deinceps oſtendet: nunc dicit. Dicimus, perinde ac idẽ ſit dicere, ſenſus pati & ſenſus moueri, uel agere: donec diſtinxerimus, quòd non idẽ ſit ſenſus agere, quod mouere, & pati. Eſt enim motus actus quidam. Actus quidẽ motu eſt uniuerſalior. Motus aũt quã pati. Quicquid enim patitur, & mouetur. Quicquid autẽ mouetur, agit. non ita etiã quod agit, & mouetur. Actus enim, ſeu operatio, eſt, ut ipſe in Phyſica definijt, coaceruata ab habitu productio. Motus aũt eſt imperfecta actio. Hac ratiõe idem eſſe uidebitur motus, & actio ſiue operatio. Quatenus aũt actus, ſeu operatio, nõ eſt ab imperfecto ad perfectũ progreſsio: hac ratiõe non idẽ fuerit motus, quod operatio. Quẽadmodũ enim diſpoſitio dicitur & cõmunius de habitu. Dicitur, & ut ab habitu diſtinguatur, & diſcernatur, ſpe-*

cialium. Sic & actio dicitur cōmunius etiā de omni motu: dicitur & prout à motu diſtinguitur: eo quòd motus eſt à primo potētia, ad ſecundū progreſſus alicuius eorum, quæ ſunt circa ſubſtantiā, ipſa ſeruata ſubſtātia. Actio aūt eſt perfecta habitus productio, nulla in re habitu magis alterato. & eſt renera perfecta actio coaceruatus habitus proceſſus, qui nō cū motu tēporis una cōcurrit: ſed ſecundū uniuerſam ſui partē æqualiter habet: qualis eſt luminis proceſſus. Cùm primū enim illuminatiuum apparuerit, coacerualim quicquid aptū eſt, ſimul repente illuminatur, nō concurrente luminis operatione una cùm tēporis motu. ſed in omni ſui parte ſimiliter habente. Talis eſt & ſenſus actio. Cùmprimum enim aſpeximus, ſine tēpore ſenſilia apprehēdimus. Vnde neq; ſenſus ait moueri, ſed agere. Hoc ergo propriè eſt actio, ſeu operatio. Quare & de diuinis dixit quòd ſine potētia ſunt actus, ſeu operationes. Motus autē, ſicut diſciplina, quæ eſt habitus mutatio ſecundū partē ad perfectum ab imperfecto. Inter hæc autē ſunt cogitatiui motus, ſeu actus: & ſi quid eſt his ſimile: qui quidem neq; propriè motus ſunt. Neque enim mutatio eſt habitus, uel ulla ex parte actio. neq; enim ſimiliter habent in omni parte tēporis: neq; coaceruatus eorū eſt ab habitu progreſſus: ſed alia ante aliā propoſitio, & extremū cōcluſio. Neq; ergo ſimpliciter motus tale quid, neq; ſimpliciter actio: niſi actionē propriè quis diuiſerit in coacerualā, & indiuiſibilē, & in diuiſibilē. Vnde & prius cogitationē quoq; utriuſq; ſimul motū eſſe dicebat. Sed & cogitatio ſecundū unūquenq; terminū coacerualā habet applicationē. & eſt unumquodq;, ut quod cognoſci poßit, accipere, quod in motu, naturali dico, nō contingit. Et ſi enim ſit coacerualū unūquodq; eorū, quæ prius tradita ſunt: ſed non omnino finē quoq; naturalē talē eſſe cōtingit. ſicut in iſs, quæ ſecundū locū mouētur, id quod intercedit: neq; enim grauiū, neq; leuiū naturalis hic finis. Huius ergo actio eſt quodammodo & cogitatio. Sicut ergo amplior eſt actio motu, ſic motus paſſiōe. Quod enim patitur, & mouetur quodāmodo. non enim ſine motu paſſio eſt. Quod autē mouetur, non omnino & patitur. non enim paßio eſt & ſecundū locū motus. Pati enim ad agendū habito reſpectu dicitur. Agere autē eſt ſecundū qualitatem mutare. ex qualitate enim agere. & agere ergo eſt ſecundū qualitatē moueri, & mutari. Quare ſi motus quidē eſt in tribus prædicamētis: quantitate: qualitate: ubi: pati autem ſolū in quantitate: in plus ergo motus extenditur, quàm paßio: actio autem, quā motus. Aliqua etiā ratione eadē ſunt, eo quòd quædā eſt actio motus: quidā aūt motus paßio. Nō ut genus aūt actio de motu prædicatur: neq; motus de paßione: ſed ut uox æquiuoca. Eorū aūt paulò poſt, ut dixi, differentiā oſtendet. Nunc autē, perinde ac eadē ſint, dicit quodāmodo, & à quo mouetur, & patitur, quod patitur. His aūt omnino, ut eiſdē, uſus eſt, & quòd aliqua ratione eadē ſint, ut diximus, & ipſe conſuetudinē ſequens, his, ut eiſdē, uſus eſt. Itaq; & ſuperius, ubi dicebat animā eſſe cauſam, ut unde principiū motus, dicebat eā eſſe alterationis cauſam: eſſe enim cauſam ſenſus: eū autē eſſe alterationē: alteratio aūt paßio. Tanquā ergo in ſenſu eadē ſint agere, & mouere, & pati, de patiendo, quomodo fiat, dicit. Quod enim patitur, inquit, ab agente patitur. Ad ſe enim inuicem referūtur agere & pati. in Phyſica aūt oſtenſum eſt, quòd id, quod alicuius actu actiuū eſt, agit in id, quod patitur, quod potētia eſt id, quod agit. Si aūt, quod patitur, cū nondū actu, ſit ſed potentia, hoc fit ab actiuo, quod ipſum actu tale eſt: ſecundū aliquid quidē à ſimili patietur: potentia enim agenti ſimile eſt patiens: ſecūdum aliquid aūt à dißimili. Eſt enim actu dißimile. Potētia enim aliquid eſſe, & actu, dißimile. Poſtquā aūt paſſum fuerit, eſt ſimile. Finis enim huic quidē eſt agere. Patiēti aūt, ut aßimiletur, quod patitur, agenti. eouſq; enim calefaciens calefacit, quod potētia quidē eſt calidū, actu uerò frigidū, donec ac ipſum eſt calidū ſimiliter fecerit. Poſtquā aūt ſimile fuerit, ab eo nō amplius patitur. Nihil enim à ſimili patitur. Si enim lucernæ lumē à lāpade patitur: ab ea enim extinguitur: ſed tamē ut à dißimili patitur. Tāquā enim defectus ab exceſſu patitur. Si enim duæ lāpades eiuſdē poteſtatis fuerint: à ſe nihil inuicem patientur.

Diſtinguendum autem & de potentia, & de entelechia, ſeu perfectione & actu.

Diuiſionē facturus patiendi & agēdi, & eorū differentiā oſtenſurus, dixit enim, Nunc interea perinde ac idē ſit pati, & moueri, & agere dicimus, diuiſionem oportere facere dicit potentiæ, & entelechiæ. Potentiæ enim nomine in ſenſu uſus eſt, & eorū ſoluit dubitationē, quā mouit: cur ſenſus non ſeipſum ſentit. Sed & ſenſum diuiſit in eū, qui eſt potentia, & in actū, eodē modo quo & ſentire. & hoc enim dici duobus modis oſtēdit. Quoniā ergo nō eſt ſimplex nomē potentiæ: in uniuerſum de potētia, & entelechia, id eſt, actu diſtinguere inſtituit: & quonā à ſe inuicē differant: & quid eſt eorū unumquodq;: & quot modis eſt, id quod eſt potētia. Per quæ ſimul oſtēdet, quòd ſenſus non eſt, quæ eſt ſecundū actū, alteratio, nec motus. Neq; enim, quod quomodocūq; potētia eſt, in actū mutatum alteratur. Quo huc uſq;, tanquam ſic habeat, uſus eſt, quòd nondum diuiſum ſit, quot modis eſt, quod eſt potentia.

Nunc enim de eis ſimpliciter dicimus.

Simpliciter, id eſt indiſtincte & indefinite, de potētia, & entelechia ſeu actu dicimus, neſcientes eorum differentiam, & quid unūquodq; ſignificat, & quot modis dicitur. Nūc aūt, inquit, quoniā eo, quod eſt potentia, in ſenſu paulò ante uſus eſt: eo autē quod actu eſt, & actu, in faciendo, & patiendo: Omnia enim pati ait, ab eo, quod eſt actiuū, & actu eſt. Vel Nunc dixit, uſque ad factam ab eo diuiſionem eius, quod eſt potentia, & eius, quod eſt actu.

Eſt enim ſic ſciēs aliquid, vt ſi dicamus hominem ſcientē, quòd homo eſt ex ſcientibus, & ſcientiam habentibus. Eſt aūt, & vt iam dicimus ſcientem, qui habet grammaticam.

Diſtinguit id, quod eſt potentia, & oſtendit eſſe duplex. Quod enim natura aptū eſt, & qđ poteſt habitū ſuſcipere, potentia tale dicimus: ut hominē Potentia ſcientē dicimus, quòd ipſius natura eſt ſcientiæ ſuſceptiua. Iuxta quod ſignificatū materiā quoq; potentia dicimus. & potentia præterea dicimus, quod iam habet habitū, & ſecundū eū non operatur. Muſicus enim, quādo nō operatur, potentia muſicus dicitur. Hæc eſt aūt potentia quam prius dixit primam entelechiā, in qua animam quoq; eſſe oſtendit. Eſt enim in confinio primæ potētiæ, & ſecundæ actionis. Quare & utroq; nomine appellatur. & quonā ſit utriuſq; eius, quod eſt potentia, differentia diſtinguit, apertè dicens.

Vterq; enim horum non eodem modo potens eſt, ſed ille quidē, quòd tale genus eſt, & materia: Hic verò, quòd, ſi velit, potens eſt cōtemplari, niſi quid externū prohibuerit. Ille autem iam cōtemplans, & qui eſt entelechia, ſeu actu, & qui ꝓpriè ſcit hoc, A. Vtriq; ergo primi ſecundum potentiam ſcientes.

Homo enim communiter ſciēs dicitur, quòd hominis natura eſt ſciētiæ ſuſceptiua. Hoc enim illi ſignificat genus, & materia, pro eo qđ eſt, ipſa hominis natura, & ipſum ſubiectū. Genus enim dicit, & ſubiectū ſecūdū hoc ſignificatū, & materiā potētia diximus. Omnis enim materia potentia illud eſt, cuius eſt materia, quòd poßit ipſum ſuſcipere. Aliud aūt ſignificatū eius, quod eſt potētia, dicitur in eo, quod iā habet habitum, &

non

*nõ operatur, quòd uolens operari, operari poßit, niſi quid pro hibuerit. quare & hic quoq; eſt potētia. Qui uerò præter id, quod habitũ habet, agit quoq; ſecũdũ habitũ, hic iã entelechia eſſe dicitur. Scientiã aũt ſecundũ actũ oſtendit, eo quòd addi dit hoc, A. Hic enim eſt qui ſecundum grammaticam operatur, qui dicit, uel ſcribit hoc, A.*

Sed ille quidem per diſciplinã alteratus, & ſæpe ex cõtrario habitu mutatus: hic verò ex eo quòd habeat ſenſum vel grammaticã, non operetur autem, ad operandum alio modo.

*Exemplo oſtendit, quidnã dicti modi differant eius, quod eſt potentia: quòd ille quidē, ſecundũ primũ potentiæ ſignificatum, qui eſt potētia ſciēs, ad hoc, quòd habeat, quod poteſt, per diſciplinã alteratus, & ſic ſæpe per contrariũ habitũ mutatus, ſciens fit. Vel enim ab ignorantia in cognitionē mutatur: uel à falſa opinione in uerã. Quorũ primũ quidē à priuatione in formã eſt mutatio: & eſt generatio, & non alteratio. Alteratio enim eſt mutatio à formato ad formatũ, eodē manēte ſubiecto. Hæc eſt ergo alteratio. Ipſe aũt, qui nunc uniuerſalius cã, quæ ex eo, quod eſt potētia, ad id, quod actu eſt, mutationē alterationē dixit, hoc corriget, & definiet, de quonã propriè alteratio dicitur. Eũ aũt, qui ex eo, quòd ſenſum, uel ſcientiam habeat, non operetur aũt, ad operandũ procedit, in quo ſecundũ erat ſignificatũ eius quod eſt potētia, non per alterationē, nec per mutationē fieri dicit: ſed alio modo ex tali potētia actũ fieri. Similiter & in eo qui habet ſcientiã, ſed nõ operatur, & in eo qui ſenſum. Alio aũt modo, dicens, quòd uõ magis alienus ſit talis: ſed ſolũ operationē aggreditur. Cùm ergo duplex ſit, &, quod potentia, & quod actu eſt: quicquid potentia quidem eſt, ad alicuius abſentiã potentia eſſe dicitur: quod aũt actu eſt, ad præſentiã actiõis. Quod enim potētia primũ eſt, ad habitus, & actionis abſentiã dicitur: Secundum aũt ad abſentiam actus.*

57 Non eſt aũt nec pati quidem ſimplex: ſed hoc quidē quædã à contrario corruptio: illud verò ſalus potius eius, quod eſt potentia, ab eo, quod eſt entelechia ſeu actu, & ſimili, ſic vt potentia habet ad entelechiã & actũ. contēplãs enim fit, quod habet ſciētiã: quod nõ eſt alterari. Fit enim incrementũ ad ipſum, & ad entelechiã & actũ: vel alterũ genus alteratiõis.

*Poſtquam diuerſa ſignificata diuiſit eius quod eſt potentia, & eius quod actu eſt, nunc uult oſtēdere, quòd ne pati quidem ſimplex eſt: pro eodē accipiens pati, & alterare, ut ipſe paulo poſt declarauit. Poſtquam enim dixiſſet, quòd id, quod ab eo, quod eſt potētia, diſcit & ſcientiã accipit, ab eo quod actu eſt, & doctrina prædito, uel eiuſmodi, pati dicendũ eſt: poſtquam, in quã, hoc dixiſſet, intulit uel nõ eſſe alterationē, uel eſſe duos alterationis modos, idē dicens, Pati, & Alterari. Duplex ergo pati eſſe dicit, hoc quidē, quod ad corruptionē ducit, quod etiã propriè eſt paßio, & alteratio: illud uerò, quod ad perfectionē, quod nõ propriè paßio dicitur, neq; alteratio, ſed potius generatio. Et, ut paucis dicã, cùm duplex ſit id, quod eſt potentia: ſi quidē ex eo, quod eſt ſecundũ potētia, quod erat, id quod ſecũdum habitus in operationē mutatur, nullo modo eſt alteratio, neq; paßio: ſiquidē alterari dicitur, cuiuſmodi eſt, quod albeſcit, uel nigreſcit, quod manens ſecundũ ſubſtantiã, & idē ſubiectum, ſecundũ paßiuã qualitatē habet mutationē: ex cõtraria enim qualitate in contrariã mutatũ, corrupto habitu mutatum eſt. Quod aũt ex eo, quod habet habitũ, ſed nõ operatur, ad operandũ mutatur: nõ ſecundũ aliquã qualitatē habet mutationē: neq; enim, alia qualitate corrupta, in aliã mutatũ eſt: ſed eodē habitu manente ſolũ actũ aßumpſit. Neq; enim domus ædificatorē alterari dixerimus, à non ædificãdo ad ædificandũ mutatũ: uel geometrã, quãdo theoremata aggreditur. Quæ ergo eſt à ſecundo potētia, ad id, quod ſecundũ actu eſt, mutatio, clarum eſt, quòd ne mutatio quidē poßit exiſtimari. uel ſi alicui placeat eã quoq; alterationē uocare, alterũ, inquit, hoc fuerit genus alterationis, & nõ, ſicut ex conſuetudine dicitur: hoc autē eſt mutatio, quæ fit ſecundũ paßiuas qualitates, quando ex contraria qualitate in qualitatē cõtrariã mutatur, quod mutatur, eodē manente ſubiecto. Quæ aũt ex eo, quod eſt prius potētia, ad id, quod ſecundũ eſt potentia, primus aũt actus, mutatur, ſi ex contraria quidē in cõtrariã mutatur, eſt alteratio. Vt quando quid fit ex calido frigidũ, & ex albo nigrũ. Potētia enim eſt contrariũ, quod contrariũ. Quando aũt ex priuatione in formam fuerit mutatũ: eſt hoc generatio, & nõ alteratio. Vt quãdo ex nõ homine fit homo, & ex nõ igne ignis, & in ſimilibus. Vel ergo ne hoc quidē propriè eſt alteratio, ſed ſimpliciter generatio: Vel duo fuerint modi alterationis, &, quæ ex priuatione eſt in formã mutatio, &, quæ ex contrario in contrariũ. Eſt aũt, quæ ex contrario in cõtrarium eſt mutatio, generatio quædã, & corruptio, & ſimpliciter generatio: ut in libro de generatione dictũ eſt. Corruptio quidē eius, ex quo mutatur: Generatio aũt eius, in quod mutatur. Non eſt aũt nec pati quidē ſimplex: ſed hoc quidē quædã à contrario corruptio: illud uero potius ſalus eius, quod eſt potētia, ab eo, quod eſt entelechia ſeu actu, & ſimile. Videtur autē quicquid ex eo, quod potētia eſt, in entelechiã & actũ mutatur, pati & alterari. non aũt ſic habet. Vnde & ipſe uſus eſt in omni, quod ex potentia in actũ mutatur, paßionis nomine, idē eſt autē dicere, alterationis. Dixit enim quòd hoc quidē eſt à cõtrario corruptio: corrũpitur enim nigrũ accedēte albo: eſt aũt hoc, quod eſt prius potētia. Eſt enim potētia cõtrariũ, quod cõtrariũ, quoniã in id mutari ſua natura aptũ eſt: illud uerò perfectio. Eſt enim domus extructoris, & aliorũ ſciētijs præditorũ perfectio, ſecũdũ habitũ operari. Cùm hic aũt cõmuniter de omni, quod eſt potentia, pati prædicauerit: hoc aũt eſt alterari: eo quòd conſuetudinis curã non habuerit, in horum nominũ differentia, de his ſigillatim & articulatim deinceps diſſeret: & dicet quid propriè eſt alteratio, & quid, quæ non eſt penitus alteratio: uel uniuerſum hoc, æquiuoca alteratio Dicet, &, quæ à nobis prius ſunt cõſiderata. Poſtquam aũt dixit hanc quidē mutationē à contrario fieri cõtrarium corrũpēte: illã uerò à ſimili: ſimilitudinis modũ declarauit agētis, & patiētis, ſubiũgēs, Quòd ſic ſimile, ut potētia habet ad entelechiã & actũ. Quod quidē æquale eſt huic, Vt habitus ad propriũ operationē. Ab habitu enim procedēs operatio ſic eſt ei æqualis, ut propriũ opus & propria operatio unicuiq;, cuius eſt opus. Sicut ergo ſimilis eſt domus extructiuo, uel geometrico habitui domus extructiua, & geometrica operatio: ſic ſimile ei, quod actu habet, id quod habet habitũ, à quo in actũ producitur, hoc quidē agēte, illo uerò patiēte. Quoniam enim & intelligere, & ſentire fit ſecundũ imaginũ aſſumptionē intelligibiliũ, & ſenſiliũ: idē ferè eſt, quòd ſecũdũ actũ intelligit, & ſentit, quod indelligibilia, & ſenſilia. Sic ergo ſenſus eſt potētia, quod ſenſile: & intellectus, quod intelligibile: ut habitus eſt ſimilis operationi propriæ, Sicut ergo habitus præſenti actu & operatione propriã ſui eſſe perfectionē recipit, nõ corruptus nec alteratus: ſic & ſenſus, qui eſt potētia idē, quod ſenſile. Potētia aũt, quod eſt ſecundũ habitũ, à ſenſili, quod eſt actu, deducitur in actũ, ſic ei aßimilatus, ut ei natura aßimilari datũ eſt. Sicut enim cerã potentia dicimus id, quod annulũ: fieri aũt ab eo actu expreſſum, quod ille: non quòd facta ſit cera, quod annulus ſecundũ materiã: ſed quòd expreſſam eius figurã ſecundũ ſuperficiē accepit. ſic & in ſenſibus oportet intellige-*

*re, quando eos fieri dicimus, quod ſenſile: non quòd albus fiat uiſus, uel niger: ſed quod ſenſiliũ formas, quæ poſſunt ſine materia cognoſci, in ſeipſis ſenſus admittant. Cùm aũt dixiſſet ſalutem eſſe talẽ affectionẽ ſeu paſsionẽ, & mutationem eius, quod ſic potentia dicitur: declarauit, quomodo ſalus, ſubiungens: Contemplans enim fit, quod habet ſcientiã. Habitus enim ſalus eſt propria operatio. Hi certe, qui ſecundũ habitus operãtur, eos magis ſeruant. Simul autẽ per hoc expoſuit, quomodo illud dixit, ut potentia habet ad entelechiã & actũ: & declarauit, de quali potentia, & entelechia dicit: quòd de ſecunda potentia, quæ eſt ſecundũ habitũ, & ſecunda operatiõe, ea enim eſt perfectio, & ſalus operationis propriæ. ſicut contẽplatiui habitus, & ſcientiæ perfectio, & ſalus, eſt ipſa cõtemplatio. quod quidem uel nõ eſt alteratio: in ipſum enim fit incrementũ: uel alterũ alterationis genus. Qui enim habet ſcientiã, deinde eius operationes aggreditur, non propriè dici poſsit, eo ipſo, quòd illas operationes aggrediatur, pati, & alterari. Neq; enim ulla in eo facta eſt mutatio: ſed ſolũ perfectio, & habitus manifeſtatio. Vel ergo ea non eſt proprie alteratio: Vel ſi cui placet eã quoq; alterationẽ uocare, alterũ fuerit alterationis genus, & æquiuocũ: & non, quod uulgo fertur, & dicitur in ea, quæ eſt ſecundũ locũ, mutatione: quã quidẽ motũ quoq; dicimus. Illud autem, in ipſum enim eſt incrementũ, eſt maximè huius ſuſceptiuũ, quod non ſit huiuſmodi alteratio: ſi quidẽ alteratio quidẽ, manente ſubiecto ſecundũ eius ſubſtantiã, ſecundũ paſſionem eſt mutatio, ex alio in aliud mutato eo, quod præextitit: id aũt, quod in ſuã ipſius perfectionẽ procedit, in ſeipſum incrementum ſuſcipit, idem manens, & non ex alia forma corrupta in aliam mutatum.*

58 Quare non rectè habet ſi dicatur, id, quod prudens eſt, quando prouidet alterari: ſicut neq; domus ædificatorẽ, quãdo domum ædificat.

*Sicut enim ædificator, quando iam operatur, nullã ſecundũ artem alterationẽ ſuſtinet: ſic neq;, quod eſt ſcientia præditum, quando ſecundũ ſcientiã operatur. neq; ſentiens, quando ſentit. Ab otio enim & ceſſatione ad operationem eſt mutatio: nõ ex forma in formam: quod facit alteratio.*

Quod ergo ducit ad entelechiã & actũ ab eo, quod eſt potẽtia, iuxta id, quod intelligit, & prouidet, non doctrinam, ſed aliam cognominationem habeat æquum eſt.

*Hoc eſt, id, quod iuxta ſecundã potentiã conſideratur, ſicut, quod prouidet, quando ad ſecundã operationem deducitur, non doceri dicatur ab eo, quod in operationẽ ducit. Nõ enim diſcit ab eo, quod ipſum mutat: hoc autem eſt ſcibile, uel ſenſile. Non enim quicquam ab eo patitur. Quare neq; illud agit.*

Quod autẽ ab eo, quod eſt potẽtia, diſcit, & ſciẽtiã accipit ab eo quod eſt actu, & quod docere poteſt, vel dicendũ eſt non pati, vt dictum eſt, vel duos eſſe alterationis modos: & eã, quæ ad priuatiuas fit diſpoſitiones, mutationẽ: & eã, quæ ad habitus, & naturam.

*Hoc eſt, quod ſecundũ priorem potentiã, cuiuſmodi eſt ſciẽtiæ ſuſceptiuũ: qualis eſt puellus, qui ab eo, qui eſt actu ſciens, ad habitũ prouehitur. Poſtquã aũt dixit, quomodo habet, quæ ex ſecundo potentia, in actũ fit, mutatio: nunc dicit de ea, quæ ex priore potentia in prius actu fit, mutatione: cuiuſmodi eſt puellus, qui in ſcientiã deducitur. Quod itaq; ſic mutatur, inquit, ne pati quidẽ omnino dicemus. Proprie enim pati in his, quæ corrũpuntur, dicitur, ſecundũ conſuetũ uſum. uel ſi quis hoc quoq; pati dicat, duos, inquit, eſſe modos dicendũ eſt patiendi, & alterandi: partim quidẽ, quando in priuationẽ mutatur, à ſciendo ad neſciendũ traductũ: quod eſt & propriè paſsio: quoniã paſſio corruptio quædã eſt, & in deterius mutatio. Propriè enim patiuntur, quæ fiunt deteriora: & præterea quando ex cõtrario forma in contrariũ mutatur. & hic enim corruptio quædã eſt eius, ex quo fit mutatio. & propterea paſsio eiuſmodi eſt. Partim aũt, quando in perfectionẽ & naturã, id eſt ad id, quod natura datũ eſt, & quod ſibi natura propoſuit, ut ſciẽtiæ ſuſceptiuũ, quando iam ſcientiã ſuſceperit. Quando enim ad id, quod natura inſitũ eſt, mutatur, in perfectionẽ quodãmodo eorum quoq; mutatio eſt, & in ipſum incrementũ. non ſimiliter autẽ ad id, quod habet habitũ. à priuatiõe enim in habitũ in his fit mutatio: nõ ab habitu in actũ. Prius itaq; paſsionẽ diuidens hãc quidẽ dixit in his, quæ ex cõtrario habitu in contrariũ mutantur, & ſic potentia dicuntur: illã uerò in iis quæ ab habitu in operationẽ procedũt. Nunc aũt nõ ſic. ſed ſecunda quidẽ nec paſſio quidẽ omnino eſt, neq; alteratio. Quare neq; motus fuerit, neq; doctrina, quæ eſt ſecũdũ hoc, mutatio. Quod aũt eſt in eo, quod eſt prius potentia, dupliciter diuiſit: & in id, quod eſt in priuationẽ mutare: quod quidẽ dixit propriè pati, & alterare: & in id, quod eſt in habitum à priuatiõe: quod neq; paſsio eſt, neq; alteratio, uel æquiuocè.*

Senſitiui aũt prima quidẽ mutatio fit à generante. quando aũt generatũ eſt, habet iam tanquã ſcientiã, & ſentire. Ac quod ſecundũ actũ quidẽ eſt, ſimiliter dicitur ac contẽplari. 59

*Cùm de ſenſibus dicere cepiſſet, & cõmuniter de omni ſenſu tractare propoſuiſſet: deinde dixiſſet, quòd ſenſus in eo, quod eſt moueri & pati, accidit: uidetur enim ſenſus eſſe quædã alteratio: & cùm in uniuerſum dixiſſet de agente, & patiente, utrũ ſimile à ſimili patitur: uel contrariũ à contrario: huic dubitationi alterã dubitationẽ adiunxit, cur non propria ſenſoria apprehendit ſenſus: cùm ſint ſenſilia? hanc aũt ſoluens dubitationem dixit, quòd ſenſus eſt potentia, nõ actus. Quare quẽadmodũ, quod uri poteſt, à ſeipſo non uritur abſq; uſtiuo: ſic & ſenſus proprium ſenſoriũ nõ apprehẽdit, utpote qui extra ipſum operari nõ poſſit. Quoniã ergo nihil ipſum à ſeipſo agit, neq; à ſeipſo patitur: ſenſus aũt ſentit eo quòd patitur: clarũ eſt quòd ipſe ſeipſum nõ apprehendat, hoc eſt propriũ ſenſoriũ, cũ quo operationes exercet: quãdoquidẽ neq; in ſeipſum poteſt agere. Dupliciter itaq; ſenſus eſt, inquit, hic quidẽ potentia: ille uerò actu. ſimiliter & ſentire. Patitur autem, quod patitur, inquit, ab actiuo, & eo quod actu eſt. lignum enim, quod eſt potentia, quod ignis, patitur ab igne, qui actu eſt. & diſcipulus, qui eſt potentia, quod præceptor, patitur à præceptore, qui actu eſt. Prius quàm ergo paſſum ſit, quod patitur, diſsimile eſt agenti: Paſſum autem ſimile eſt. Eſt itaq; ut ſimile à ſimili patiatur: eſt ut & à diſsimili. Si enim quod potentia paſsiuum eſt, theorema, eſt agenti diſsimile: Sæpe autem, inquit, & contrarium. Si autẽ iam paſſum, ſimile eſt. Hinc ergo quoniam omnino uenit ad mentionem eius, quod eſt potentia, & eius quod actu, & agendi & patiendi: utriuſq; diuiſionẽ fecit, & dixit, duobus modis eſſe, quod eſt potentia, &, quod actu eſt: & quòd pati quoq; dupliciter: hoc quidem corruptio à contrario: illud uerò ſalus potius. Deinde dixit, quomodo ſe habet ſenſus ſecundum id, quod eſt pati: quòd à ſenſili quidem patitur, non ad corruptionem ductus, ſed perfectionem. Hæc ergo poſtquam dixit, nunc dicit quomodo ſe habet, & ſecundum id, quod eſt potentia, & ſecundum id, quod actu eſt. Quoniam enim duplex eſt, quod eſt potentia: hoc quidem primum: illud uerò ſecundũ: hoc quidem ſecundum ſolã aptitudinem abſq; habitu: illud uerò ſecundũ habitũ*

*bitum citra operationem: dicit quòd ſenſitiuũ potentia eſt ſecundum aptitudinẽ ſemen, & omnino animalis materia. Sicut enim ſe habet nuper natus puellus ad hoc ut ſit grammaticus: ſic ſe habet quoque animalis materia ad hoc, ut ſit ſenſitiua. Quid ergo eſt, quod id, quod potentia primũ eſt, ad habitũ deducit: hoc eſt, quod potentia quidẽ eſt ſecundum, actu uerò primum? Generans, inquit. In conceptione enim deducitur aptitudo ad habitum. Sicut ergo puerũ ad habitũ ducit, is qui eſt actu grãmaticus: ſic & ſemen, & omnino animalis materiã deducit ea, quæ in matre eſt, natura, ad ſenſum, qui eſt ſecundũ habitũ. Eſt ergo conceptio alteratio, & mutatio eius, quod natura ſentire aptum eſt, ad ſenſum, qui eſt ſecundũ habitũ. Poſtquã aũt natus fuerit, iam habet habitũ. Poſtquam enim perfectè inſitus fuerit ſentiendi ſecundum omnẽ ſenſum habitus, ſtatim paritur. Sic enim generatur animal cũ habitu ſenſitiuo. Quæ ergo à potentia primo in habitũ eſt mutatio, fit in conceptione ab ea, quæ eſt in generante, natura. Ab habitu autem in actũ mutatio fit à ſenſilibus. & ideo, cùm primũ natus fuerit, ſi adſit ſenſile, id ſtatim apprehendit. Vnde & protinus uagit in non conſuetum & frigidũ aërem incidens, & non ſolũ cũ ambientis aëris cõtactu cõcertans, ſed & cũ uiſu luminis. Clarũ aũt, quòd ſicut ea ſentit, ſic, & ſi reliquorum ſenſuũ ſenſilia inciderint, omnino & ea ſentiet, ſonos dico, ſuccos, & odores. Sic itaq; in ſenſitiua anima, & , quod potẽtia, & , quod actu eſt, & , quæ ſecũdum ea mutatio eſt ab aptitudine in habitum, is eſt qui generauit: ab habitu autem ad operationem, ſenſilia: quando & ipſa adfuerint, & quecunq; alia, quibus opus eſt ad eorũ apprehenſionem. ut lumen quidẽ in uiſibilibus, & perſpicuus, purus, & non caliginoſus aër: diuiſus aũt in ſonis: & redolens in odorabilibus. Quoniã aũt & in rationali anima duplex eſt, & , quod potentia eſt, & , quod actu: quænam fuerit in ea quoq; cauſa mutationis? Cùm eſt ergo extra corpora, ab eo quidẽ, quod potentia primum eſt, omnino ſeparata eſt, ut quæ ſit mens pura, & omnia intelligibilia habens ſecundũ habitũ. Poſtquam autẽ in generationem decidit, ſicut, qui morbo, uel tempore, uel lotione ſcientiã mutauit, ex ſcientia in inſcitiã mutatur: & fit primo potentia ſciẽs, aptitudinẽ ſolam habens, non etiã habitum. Ad habitum autẽ à præceptore deducitur, uel etiã à ſenſilibus, ipſa quærens & inueniens, & per particularia ad uniuerſalia conſcendens. Poſtquã aũt habitum comparauerit, tunc habet uoluntatem, quæ eſt cauſa effectiua, ut ab habitu in operationem mutetur. Quãdo enim eligit, aſſumit, quæ in ſe ſunt, rationes ad operationem: Dico autẽ ſenſilis. Mens aũt nullo externo opus habet: ſed ipſa ſeipſam producit. Huius ergo cauſam tradit, quòd ſenſus quidẽ alicuius particularis habet apprehenſionẽ: particulare aũt aliquod corpus eſt. Meritò ergo exterius eſt. Mens aũt uniuerſalia apprehendit. Vniuerſalia autem rationes, ſeu definitiones. Hæ aũt non exterius, ſed in ipſa ſunt anima. Mens itaq; aliquo exteriore non eget, quod eã perficiat. Dixit aũt eã iam habere, ut ſcientiam, & ſentire: non quòd animalia, ſtatim ac generata fuerint, ſcientiam habeant: ſed id quod in ſenſu duplex eſt uolens oſtendere, & quod eſt ſecũdũ habitũ, & quod eſt ſecundũ actum, eũ, qui eſt ſecundũ habitum, ſenſum ſcientiæ præſentiæ ſimilẽ eſſe dixit. Exempli ergo gratia ſcientiã addidit. habet enim ſenſus ſenſitiuã facultatem, ſicut quandã ſciẽtiã. Sicut enim, quod diſcit, per diſciplinã mutatũ habet ſcientiã: ſic & genitũ ſtatim eũ, qui eſt ſecundum habitũ, ſenſum. Quod enim eſt in illo diſciplina, in hoc eſt generatio. Si aũt ſtatim ac fuerit genitũ, habet eũ, qui eſt ſecũdũ habitũ, ſenſum: non per alterationẽ ergo fit ſentire ſecundũ actum: ſicut neq; operari ſecundũ ſcientiã fit per alterationem. Et illud, Secundũ actũ, ſimiliter dicitur ac cõtemplari. ſicut & ſecundũ potentiam ſentire, ſimile eſt ei, quod eſt, ſcire. Sic & ſecundum actum ſentire ei, quæ eſt ſecundum ſcientiam, contemplationi ſimile.*

Sed hoc quidem ab illo differt: quòd illius quidẽ operatiõis effectiua foris ſunt, viſibile, & audibile. Similiter autẽ & reliqua ſenſilia.
Cauſa aũt, quòd ſingulariũ eſt, qui eſt ſecũdũ actum, ſenſus: Scientia autẽ vniuerſaliũ. Hæc verò ſunt in ipſa quodammodo anima. Quãobrem intelligere quidem in ipſo eſt, quando velit: ſentire autẽ non in ipſo. neceſſe eſt enim adeſſe ſenſile. 60

*Poſtquã dixit ſimile eſſe ſecundũ actum ſentire ei, quod eſt contemplari: nũc dicit quanam ratione differat: quòd eius quidem, qui eſt ſecundũ actũ, ſenſus foris ſunt effectiua: externè enim incidentibus ſenſilibus ſentimus: ea autẽ, quæ contẽplari poſſumus, non foris ſunt. Deinde & cauſam addit, cur illa quidem exterius incidant: hæc uerò non: quòd ſenſus quidem eſt ſingularium: ea aũt per ſe ſeparatim ſubſiſtunt, quibus animal quoq; ad hoc, ut ſit, opus habet. Eo enim, quòd illis opus habeat, ſenſus animali datus eſt. Scientia aũt ea, quæ ſunt uniuerſalia, apprehendit. Vniuerſalia aũt, inquit, ſunt in ipſa quodãmodo anima. Exactè aũt illud, Quodãmodo, adiecit: uel quia illud, In ipſa, ut in aliquo loco: ſicut & ipſe in ijs, quæ deinceps ſequuntur, dicit, Et rectè qui animam locũ formarũ eſſe dicũt: non propriè aũt illud, uidelicet, In loco: ſed ſecundum proportionem, & conuenientiã: uel quòd etiã uniuerſalia in ſingularibus ſubſiſtant: quando aũt ut uniuerſalia & cõmunia accipiuntur, ſunt in anima. Eis enim cõmuniter ſuũ eſſe eſt in intelligẽda eorũ communiõe. Intelligentiæ aũt in anima. Intelligere aũt in ipſo dixit, ſed nõ in ipſa, hoc eſt, in eo quod habet animam.*

Similiter aũt hoc habet & in ſenſiliũ ſcientijs, & propter eandem cauſam: quòd ſenſilia ſingularium ſunt, & externorum.

*Non ſolum, inquit, ſenſus, qui circa particularia, & ſenſilia uerſatur, externis præſentibus opus habet, ut agat: ſed & eæ, quæ circa ſenſilia uerſantur, ſcientiæ, cùm in ſeipſis non habeant, ut poßint operari quando uelint, ſed & ijs opus eſt, ſicut & in ſenſu, exterius adeſſe id, circa quod eorũ uerſetur operatio. Ipſæ enim circa ſingularia, & externa, & quæ ſeparatim ſubſiſtũt, uerſantur: ut Politicus: Mechanicus: & , ut ſemel dicã, particulares artifices. Eorũ enim ſcientia eſt circa ſingularia. ut Politicus cõſiderabit, an hic ſit exercitus imperator aſſumendus. & ædificator, an ſit hoc lapide utendũ. Horum autẽ, quæ ſunt particularia, conſideratio ſciẽtiæ eſt, uidelicet, & nõ ſenſus. Vniuerſalis ergo ſecundum artes cõſideratio in his eſt. Quæ autem ab artibus circa ſingularia fit contemplatio, non amplius in his. Materia enim, & inſtrumentis opus eſt.*

Sed de his quidẽ apertè dicẽdi fuerit quoque occaſio poſtea, nunc aũt tantũ definitum 61
ſit, quòd, cũ nõ ſit ſimplex, quod potentia dicitur: ſed hoc quidem, vt ſi dicamus puerum poſſe exercitus ducem eſſe: illud verò, vt eũ, qui eſt in ætate: ſic habet ſenſitiuum.

*Quomodo uniuerſalia contẽplari in nobis, & quomodo actiuus intellectus particularia apprehẽdit, nunc differt de his cõſiderationẽ. De his enim in tertio libro dicit. Cur autẽ eius, quod eſt potentia, & eius quod actu eſt, diuiſionem fecerit, nobis in memoriam reducit: nempe ut oſtendat, quomodo dicantur animalia, quando non ſentiunt, ſenſum habere potentia. iuxta ſecundam enim potentiam, quæ de ijs, qui actum iam habent, prædicatur: de quibus nec pati, nec alterari propriè dici*

 poßit

*poßit.in ipſum enim eſt incrementum, & non in contrariũ mutatio, ut dixit.*

62 Quoniam autẽ eſt innominata ipſorũ differentia: de his autẽ definitũ eſt, quòd ſunt alia, & quomodo alia: neceſſe eſt vti eo, quod eſt pati, & eo, quod eſt alterari, vt proprijs nominibus.

*Quoniã utitur eo, quod eſt pati, & eo, quod eſt alterari, ut proprijs nominibus, in ſenſu, qui eſt ſecũdum actum: dixit autẽ, quòd nec pati, nec alterari ſentire eſt: cauſam, cur his nominibus, in eo, quod eſt ſentire, utitur, dicit. Quoniam, inquit, eſt innominata harum facultatum differentia: neq; enim proprijs nominibus diſtinctam habemus utranq; facultatem: ratione autem didicimus, quænam ſit harum facultatũ differentia: neceſſe eſt, ut utamur in his eo, quod eſt pati, & alterari, ut proprijs nominibus: quia, ut dicebam, non ſunt in uſu, quæ ſint illis impoſita nomina.*

Senſitiuum autẽ potentia eſt, vt ſenſile iam actu, quemadmodum dictum eſt.

*Quia dicturus eſt ſenſitiuum pati à ſenſili: non ſine iuſta ratione præſumit, potentia ſenſitiuum eſſe ut ſenſile eſt actu. hoc autem prius dixit etiam, quando quærebat, an ſimile à ſimili patitur, an diſsimili. Potentia autẽ eſt ſenſitiuum ut ſenſile, iuxta ſecundam potentiam. neq; enim paſſum, nec à contrario habitu mutatũ, ei aßimilatur: ſed eius forma ſuſcepta. Neq; enim albus fit ſenſus, ſenſilis forma ſuſcepta (quare nec pati, nec alterari propriè dicitur) ſed formæ rationem in ſe cognitiuè ſuſcipiens. Sicut enim ceram dicimus id eſſe potentia, quod annulum: eo quòd ab ipſo paſſa id fit, quod ille actu, non ipſius materia ſuſcepta, ſed ſolum forma: ſic & ſenſus à ſenſilibus paßus ipſorum formas in ſe impreſſas incorporaliter habet. Differt autẽ, quòd cera quidem ipſa fit formæ materia, quæ eſt in annulo: Senſus autem non fit ſenſilis materia: ſed ipſi illius forma cognitiuè imprimitur. Habet autẽ ſenſus aliquid plus quàm cera. Cera enim, etſi ſit materia formæ, quæ eſt in annulo, non tamen per totam ipſam formam ſuſcipit, ſed in ſuperficie: Senſitiua uerò facultas per totam uitalem formas ſenſiliũ imprimit.*

Patitur itaq;, cùm non eſt quidẽ ſimile: Paſſum autẽ aſſimilatur, & eſt quale illud.

*Poſtquam dixit ſuperius, quomodo dicitur pati, quod patitur à ſimili & à contrario: hoc etiam ſenſui quoq; accõmodat, quòd antequam quidem paſſus ſit à ſenſili, non eſt ei ſecundum actum ſimilis: ei autem fit ſimilis, eo modo, qui ſæpe dictus eſt. Cùm autem propoſuiſſet de omni ſenſu communiter dicere: ſenſitiuæ animæ definitionem tradidit, quòd ipſa talis eſt potẽtia, qualia ſunt ſenſilia actu eius, quæ eſt ſecundum operationẽ, ſenſitiuæ animæ, tali uidelicet exiſtente operatione, qualia ſunt ſenſilia. Si autem eſt eiuſmodi: ſenſitiua fuerit anima ex neceßitate inſeparabilis: ſi quidem eſt facultas, per quam, quod eã habet, ſenſilibus aßimilatum, eo quòd ab eis quodammodo patitur, & alteretur, ea apprehendat.*

Cap. 2. 63 Dicendũ eſt autẽ ſecundũ vnumquẽq; ſenſum de ſenſilibus primum. Dicitur autẽ ſenſile tribus modis. Quorum duos quidem per ſe ſentiri dicimus: vnũ autẽ per accidẽs. Duorum autẽ, hoc quidẽ propriũ eſt vniuſcuiuſq; ſenſus: illud verò omnium commune.

*Poſtquam rationem tradidit, & ſenſitiuam facultatem definijt, quòd eſt potentia id, quod ſenſile, & dixit quòd non paſſa quidem à ſenſili eſt diſsimilis: ab eis autem paſſa, fit illis ſimilis: tranſit ad ſeparatim dicendum de unoquoque ſenſu: quoniam, ſicut iam dixit, in quibus, quod communiter prædicatur, non eſt genus, ſed uox æquiuoca, non eſt ſufficiens communis definitio, ad rei naturam nobis ſignificandam: ſed uniuſcuiuſq;, quod ab æquiuoca uoce ſignificatur, ſeorſum oportet definitionem tradere: quando neq;, quæ eſt generum definitio, ad ſingulas ſpecies cognoſcendas ſatis eſt. Vniuſcuiuſq; autem ſenſus definitionem traditurus, prius de unicuiq; ſenſui ſenſilibus tractat, propter ſæpe dictam rationem: Deinde de ipſis operationibus: & ſic de facultatibus. Quæſierit autem quiſpiam, cur non ante communem ſenſus definitionem prius de ſimpliciter ſenſili tractauit. Dico ergo, quòd huius ſimul definitionem cõprehendit in communi ſenſus definitione: ubi elementorum ſenſum eſſe dicebat per ſe, uel per ea, quæ eis accidunt. & rurſus, cùm dixit, quòd actu ſenſile, hoc eſt potentia ſenſus: & quòd ſenſitiui effectiua foris ſunt ſingularia: intellectiui autem in ipſo, & uniuerſaliter. Per hæc ergo omnia, quid eſt ſimpliciter ſenſile, ſignificauit: quòd ea, quæ elementis accidunt: quòd particularia: quòd ea, quibus ſenſus ſecundum actum ab eis patiẽs aßimilatur, qui prius erat eis potentia ſimilis. Porrò & hic de unicuiq; ſenſui ſenſilibus ſeparatim dicturus, prius quandam tradit diuiſionem omnium in uniuerſum ſenſilium, quot modis dicantur: ut quæ ſunt propriè ſenſilia, à ſenſilibus per accidẽs, quæ neq; propria ſunt ratione ſenſilia, ſeparans, de his uerba faciat: ne & illa incidant, & doctrinam perturbent. Tribus ergo modis, inquit, dicuntur ſenſilia. Senſilium enim alia quidem ſunt per ſe ſenſilia: alia uerò per accidens. Et eorum quæ ſunt per ſe, ſenſilium, alia quidem ſunt communia ſenſuum: alia uerò uniuſcuiuſq; propria. Vniuſcuiuſq; ergo ſenſus ſunt propria ſenſilia, quæ illi ſoli ſubſunt. ut uiſui quidem colores: auditui ſoni: olfactui autem uapores: guſtui uerò ſucci ſeu ſapores: tactui, quæ ei ſunt coordinata: caliditas: humiditas: frigiditas: ſiccitas: reſiſtentia ſeu repercußio: grauitas: & ſimilia. Propria autem ea dicuntur ſenſilia, quòd nulli alij ſenſui ſubſunt. neque enim uiſus uapores, uel ſuccos, uel tangibilia apprehendit. neq; ullus alius ſenſus, quæ ſunt alij ſenſui apprehenſibilia, apprehendit. Hæc ergo ſunt propria ſenſilia. Communia autem ſenſilia dicit eſſe quinque: motum: quietem: numerum: figuram: magnitudinem. Ea autem omnium dicit eſſe communia: non quòd unumquodque eorum omnibus ſenſibus ſubſit: ſed quòd unumquodq; pluribus, & non uni: quædam autem ſimul omnibus. Magnitudo enim eſt commune ſenſile uiſus, & tactus. Videmus enim magnum eſſe hominem, uel magnum montem. & tangentes quoque ſentimus, magnam eſſe, uel paruã molẽ, quæ ſubijcitur, uel interuallum. Si autem ſonum quoque dicimus magnum ſentire, uel paruum. hic ſecundum conuenientiam & proportionem magnitudo accepta eſt, non propriè. Magnitudinem enim nunc dicimus continuam eſſe ex communibus ſenſilibus. Magnus autem ſonus eſt qualitatis intenſæ, uel remiſſæ declaratiuus. Quare exile, uel uehemens magis propriè in ſonis dicere conuenit. Figura autem commune eſt & ipſa ſenſile tactus, & uiſus. Figuram autem dico, non quòd hic eſt triangulus, uel circulus: hoc enim eſt rationis dicere, Figura eſt, quæ ab una linea comprehenditur, uel tribus, uel quotcunque illæ fuerint: ſed quòd ſimpliciter eſt quidpiam circũſcriptum. Omnis autem circunſcriptio fit ſecundum aliquam figuram. Itaque & irrationalia, cùm in paruam terræ altitudinem, & leuiter accliuem inciderint, ad tranſeundum conſcendunt: ut quæ ſciant, quòd ſit circunſcripta magnitudo, & quòd tranſire poßint. cùm autem in ualde altum, & arduum, & præcipitem locum caſu uenerint, ne tranſire quidem tentant: ut quæ ſimul magnitudinem ſentiant, & figuram. Quare & ipſius*

*ipſius formæ & figuræ exilis quedam, & obſcura eſt eis perceptio. Eas itaq; uias fugiunt, quæ in acutum uel concauũ ſunt figuratæ: eligunt autem planam, & quæ in recta eſt. Numerus autem commune eſt omnium ſenſilium. Videmus enim quinq; fortaße eſſe homines. Sed & palpantes hoc ipſum ſcimus. Atq; audiẽtes ſcimus, plurium, uel pauciorũ, uel unius uocẽ eſſe, quæ ad nos peruenit. In his autẽ dubitauerit quiſpiã, quomodo Ariſtoteles dicens numerum eſſe cõmune ſenſile, nõ ſolum alijs aduerſatur philoſophis, ac ipſi rerum operationi, ſed & ſibijpſi. Cum enim in Phyſica dixiſſet tempus eſſe numerũ motus: numerare dixit ſolius eſſe mentis. Nihil enim, inquit, poteſt numerare, præterquam anima, & animæ mens. Quomodo ergo illic ſolam mentem numerum dicit apprehendere, hic autẽ ſenſum? Dicimus ergo ipſam quidẽ numeri formã mentẽ apprehẽdere. Senſus autem non, ut tantũ numerũ, apprehendit, ſed ſimpliciter ut eũ, qui plures cõtineat: uel unitatem: & ut minorẽ multitudinem, uel maiorẽ. Mens eſt autẽ, quæ per ſenſum numeri quoq; formã cognoſcit. Quòd autem auditus quoq; hunc numerum apprehendit, clarũ eſt. Aures pernicũ ſtrepitus quoq; pulſat æquorũ, inquit ille. Scit enim eas, quæ acceſſerũt uoces, plurium eſſe, quã unius. Quòd autem guſtui quoq;, & olfactui ſenſilis eſt numerus, clarũ eſt. Sentit enim & odoratus differentes odores: Vt quando bene olens, & male olens uapor ſimul acceſſerit. Sunt autem & ſpecie differentes uel bene olentes, uel malè olentes. Similiter & guſtus, ſi miſceatur abſinthiũ cũ melle, utrunq; ſimul ſentit. Et motus quoq;, & ſtatus ſunt omniũ ſenſuum cõmunia ſenſilia, præterquã guſtus. Si enim ex eodem loco ad nos ſonus peruenerit: ſentit id conſtitiſſe, quod ſonat. Si autem nõ ex eodem, ſed & alius ex alio: ſentit moueri. Et in uaporibus ſimiliter. Tactum quoq; manifeſtũ eſt ſentire, id ꝙ mouetur, & quod ſtat. Sentit certè corpus quod eſt in aqua, ea uel conſiſtente, uel diffluente. Nunquid autẽ & guſtus, ſi guſtabile prætercurrit ſenſorium, ſentit motũ, uel ſtatum? Si quis ergo uirgam melle unxerit: deinde eã per os circumferat: apprehendet ſuccum non ſtantem. Quòd ſi quis huius cauſam tactum eſſe dixerit, non guſtum: non magnopere contendimus. Eſt ergo numerus omnibus quidem ſenſilis. Status autem, & motus, præterquam guſtui, reliquis. Figura autem & magnitudo tribus: uiſui: auditui: olfactui. Per accidens autem ſunt ſenſilia. Per ſeipſum enim uiſus apprehendit colorẽ, uel figurã: Per accidens autem, ꝙ hoc eſt Socrates. Eſt enim intellectus ſubſtantiarũ apprehenſiuus. Vniuſcuiuſq; autem propria ſenſilia ſunt reliquis per accidens ſenſilia. Viſo enim aliquo flauo, ut arbore, quæ ſtyrax dicitur, dicimus, Vidi aliquid bene olens. Per accidẽs enim, bene olens me uidere dico. Et olfacta ſtyrace, dico me flauũ olfeciſſe. & ſi ſonuerit argẽtũ, dico me argentũ audiuiſſe: uel album audiuiſſe. Similiter & ſi fuerit lignũ, quod ſonat. Et in omnibus ſimiliter. Guſtato enim melle, quiſpiã dicit flauũ guſtaſſe. Hæc ergo ſunt omnia per accidens ſenſilia: & ſunt unicuiq; ex alijs ſenſilia. Quæ ſunt itaq; propria ſenſilia, & quæ cõmunia, & quæ per accidẽs, dictũ eſt. Quomodo aũt ea à ſe inuicem diſcernãtur, &, quæ ſint ea, quæ unicuiq; figurã & characterẽ præbeãt, ſciemus cõtextũ perſequẽtes. Sciendũ autẽ, ꝙ, quæ uiſui, & auditui, & guſtui ſubiecta ſunt, ſenſilia, cõmunibus à cõſuetudine nominibus appellata ſunt. Viſus quidẽ, colores: auditus autẽ, ſoni. Guſtus uerò, ſapores uel ſucci. Quæ aũt tactui, et olfactui ſubiecta ſunt, nõ amplius cõmunibus nominibus appellata ſunt. Si enim tangibilia, uel odorabilia dicas, non eſt eorũ denominatio, ſed eorũ habitudinis, quæ eſt ad ſenſum. Sicut & ſi in reliquis uiſibilia dicas, uel audibilia, uel guſtabilia. Sed neque uaporũ nomine utemur propriè in odoratu. Vapores enim ſunt &, qui ex aqua aſcendunt, ſed non odorabiles. Vni quidem odoratui quædam oppoſitio contrapoſita eſt, quæ eſt ſecundum bene olens, & male olens: quæ quidem, ut dixi, propriè impoſitum commune nomen non habet. Similiter neq;, quæ tactui ſubiectæ ſunt, plures oppoſitiones: calidum, frigidum: ſiccum, humidum: durum, molle: & reliquæ.*

Dico autem proprium, quod non contingit alteri ſenſui ſentire, et circa quod nõ contingit decipi: vt viſus, colorem: auditus, ſonũ: guſtus, ſuccum.

*Propria ſenſilia ab alijs diſcernit, ꝙ nõ alij ſint ſenſui ſenſilia: quòd neq; cõmunia, neq;, quæ ſecundũ accidẽs ſunt ſenſilia, habẽt: illorũ enim plus uno apprehendimus. Ac de communibus quidem ſenſilibus clarũ eſt: De his autẽ, quæ ſunt ſecundũ accidens, ꝙ non ſolũ, uiſo hoc albo, per accidens ſentimus, ꝙ eſt Socrates: ſed & audita uoce, rurſus per accidẽs ſubſtantiã cognoſcimus: & nõ ſolũ uiſu cognoſcimus hoc lignũ, uel aliquid eorũ, quæ bene, uel male olent, ſed & odoratu. Poſtquam enim talem odorem ſenſimus, & ſi non conſpexerimus, ſubſtantiam ſcimus, ex qua odor eſt, & colorem. Similiter & guſtu cognoſcimus ſubſtantiam: uel tactu. Guſtu quidem, quòd eſt mel, uel quid tale. Tactu autem, panem: lapidem: carnem: & ſimilia. Hæc eſt ergo una eorum, quæ ſunt propriè, ſenſilium, & communium, & eorum, quæ ſunt ſecundum accidens, diſtinctio. Alia uerò, quòd circa propria quidem ſenſilia ſecundũ naturam habentibus ſenſibus, &, ex quibus locis apprehendi ſua natura apta ſunt, ſenſilibus admotis, circa ea non falluntur. At circa ea, quæ ſunt cõmuniter ſenſilia, & per accidẽs, fit deceptio. Neq; enim, ſi ægri fuerint, nec præter naturam ſe habuerint ſenſus, neque ſi à ſuis ſpatijs, & interuallis ſeiuncta fuerint ſenſilia, apprehendunt: Nec ſi conſulto, & de induſtria ſita ſint. Neq; enim à tergo poſitos uidet uiſus colores, ſed qui ſunt anterius. Ita enim ei natura datum eſt. Sed neq; anteriora à quouis interuallo: ſed quando & ea adfuerint, & præterea lumen. Circa communia autem ſenſilia fit error, &, quæ ſunt per accidens. Hoc enim albo eminus conſpecto, quòd album quidem eſt, ſcimus: utrum autem lapis eſt, uel lignum, uel quid eiuſmodi, ignoramus, et ſæpe erramus, aliud pro alio exiſtimantes. Et uoce quidem audita, eo autem non uiſo, quod uocem edit, circa locum erramus, unde uox eſt. Atque locus quidem eſt eorum, quæ ſunt ſecundum accidẽs, ſenſilium, ut deinceps oſtendemus. Præterea autem & circa figuras fit error. Itaque &, quæ ſunt rectilinea, eminus aſpecta rotunda eſſe uidentur: & quæ angulos habent, angulis carere, Sed &, quæ ſunt rotũda, rectilinea eſſe uidentur ijs, qui ſecundum ipſam lineam eminus ſe applicant: quod fit in luna dimidio orbe ceſa: Lineam itaq;, quod eſt illuminatum, à nõ illuminato diſcernentẽ, rectam exiſtimamus, cùm ſit rotũda. Sed & quidpiam, quod mouetur, uidentes, ſtare putamus, quãdo procul fuerit: & quod ſtat, moueri: Vt quando nauigantes terram moueri putant: ſeipſos autem ſtare. Similiter & magnitudines, quæ cominus, & eminus apparent, nõ ſe nobis ſimiliter exhibent. Neque, quæ per aërem, & aquam. Maiora enim apparent, quæ per aquam. Sed & circa numerum fit error. Pluribus itaq; ſimul canentibus auditis, propter ſimilitudinem unam uocem eſſe putamus: &, quæ ſunt procul diſcreta, unita ſæpe ducimus.*

Tactus autem plures habet differentias. Sed vnuſquiſq; quidem de his iudicat: & non fallitur, quòd color, neq; ꝙ ſonus: ſed quid, eſt, quod eſt coloratum, vel vbi, vel quid eſt, quod ſonat, vel vbi. Talia ergo dicũtur vniuſcuiuſq; propria.

*Nõ ſicut guſtus ſuccorũ ſolùm eſt apprehenſiuus: & uiſus colorum: & olfactus odorum: & auditus ſonorũ: ſic & ſenſilia*

*tactus licet uno nomine complecti. Vnuſquiſq; enim aliorũ ſenſuum circa unam oppoſitionẽ uerſatur. Viſus enim circa albũ, & nigrum, &, quæ interiecta ſunt. Guſtus autem circa dulce, & amarũ, &, quod intercedit. Odoratus uerò circa bene olens & malè. Auditus autẽ circa ſonũ grauem, & acutũ. Atqui tactus circa plures oppoſitiones uerſatur, quæ nõ poſſunt ſub unã cõmunem oppoſitionem reduci. Lẽuia enim, & aſpera apprehendit: dura, & mollia: grauia, & leuia: frigida, & calida: humida, & ſicca: quæ quidẽ ſub ſe inuicem nõ ſunt. Vnde et deinceps dubitabit, nunquid ne ſenſus quidẽ tactus eſt: uel ſi etiam eſt ſenſus, non unus eſt, ſed plures: ſi quidem alij quidem unam oppoſitionem apprehendunt: ipſe autem plures. Sed & plures habet differentias tactus, quarũ apprehenſiua cauſa eſt. Non propter ea autem huius, magis quàm aliorum, alienum eſt iudicium. Sed unuſquiſq; ſenſus ſimiliter iudicat de proprijs, nec in eis fallitur. Illud enim, Sed unuſquiſq; de his iudicat, de omnibus dixit ſenſibus: non de ſolo tactu: ſed eius eſt deceptio circa illa, quibus propria ſenſilia accidunt. Non enim circa colorem eſt deceptio: ſed circa id, in quo color eſt: neq; circa ſonum: ſed circa id, quod ſonat: quæ ſunt ſenſilia per accidens.*

64 Cõmunia autem, motus: quies: numerus: figura: magnitudo. Talia enim nullius ſunt propria: ſed omnibus communia. Etenim et tactui aliquis ſenſilis motus eſt, & viſui. Per ſe itaque hæc ſunt ſenſilia.

*Poſtquam de proprijs ſenſilibus dixit, nunc dicit de communibus. Communia autem hæc dicit, quòd nullius propriè, ſed omnium ſint cõmunia. Omnium autem dixit, nõ quòd ea quinq; ſint quinq; ſenſibus ſenſilia: non enim unumquodq; eorum omnibus ſenſile eſſe uidetur: ſed quòd hæc quidem omnibus, illa uerò pluribus, ut iam diximus. Poteſt enim magnitudo ſecundũ conuenientiam, & proportionem in odoratu quoq; accipi, & guſtu. Sunt enim & hi propriæ magnitudinis apprehenſiui: ille quidem in odoribus: hic uerò in ſuccis: etſi non nouit in his cõſuetudo nomen magnitudinis.*

65 Secundum accidens autem dicitur ſenſile, vt ſi album ſit Diares. Per accidens enim hoc ſentit, quòd huic albo accidit, quod ſentit.

*Poſtquam dixit de proprie ſenſilibus, dixit autem & de cõmunibus: nunc dicit & de his, quæ ſunt per accidens. In hæc enim tria ſenſilium diuiſionem fecit. Dicitur autem hic Diares fuiſſe amicus Ariſtoteli. Eius itaque feruntur ad eum epiſtolæ. Album ergo, quod in hoc eſt, per ſe quidem uidet uiſus: per accidens autem, quòd eſt Diares nouit. Quædam autem exemplaria habent, Diaris filium.*

Quare etiam nihil patitur, quatenus tale, à ſenſili.

*Propria quidem ſenſilia à cõmunibus ſenſilibus, &, ijs quæ ſunt ſecundum accidens, diſtinxit: quòd circa illa quidem error non accidat: circa hæc autem nonnunquam accidat. In collo enim columbæ, & in eiuſmodi, quæcunq; habent uariorum colorum mixtionem, uarietas, & mixtio, &, quæ eſt ad radium, quædam eorum habitudo, quòd ea alias aliter apprehendantur, & decipiamur, cauſa, eſt. Nunc autem ab ijs, quæ ſunt per ſe, ſenſilibus, ea quæ ſunt per accidens, diſcernit. Ab ijs enim, quæ ſunt per ſe, inquit, ſenſilibus patiuntur ſenſus. Non ita autem & ab ijs, quæ ſunt ſecundũ accidens. Et quòd propria quidem ſenſilia agant circa ſenſus, clarũ eſt. Quòd autem & cõmunia, hinc manifeſtum eſt. Quod acutos enim habet angulos aliter agit circa uiſum (eum enim moleſtia afficit,) quàm, quod obtuſos habet angulos, & eſt magis planũ, & carens angulis. Iam uerò & circa tactum perſpicuũ eſt, quòd non ſimiliter agunt diuerſæ figuræ, ſed aliter, quæ acutos habet angulos, & quæ obtuſos, uel nullos. Similiter & in motu et ſtatu. Neq; enim ſimilem affectũ ſuſtinet auditus, ſonũ, qui mouetur, uel qui ſtat, audiens. Similiter & odoratui fit quidã diuerſus ab his affectus: etſi eorũ proprietates oratione exprimere non poſſumus. Sed & tactus aliquem aliũ affectũ patitur, cùm mouetur tangibile: & aliũ, quãdo ſtat. Si enim non ita eſſet, in fluente ſtantes fluuio, cùm una ſit aquæ cõtinẽtia, & eodẽ modo, quatenus aqua eſt, agit in tactum, nõ ſimul ſenſu perciperemus q mouetur, et ſi ſtat, q ſtet. Et ex hoc ergo clarum eſt, q fit ob hæc ſenſui diuerſus affectus. Neq; uerò dicendũ eſt, quomodo ſe habet & in numero. Diuerſum enim affectũ patimur, cùm plures, quàm cùm unũ audimus. Vnde & à uocũ multitudine cõmouemur, & cõcutimur. Quod quidem nõ eueniret, niſi à multitudine aliquid pateretur auditus. Sed & duos colores uidẽtes, & ſi ſint ſimiles, uiſu aliter afficimur. Et hoc fit manifeſtum, ſi duabus ſimul lucernis uiſus ſe applicet: nã & hic uiſus dimouetur & excutitur in ſenſilium apprehẽſione. Atqui hoc nõ pateretur, ſi unitũ eſſet, quod duarũ lucernarũ ignitũ eſt, ſed & pluriũ. Vnde aũt et multitudinẽ tactu apprehendimus, uel guſtu, niſi ab ea diuerſum affectũ patimur? Niſi quiſpiam ad hoc cõtradixerit, quòd tactus, quando ſentit multitudinem, non aliũ patitur affectũ: Sed quia per uniuerſum corpus tactiua eſt facultas, plures ſunt partes, quæ apprehendunt ea, quæ appropinquarũt: & ſic imaginatio, uel ratio potius colligit, q ſunt plures, qui tetigerũt. Nunquid autẽ hoc ipſum contingit & in uiſu? Cum enim alij uiſus uiſibili aliter ſe applicant, accidit ut cùm facultas, quæ indicat, ſit circa corpus diuiſibilis, & diuulsè ac diuiſim uiſibilia apprehendat, confundatur uis imaginatiua, quæ plures ſimul typos nõ poteſt admittere. Quare non alium affectum ſenſus ſuſtinet. Oportet enim, ſi nõ imaginatio confundenda eſt, unũ & continuum ſenſus affectum ad eã tranſmitti. Præterea autẽ & magnitudo aliquid agere uidebitur et in uiſum, et in tactũ. A maiore enim colore, uel maiore calido magis congregantur, uel diſgregantur ſenſoria. Tactus itaq; & uiſus uel tantã habet magnitudinẽ, uel in tanta eſt magnitudine: ſi quidem ſub eo, quod eſt in minori ſimiliter magnitudine, albo. Atqui quatenus album, uel quatenus calidum ſit, magis aget magnum paruo: multum pauco. Sed ad hoc dixerit quiſpiã, qđ, cùm dẽſæ ſunt facultates, firmiores, & ualidiores fiunt, atq; adeò ſeipſis potentiores euadunt: ut in grauibus clarum eſt: coeuntes quidem certè grauitates grauiores fiunt, quàm quando erant diſiunctæ. Quando ergo in maiore fuerit ſubiecto color: etiam ſi idem qualitate fuerit: magis aget confirmatus, & ualidior effectus à ſimilium cohærentia, & continuitate. Quod & in igne quoq; fit. Si plus enim fuerit, magis urit. Sciendũ autem, quòd cõmunia ſenſilia à proprijs ſeparata ſenſilibus, in ſenſus nihil penitus agunt. Neq; ſunt omnino apprehenſibilia: ſicut figuram uiſus non apprehenderit, ſi, quod figuratum eſt, coloris expers fuerit. Sed neq; tactus, ſi nullam ex ſimplicibus qualitatibus habeat. Et in reliquis ſimiliter. Quare uideri poßint & ipſa eſſe ex ijs, quæ ſunt per accidens, ſenſilibus. Per alia enim ſui apprehenſionem præbent. Sed dico, ſi, quæ ſunt per accidens, ſenſilia, propter hoc ipſum in ſenſus nihil agunt: ab his autẽ ſenſus patiuntur, nõ fuerint, ſcilicet, per accidens ſenſilia: ſed ſecundariò quidẽ fortaſſe ſenſilia, ueruntamen per ſe. Et ſicut non, quoniam ſine lumine uel perſpicuo, uel eo, quod intercedit, nõ agunt propria ſenſilia circa ſenſus, propterea ea eſſe dicimus per accidens ſenſilia: ſic & ſi communia ſine proprijs non agant, quoniam cum illis omnino ſunt, & agunt, ſecundum hoc & eis ſenſilia fuerint, circa quos agunt, Quare ſi quis ſenſus ab his non patitur, ei nõ fuerint ſenſui ſenſilia, niſi ſecundum accidens. Quæſierit*

*autem*

autem quiſpiã, ſi, quæ ſunt per accidẽs, ſenſilia, ſunt ſubſtantiæ, eas aũt ſola ratio cognoſcit, inſtrumẽto ſenſu utens: quã ob cauſam etiã omnino per accidẽs ſenſilia dicũtur: qui fit, q̃ canis dominũ cognoſcit: & aſinus præſepe: & ſi quid aliud eiuſmodi in irrationalibus uidetur? Dico q̃ nõ, ut ſubſtãtias, hæc cognoſcũt: ſed ut tales figuras, quæ ſenſui amicæ, uel infeſtæ fuerint: eisq́; adhærẽtia typos in imaginatione cognoſcũt. Si aũt in irrationalibus quoq; eorũ ſenſus eſt: figurarũ dico: & numerorũ: & reliquorũ: diſcernũt enim, quod ſibi aptũ eſt, et cõueniẽs ab alieno: & quod mouet appetẽdũ perſequũtur: ſicut & multitudinẽ ſentimus, & numerũ: et hinc quoq; quiſpiã, q̃ ea ſint per ſe ſenſilia, cõfirmabit. Agũt enim et circa irratiõalia animalia. Neque enim ab eis cognoſcerẽtur. Illa enim nihil p accidẽs ſentiũt: quoniã neq; ratiocinari poſſunt. Quæ enim ſunt ſecũdũ accidẽs ſenſilia, in ſenſus nihil agunt, et ratione opus habẽt, quæ ex alijs ratiocinando colligat. Sed & locus eſt per accidẽs ſenſilis. ab eo enim nihil patiũtur ſenſus. Neq; enim formam loci apprehendit ſenſus, niſi ut figuras, idq; non ꝓpter ſe, ſed eo quòd in loco eſt. Quare & hic quoq; eſt ex ſenſilibus quæ ſunt ſecũdũ accidẽs. Quòd aũt cõmunia ſenſilia nõ ſunt per accidẽs ſenſilia, ſed p ſe, eſt & logicè hoc modo oſtẽdere. Si enim figura & magnitudo, & numerus, & motus, & ſtatus ſunt ſenſilia: neque enim ſunt intelligibilia: Quæcunq; enim ſunt, uel intelligibilia ſunt, uel ſenſilia: Si ergo non intelligibilia ſunt, quæ dicta ſunt, ſunt ſecundũ ſe ſenſilia: Si autem ſenſilia, oportet eſſe ſenſum, qui ea apprehendat. Quod enim eſt ſenſile, ſenſu eſt ſenſile. Si ergo neq; ullus alius ſenſus ea per ſe apprehendit: neque ullius ex quinque, ſunt propria ſenſilia: quid reſtat niſi ut uel omnium, uel plurium ſint communia? Si enim, neq; his per ſe, neque alijs ſecundum ſe fuerint apprehenſibilia, ne fuerint quidem penitus ſenſilia. Atqui nec ſunt intelligibilia. Neq; ergo ſenſilia fuerint, nec intelligibilia. quod fieri non poteſt. Præterea autem & magnitudo in uiſum quoq;, & in tactum aliquid agere uidebitur. A' maiori enim colore, uel maiore calido coguntur ſenſoria, uel diſiunguntur. Tactus, & uiſus uel tantam habet magnitudinem: uel in tanta magnitudine albo similiter exiſtente. Atqui, quatenus eſt album, uel calidum, magis aget.

Eorum autem, quæ ſunt per ſe, ſenſilium ſunt propria propriè ſenſilia, & ad quæ uniuſcuiuſq; ſenſus ſubſtantia natura eſt.

Quænam ſunt ſecundum accidens ſenſilia, apertè declarauit. Ea, nempe, quæ ſua natura non ſunt ſenſilia, inſunt autem ijs, quæ ſunt per ſe, ſenſilibus. Albo autem accidere dixit Diaris filium. Non, quòd albo Diaris filius accidat: neq; enim ſubſtantia accidentibus accidit: ſed quòd fortaſſe accidat hoc uiſibile album Diaris eſſe filium. Quòd autem nihil patiatur uiſus à Diaris filio, quatenus Diaris eſt filius, ſignum eſt quòd per accidens eum uiſus ſentiat. Cùm autem ſint duplicia per ſe ſenſilia: hæc quidem communia: illa uerò uniuſcuiuſque ſenſus propria: uniuſcuiuſq; propria ea eſſe dicit propriè ſenſilia. cuius cauſam declarauit dicens. Et ad quæ uniuſcuiuſq; ſenſus ſubſtantia natura eſt. Si enim uniuſcuiuſq; ſenſus eſſe eſt ad propria ſenſilia: hæc ſunt maximè ſenſilia. Ad aliquid enim eſt ſenſus. Ad aliquid autem ſunt, quibus eſſe eſt unicuiq; ſenſui. Et ea ſunt maximè proprie ſenſilia: uiſui quidem ad uiſibilia, auditui autem ad audibilia: & in reliquis ſimiliter.

Cap. 3. 66

Cuius ergo viſus eſt, hoc eſt, quod videtur.

Poſtquam communiter dixit de ſenſu, & ſenſilibus: & de unoquoque ſenſu ſeorſum eſt dicere aggreſſurus: prius diſſerit de unicuiq; ſenſui ſenſilibus: et ante omnia de uiſui ſenſilibus: quandoquidem ante alios quoq; de uiſu diſſeret. Deinde dicit quòd id, quod uiſui eſt apprehenſibile, color eſt: &, quod oratione quidem explicatur, uſitatum autem nomen non habet, cuiuſmodi ſunt Lampyres, & ſquamæ, & quædam alia. Deinde definit quidnam eſt color: nempe id, quod eſt motiuum eius, quod eſt ſecundum actum, perſpicui. Quoniam ergo in coloris definitione meminit perſpicui: docet nos quidnam ſit perſpicuum: quòd natura quædam eſt, quæ in pluribus ineſt, in aqua, in aëre, in uitro, & in alijs, colorum tranſportatrix. quæ, nõ præſente quidem luce, potentia eſt hoc ipſum perſpicuum: actu autem fit perſpicuum præſente lumine. Quoniam ergo lucis meminit, de ea prius uerba facit. Cuius ergo uiſus eſt, ſubaudiendum apprehenſiuus, hoc uidetur.

Viſibile autem eſt & color, & quod licet quidem oratione dicere, eſt autem ſine nomine. Clarum autem erit progreſsis, id quod dicimus. Quod enim viſibile dicimus, color eſt.

Poſtquam dixit, quòd, cuius eſt uiſus apprehenſiuus, & circa quod ipſa facultas operatur, hoc eſt uiſibile, deinceps ſubiungit, quænam ſunt uiſibilia: quòd & color, & quædam alia, quæ commune quidem nomen non habent, oratione autem explicantur. De quibus in progreſſu dicet: ut ſunt lampyres: capita piſcium: ſquamæ: oculi echinorum: teſtæ marinorum: quæ in luce quidem non uidentur, ſed in tenebris. Neq; enim eis color eſſe uidetur, quod in eis igneum quid apparet in tenebris. Eſt enim coloris proprium in luce uideri. Quod autem eſt in eis igneum, in luce non uidetur. Quod enim uiſibile eſt, color eſt.

Hoc autẽ eſt, quod in eo eſt, quod eſt per ſe viſibile, Per ſe autem non ratione, ſed in ſeipſo cauſam habet, quòd ſit viſibile.

Cùm dixiſſet in progreſſu nobis apertum fore, quænam ſint ea innominata, quæ uiſibilia eſſe dixit: tranſijt ad dicendũ de colore, ſed ut de uiſibili. Id ergo eſt, inquit, color, dico autẽ uiſibile, quod in eo ineſt, quod eſt per ſe uiſibile. Per ſe autem uiſibile, dicit ſuperficiem. Quomodo autẽ per ſe uiſibile ſuperficies, ipſe explicauit. Non enim, inquit, ſic per ſe dictum eſt, ut ratione per ſe, id eſt definitione. In demonſtratiuo enim dicit Per ſe eſſe, uel, quod in ſubiecti definitione adſumitur: ut animal, & rationale in definitione hominis: ea enim per ſe homini inſunt: uel cuius in definitione ſubiectũ aſſumitur: ut in ſimitatis definitione, naris. & in definitione paris, & imparis, numerus. Ea enim per ſe numero inſunt. Dicimus enim parem eſſe numerũ, qui in duas partes ſcinditur. imparẽ autẽ numerum, qui in duas partes diuidi non poteſt. Similiter ſimitatem eſſe concauitatem in nare. Non ſic autem, inquit, per ſe uiſibile, ſuperficiem: ſed ut, quæ in ſe habet cauſam, ut ſit uiſibile. Id autem eſt color. Qui enim in ſuperficie color eſt, id eſt uiſibile: & eum uiſus apprehendunt. Neque enim apprehendunt eum, qui eſt in profundo, colorem. Perſpicuos enim lapides uidemur quidem uidere per uniuerſum profundum coloratos: ſed uiſu fallimur. Eo enim, quod ſunt perſpicui lapides, per profundum tranſeunt uiſus, uel colorum operationes. Per ſolum autem colorem, qui eſt in ſuperficie, lapides apprehendimus: & propterea uidemur eum quoque, qui eſt in profundo, colorem uidiſſe. Huius autem ſignum eſt, quòd, ſi uitri, uel perſpicui lapidis una ſuperficies colorata fuerit, totum corpus nobis uideatur per profundum eſſe coloratum. Et ſi ad non coloratam ſuperficiem aſpexerimus, ipſa quoque eiuſdem nobis coloris eſſe uideatur, cuius & colorata, & ſi illo colore colorata non fuerit. Vitreorum itaq; ſpeculorum externam ſuperficiem plumbi colorem habere putamus. Et interius colorata pocula toto corpore colorata eſſe uidentur, ut pote quòd uiſus per perſpicuum extremã ſuperficiem uideant, & illius colorem apprehendant. Quid igitur, dixerit quiſpiam, in perſpicuis lapidibus non uidemus,

ſi quem

*ſi quempiam alienum colorem interiectum eſſe contigerit, ut, quæ in electro intercipiuntur, culices? Porrò & in alijs perſpicuis lapidibus, ſi quẽ alienũ colorem in profundo in aliqua eſſe parte contigerit, fit nobis ſenſilis uiſu itaq;, ſcilicet, apprehendente colorem, qui eſt in profundo, ſic euenit, ut fiat diſtinctio eius, qui interiectus eſt, alieni coloris à reliquo. Dico ergo, qđ ſi ſit quidẽ, qui eſt in profundo in aliqua parte perſpicui lapidis, alienus color acrior, & uehementior, quique ſenſum magis feriat, quàm is, qui eſt in toto lapide, color: apprehendunt eũ uiſus propter eã, quæ eſt in lapide, perſpicuitatẽ. Sed ſi ſit imbecilior, nõ fit eius apprehenſio. Sunt enim quædã gemmæ apertè perlucidæ, ut ſardie, & quædã aliæ, coloratæ nõ per ꝓfundũ, ſed quæ in profundo ſunt albæ: quæ quidẽ ad profundũ uſq; eodem colore coloratæ eſſe uidẽtur, nempe, q uiſus profundum nõ apprehendat. In quibus autem interiectus apparet alienus color, eo q imbecillior color eſt, qui eſt in ſuperficie, nõ impediuntur uiſus, quominus apprehendant eũ, qui eſt in aliqua profundi parte, ꝓfundiorẽ colorẽ. Si itaq; uitri exiliore, & nõ ſatis copioſo colore tincti alterã ſuperficiẽ nigro profundo illiueris, totũ tibi nigrũ uidebitur. Atqui nõ totũ eſt nigro coloratũ. Quare & ſi in gẽmis tranſlucidis coloratã profunditatẽ cernere uidemur: nõ reuera quidẽ profunditatẽ, & ſi colorata fuerit, ſed ſolã ſuperficiẽ apprehendimus. Quemadmodũ enim & ſi uiſus per aërẽ uel aquã permeãter, qui interiecti ſunt colores, uident: qui enim in quouis ſunt tranſlucido, colores uides: eorum quidẽ certe, quæ uidẽtur, nõ pertingit ad profundũ uſq;, uiſus: ſed ſecundũ ſolã ſuperficiem ea apprehendit. Sic & tranſlucidis lapidibus cõtingit propter eã, quæ in illis eſt, perſpicuitatẽ, quãdo nõ totus lapis à uehementi aliquo, & efficaci colore occupatus fuerit, qui interiectus incidit color, uidetur, propter lapidis perſpicuitatẽ. Ipſe quidem, qui uidetur color, ſecundũ ſolam partis ſuperficiem, in qua eſt, uidetur, non autem uniuerſum profundũ. Quoniam ergo, qui in ſuperficie color eſt, id eſt uiſibile: propterea ſecundũ ſe uiſibile ſuperficiem dicit, ut quæ ſit ſubiectum eius, quod eſt per ſe uiſibile.*

67 Omnis autẽ color eſt motiuus eius, quod eſt ſecundum actum perſpicuum. Et hoc eſt eius natura. Quapropter non eſt viſibilis ſine luce. Sed omnino vnuſquiſque color in luce eſt viſibilis. Quare de luce primum dicendũ eſt, quid eſt.

*Hæc fuerit coloris definitio, ab accidente, & proprio ipſum declarans, non à ſubſtantia. In libro enim qui eſt de ſenſibus, & ſenſilibus, eius definitionẽ, quæ eſt à ſubſtantia, tradidit. Dicit ergo colorem eſſe motiuum eius, quod eſt ſecundũ actũ perſpicuum: id eſt, illuminatũ. Quod enim nõ eſt illuminatũ, eſt potentia perſpicuũ. Motiuũ autem, pro eo quod eſt, perfectiuũ. Eſt enim eius lux quoq; perfectiua, quatenus ipſum perficit, et actu perſpicuũ reddit. Perfectiuus uerò eſt eius & color, quatenus per traiectitiã eius facultatẽ ad operationẽ deducit. Apparatur enim ipſum & quodammodo diſponitur à colore, qui ipſum quodammodo ſubigit & cõprimit, ut natura ſubigi citra ullum affectũ poteſt, idq; uiſui tradit. Sed lux quidem eius eſt perfectiua, quod eſt potẽtia perſpicuũ. Ipſum enim perficit, & actu perſpicuum reddit. Colores autẽ ſunt perfectiui eius, quod eſt ſecundũ actũ perſpicuũ. Ipſum autẽ perficit, nõ quatenus eſt perſpicuũ, ſed quatenus, quod ſecundũ actũ eſt, perſpicuũ, eſt potẽtia traiectitiũ, & colorũ annũtiatiuũ. Poſtquã ergo colores adfuerint, actu fit tale. Si ergo color eſt motiuus eius, quod eſt ſecundũ actũ perſpicuũ: Quod autẽ ſecundũ actũ eſt perſpicuũ, eſt illuminatũ: & per eius motũ uidere euenit: ꝓpterea ergo ſine lumine nõ uidẽtur colores. Neceſſe eſt itaq; ei, qui de uiſibilibus dicturus eſt, ut de luce diſſerat, eo q ſunt colores uiſibiles. Poſtquã autẽ dixit colorẽ eſſe motiuũ eius qđ eſt ſecundũ actũ perſpicuũ: q actus perſpicui lux eſt, declarauit, ſubiũgẽs, Quapropter nõ eſt uiſibilis ſine luce. Nõ uiſibilis aũt, ſcilicet color: perſpicui enim actus lux eſt. Color autẽ motiuus eſt eius, qđ eſt ſecũdũ actũ perſpicuũ. Quoniã ergo ei, q de uiſibilibus eſt diſputaturus, de lumine neceſſario dicẽdũ eſt: Primum, inquit, dicamus de lumine: ſed quoniã lux perſpicui actus eſt: antequam de luce uerba faciat, de perſpicuo diſſerit.*

Eſt aliquid perſpicuum. Perſpicuũ autem dico, quod eſt quidem viſibile, non per ſe autem viſibile, vt ſemel dicam, ſed per alienum colorem. 61

*Cùm iam dixiſſet quòd ſibi quidem propoſitũ eſt de uiſibilibus dicere: ad diſſerendũ autem de uiſibilibus, de luce neceſſariò dicendũ eſt: ad dicendũ uerò de luce, de perſpicuo prius agendũ eſt: de eo diſſerit. Perſpicui itaq; differẽtiã ab alijs quoq; uiſibilibus, dico autẽ coloribus, tradidit, dicẽs, Viſibile eſſe perſpicuum, nõ propter propriũ, ſed propter alienũ colorẽ. Colorem autem dicit lucẽ. Eſt enim ueluti color perſpicui. Et nunc quidem ipſam colorẽ dicit. progrediens autẽ exactius dicit, Veluti colorẽ. Lux enim non eſt color. Perſpicuũ itaq;, inquit, qđ per ſe nõ uiſibile, ſed accepta luce, quæ alienus color eſt, ſic fit uiſibile: luce autem uel ignis, uel ea, quæ eſt ex cœleſtibus, ſole: luna: & aſtris. Dubia autẽ eſſe mihi uidetur oratio. Videri enim poſſit eſſe & uiſibile perſpicuum, & nõ uiſibile. Si enim in olla, uel aliquo alio eiuſmodi uaſe, lucernam depoſueris, lumine per foramen ſurſum aſcendẽte: ſi in aërem, qui eſt ſuper foramen, per quem lucem emittit, ſuſpexeris: ipſum illuminatũ non uidebis: niſi forte uel tectum, uel aliquod aliud corpus ſolidum eſſe ſuperius contigerit. Nam quantum in ſe quidem eſt, uideri non poſſet. Nunquid ergo, quòd, qui in ipſo ſunt colores, appareãt, eſt uiſibile per accidẽs? Quod autẽ in particulari hoc exemplo diximus, hoc etiam in lumine ſolari eſt dicere. Nunquid autem, q ſolari lumini ſolida undiq; corpora obuia fiunt, propterea fit uiſibilis, qui eſt circa nos, aer? Clarum enim eſt, q quocũq; reſpexerimus, ſiue ſurſum, ſiue deorſum, ſiue obliquè, & ad latus, uel cœlum, uel terrã, uel aquã uidemus. Quòd ſi, ut in prædicto exemplo, in ſuperiorẽ locum reſpicere poſſemus, in quo ſolari lumini corpus ſolidum non occurrat: fortaſſe in ea parte non uideremus illuminatũ aërem. Sic ergo uidebitur illuminatus aer, quantũ in ſe eſt, nõ eſſe uiſibilis. Sed quoniam apertè ſcimus, quãdo dies eſt, & quãdo nox, non alio ſenſorio, quã uiſu iudicãtes: nec nos ſolũ, ſed &, quæ ratione carẽt, animalia: ſpeluncas enim ſubeunt, & ex eis exeunt noctẽ diſcernentis, & diẽ: hac, ſcilicet, ratione fuerit uiſibilis illuminatus aër: & quemadmodũ, quoniã ſine lumine non eſt uiſibilis, propterea nec uiſibilem ipſum dicemus: quando quidẽ neq; quicquã aliud ſine lumine uideri poteſt. Et nõ ſolũ ſine lumine, ſed & eo, quod interiectũ eſt, et perſpicuo opus eſt, ad hoc, ut ſint uiſibilia: & ideo ſenſuum ſumptuoſiſſimum eſſe uiſum dicebat Timæus, eo quòd pluribus, quàm alij, ad proprias operationes exercẽdas opus habeat: Sic etiã illuminatus aër in luce non uidetur, niſi in ſolidum corpus lumen incidat, propterea ne uiſibilis quidem fuerit. Si enim lux nihil eſt aliud, quàm actus, & perfectio eius, quod eſt potentia perſpicuum: lux autem nullo alio indicatur, quàm uiſu: eſt uidelicet illuminatus quoq; aër uiſibilis, quatenus eſt illuminatus, etſi alijs indiget. Lux autem non eſt aëris ſubſtantialis qualitas. Quare nec propter propriam qualitatem eſt uiſibilis, ſed propter alienam, dico autem lucem, quam colorem abuſiuè appellauit, eo quod maximè uiſibilis color eſt.*

Eiuſmodi autem eſt aër & aqua : & multa ex ſolidis. Non enim, quatenus aqua, neque quatenus aër, eſt perſpicuū: ſed, quòd eadem eſt in his utriſque natura, & in æterno, quod ſupra eſt, corpore.

*Non enim per ſolum aërem, & aquam uidemus ut quæ perſpicuum habeant: ſed & per multa ſolida corpora. ſunt autem multa eiuſmodi: Vt gemmæ: cornua: uitrum: gypſum perſpicuū: & multa alia. Quare ſi in pluribus corporibus eſt perſpicuum, clarum, quòd non, quatenus aqua, uel aër, uel aliquid aliud ex peſpicuis, perſpicuum habet. Si enim ſecundū aliquid eorū eſſet perſpicuum, ut, ſi aër eſſet, nō eſſet, quod nō eſt aër, perſpicuū. Nunc autem ſunt perſpicua, & , quæ non ſunt aërea. Similiter & in alijs. Quare eſt aliqua perſpicui natura, quæ in pluribus ſubſtantijs, & ſubiectis eſſe habet. Quemadmodū enim eſt humiditatis natura, uel caliditatis, uel omnis, ut paucis abſoluam, qualitatis: ipſæ autē qualitates, cùm aliæ ſint præter ſubiecta, pluribus inſunt corporibus: ſic eſt & perſpicui natura, quæ eſt in pluribus ſubiectis, ut quæ ſit alia ab ipſis. In his autē utriſq; dixit, id eſt in aere, & aqua: quoniam eorū alioqui meminerat, ut quæ ſint maximè perſpicua. Perſpicuitatis autē ait eſſe particeps, et, quod ſuperiorum corporum æternū eſt: Dicit autem ipſam ſphærarum effuſam latitudinem. Sunt autem omnes perſpicuæ. Videmus enim, quæ in primo mobili ſunt, aſtra per alias ſphæras. Ipſæ ergo ſphæræ ſunt perſpicuæ. At nō itidē et aſtra. Vnde & per interpoſitionem, ſui inuicem aſpectum auferunt. Hinc enim ſolis eſt defectus, cùm ab interpoſita luna eius lumē adimitur. Si autem eſſet perſpicua: non ſubter cū currens eius lumen obſcuraret. & aliæ ſtellæ ſubter currentes interpoſitione, & congreſſu aliarū ſtellarum nobis aſpectū adimunt. Vnde clarum eſt, quòd non eſt in aſtris natura perſpicui.*

69 Lux autem eſt huius perſpicui actus, quatenus eſt perſpicuum. Potentia autem in quibus hoc eſt, & tenebræ.

*Poſtquam dixit quid eſt perſpicuum, quòd uiſibile quidem, non per proprium autem colorem uiſibile, ſed per alienū: confert ſe ad dicendū de luce: & dicit lucem eſſe actum perſpicui, quatenus eſt peſpicuū, pro eo, quod eſt, eius forma, & perfectio. Cùm enim potentia perſpicuū, ſi lux acceſſerit, eiq; formam dederit, & ipſum perfecerit, ipſum actu perſpicuum effecerit. Eſt enim in aëre, & aqua, & eiuſmodi perſpicui natura: quæ, ſi lumen quidem nō adſit, nō eſt actu perſpicua: neq; enim eius colorū aliquid uiderimus: Si adſit autem lumen, habet propriam formam, & perfectionē. Si lux itaq; adſit, per aërem quidem uel aquam uidemus: Per terram autem non utique, ut quæ in ſe, ſcilicet, potentia non habeat perſpicui naturā. Eorum autem, qui de luce dixerunt, hi quidem eam dixerunt eſſe corpus: illi autem incorporeum. Quòd lux non eſt corpus, neque uerò ex uiſu per aliquorum corporum emiſsionem uidere fit, oportet hoc ipſo probato, quòd fieri non poſsit ut uel lux, uel uiſus corpus ſint, ſic eam, quæ eſt Ariſtotelis, de his exponere ſententiam, & deinceps, quæ ad eam ſpectant, dubitationes conſiderare. Si itaq; ſecundum aliquorum corporum emiſsionem fit uidere: quomodo fieri poteſt ut ſimul ac ſuſpexerimus, ſimul & ſemel cœlum repente apprehendamus? Quomodo fieri poteſt, ut abſque tempore tantum ſpatium moueatur? Oſtenſum enim eſt duorum Zodiaci ſignorum eſſe diſtantiam à terra uſque ad cœlum. Quæ enim à centro eſt, ſpatio æqualis eſt duorum ſignorum ſexanguli lateri. Et triplus eſt ambitus ad dimetrum. Eſt autē, quòd à centro eſt, dimidiū diametri. clarum eſt ergo, quòd cùm uniuerſus diameter quatuor ſigna habeat, & præterea ambitus duodecim habeat, dimidium diametri duo habet ſigna. Quomodo ergo fieri poteſt, ut corpus tantum ſpatium moueatur? Ipſe quidem motus omnium uelociſsimus, dico autem primi mobilis, duabus horis ſextam uniuerſi partem, dico autem duo ſigna, mouetur. Quomodo ergo non eſt ab omni ratione alienum, ut, quæ ex uiſu corpora emittūtur, ipſo quoq; primo mobili uelocius moueri præſumantur? Rurſus ſi per radios, qui ſunt corpora, uidemus: quando, cùm ſuſpexerimus, quartam cœli partem uidemus, omnino neceſſe eſt, quòd uiſus, qui per aërem procedunt, uel tranſeant: & ſic corpus per corpus tranſiuerit: quod nequit fieri: uel ipſum ſecent. & ſi ſecant, non oporteret nos neque cœlum, neq; ea, quæ ſunt uiſibilia, ſecundū continuitatem uidere: ſi quidem non per totum aërem procedunt, ſed ipſum ſecant. Clarum eſt ergo quòd partes uiſibilium, quæ ſunt ſub partibus ſecti aëris, uideri nequeant. Et ſic nihil eorū, quæ uidentur, continuum uidemus, ſed diuiſum per partes. Præterea, quoniam ſuſpicientes quartam cœli partem uidemus: ſi per corporeorum quorundam radiorum emiſsionem fit uidere: neceſſe eſt, ut uiſus eiuſmodi corpora ſtatuamus, ut à nobis ad cœlum uſq; pertingant, & eius quartam partem comprehendant: quod quidem abſurdum eſt, ex parua oculi parte, uel potius nō toto, ſed ex pupilla, tanta corpora emitti dicere, ut quartam uniuerſi partem comprehendant. Sed ad hæc dicunt, quòd uiſibilium fit occurſus ad uiſus. Quædam enim lumina ex cœleſtibus emittuntur, quæ quidem occurrentia uiſui, ſui apprehenſionem præbent. Ad hoc dicimus, quòd ſi nō ipſis cœleſtibus ſe applicat uiſus, ſed luminibus, quæ ex ipſis exeunt: unde ſciunt aſtronomi magnitudines aſtrorū: unde motus: unde diſtantias: unde coitus, & receſſus, & quæcunq; alia de cœleſtibus demonſtrant? Tanquam enim ipſas ſphæras apprehendant, ſic de eis demonſtrationes faciunt. Deinde ipſa quoque lumina, quæ ex eis exeunt, neceſſe eſt uel corporea eſſe: uel incorporea. Si corpora itaque fuerint: iiſdem refellentur rationibus, quibus eos, qui lucem corpus eſſe dicunt, refellimus. Si autem incorporea, quiſnam uſus eſt uiſuum emiſsionis, & occurſus? Si enim incorporei omnino actus fuerint: etiam ſi nullus fuerit penitus occurſus, ad uiſus uſq; uenient. Et ſic de uiſu, & lumine idem dicent, quòd Ariſtoteles, ut paulò poſt ſciemus. Vt paucis autem complectar, ſi uidere fit ſecundum eam emiſsionem, quæ fit ex oculis: uel corpora eſſe neceſſe eſt, quæ emittuntur: uel lineas, ut dicere uidentur Mathematici. Sed ſi lineæ quidem fuerint uiſus, qui exeunt, ſcilicet, ſecundum ſigna uiſibilia attingunt. Videre autem fieri dicunt, quòd uiſus uiſibilia attingant: ſecundum ſigna ergo attingunt. Secundum ſigna ergo & uiſibilia apprehendent. Magnitudines ergo non apprehendent, quod eſt abſurdum. Si autem corporea: uel eſſe perforatam circa pupillam corneæ partem neceſſe eſt: quod falſum: eſt enim continua: & poſtquam perforata fuerit, humores quoque ſtatim effunduntur: uel corpus per corpus tranſire: quod & ipſum fieri non poteſt: uel per quoſdam poros ſeu meatus uiſus exire neceſſe eſt. Sed quòd corpora quidem non ſunt poris ſeu meatibus prædita, in libro de generatione oſtenſum eſt. Et alioqui neceſſe eſt aliquas omnino eſſe magnitudines, et corpora in tunicis, quibus intercipiūtur meatus. Per illa itaq; nequaquā fieri pōt ut uiſus procedāt. Quare nō oporteret uidere pauimētū, ſeu quiduis aliud, ſecūdū cōtinuitatē: ſed aliquas quidē partes uidere, aliquas uerò nō. Viſibilis enim partes, è quarū regione ſitæ ſunt magnitudines, quæ meatus intercipiunt, ea ut uideantur, nequaquam fieri poteſt. Nihil ergo ſecundum continuitatem uiſum eſt, quod quidem ſit præter rei ueritatem, et id quod apertè fit. Sed neq; ut incorporeus actus ex oculis exeat, fieri poteſt. Vel enim cum propria figura exit, uel non. Si cum propria quidem figura, in alio eſſe ſubiecto omnino neceſſe eſt.*

Quoniam

Quoniam ergo ſenſitiua facultas uita quædam eſt: neq; enim fieri poteſt, ut, quod non uitam habet, ſit ſenſus particeps: cui autem uita infuerit, illud facit uiuere: & ſenſitiua ergo facultas ex oculis egreſſa, cùm in aëre fuerit, uel in aqua, uel, ut ſemel dicam, in aliquo eorum, quæ ſunt perſpicua, illud facit uiuere. Eſt itaq; & animatum: quod eſt ridiculũ. Vel ſi ita non eſt: erit uita in non uiuenti: quod fieri non poteſt: Maxime autem, ſi uiſiua facultas actu exiens ex oculo, fuerit in aëre, uel aqua, uel eiuſmodi, ille erit, qui uidet, & qui ſenſitiuus factus eſt. Quòd itaq; nihil ex oculis procedit, neq; corpus, neq; incorporeum, & ex alijs quoq; multis probari poteſt: hæc tamen ſufficiunt, quæ dicta ſunt. Quòd autem lux corpus non eſt, hinc clarum eſt. Si enim corpus eſſet, quomodo fieri poſſet, ut corporis tam citus, & tam repentinus eſſet motus? Simul enim ac ſuper horizontem ſeu finitorem ſol euaſit, repente ſine tempore, quod ſuper terram eſt, hemiſpherium illuminatur. Et ſi abſconſam lucernam in domum intulero: deinde extra operculum eduxero: protinus ſimul & ſemel tota domus illuſtratur. Quomodo ergo fieri poſſet, ut ſic corpus ſine tẽpore moueretur? Deinde ſi lux corpus eſt, cùm ſit ſimplex, ſcilicet, ſimplici motu mouebitur. Simplices autem motus duo ſunt: qui ſecundum rectum, & qui ſecundum circulum. Si itaq; recta moueatur lux: uel, cùm ſurſum moueatur, deorſum non mouebitur: Vel, ſi deorſum moueatur, ſurſum non mouebitur: nunc autem & ſurſum, & deorſum, & à dextris & ſiniſtris uidetur moueri. Quodcunq; autem corpus recta fertur, uel, qui ſurſum eſt, uel, qui deorſum, motu mouetur. Quòd autem non mouetur circulo, ex ipſa rei euidẽtia clarum eſt. Si enim in anguſtam domunculam altera parte longiorem lucernam intulero: in domunculæ principio ſtatim recta totum illuminauerit: et ſi infernè poſita fuerit, quæ supernè quoque ſunt, illuminauerit: & ſi supernè, ſimiliter quæ infernè. Oſtendunt autem &, qui perſpectiua demonſtrant, quòd ſecundum rectum lux procedit, & non ſecundum circulum. Si enim aſſerem perforaueris, uel in eo inciſionem aliquam feceris: & in altera quidem aſſeris parte ſecundum inciſionem lucernam accẽderis: in altera autem parte aſſerem ſtatueris: ueniet, quod per inciſionem ingreditur lucernæ lumen, in alteram tabulam. Si ergo à luce, quæ eſt in aſſere, rectã extẽderis, per id quod eſt inciſum, tranſibit ad lucernam. Fit itaque ſecundum rectum, uidelicet, lucis motus. Quare ſi non ſecũdum rectum mouetur, ut corpora: neq; eo, qui ſurſum eſt, ſolo, neque eo, qui deorſum eſt, ſolo motu mouetur, neq; ſecundum circulum: omne autem corpus uno prædictorũ motuum mouetur: uidetur lux non eſſe corpus. Rurſus, ſi lux eſt corpus, neceſſe eſt omnino, ſi per totũ quidem aërem procedit, eſſe corpus in corpore: ſi autẽ non per totum, ſed uel ipſum ſcindit, uel per eius poros & meatus procedit: neceſſe eſt non in omni parte aëris lucẽ eſſe: Sed eſſe aliquas quidem eius partes illuſtratas: alias uerò obſcuratas. Quare neq; omnis aër erit illuminatus: neq; ubiq; erit aër: ſed ubi lux quidem fuerit, non eſſe aërem: & ubi aër, non eſſe lucem: & ſic continget ut lucem, & aërem reſpiremus: aliquando uerò & lucem tantum, non etiam aërem, ut quando per ipſum illuminatum nos reſpirare contigerit. Hæc autem ſunt manifeſtè abſurda, & præter ipſam rei euidentiã. Oporteret autem et uentũ, dum ſimul coactus, & continuum mouetur, omnem quoq; locum undiq; obſcurare, in quem inciderit, extrudentem lucis corpus: uel locum certe obſcuriorem reddere, utpote qui lucis corpus, uel eius partes extruſerit, & in eorum locis fuerit. Nũc autem hæc non eueniunt. Videmus autem, quòd & illuminato aëre iidem ſunt aëris actus. Spiramus enim ſimiliter, & refrigeramur. Atqui lucis certè naturæ inſitum eſt, ut aërem calefaciat, non refrigeret. Accedit his, quòd, quandoquidẽ, qui lucem corpus eſſe dicunt, luminis ſphæram quandã ex ſole procedere inquiunt: quoniam & ſol ipſe eſt ſphæricus: eſt autem & aër quoq; ſphæricus: omnino neceſſe eſt lucis ſphæram ad nos procedentẽ, uel aëris ſphæram trudere, & ſic eius locum occupantem, qui circa nos eſt, locũ illuminare: uel non trudere: uel per ipſam procedere. Si itaq; aërem trudit, & eius locum occupat: erit aëre uacuũ illuminatum hemiſpherium: quod fieri non poteſt. Sicut enim dixi, omnia aëris opera fiũt, etiã uniuerſo, quòd circa nos eſt, illuminato. Si autem non truſerit: nec illuminauerit, ut, quod ad nos nõ perueniat. Si autem per ipſam procedat: erit corpus, quod per corpus procedet: quod fieri non poteſt. Si autem dixerint, corpus immateriale poſſe per corpus procedere, id certè dicitur quod maximè fieri nequit. Sic enim fieri poſſet, ut cœlum eſſet in milio. Præterea, ſi ideo, quòd ſit immateriale, poteſt per corpus procedere, procederet non ſolum per aërem, ſed & per aliud quodlibet. Quid enim uetat, ſi, quatenus eſt immateriale, poteſt corpus per corpus procedere, quo minus per omne quoq; procedat? Oporteret itaq; lucem per ſolida corpora tranſire: per terrã, inquam, & aliquid ex ſimilibus. Cur ergo, cùm ſol eſt ſub terra, nõ lucem quoq; uidemus uel per terrã procedentẽ? Deinde, ſi lux, cũ ſit corpus, per corpus, aërẽ, procedit, oporteret totũ denſius, & craſſius fieri. Nũc autẽ contrariũ eſt, quod uidetur. Subtilior enim fit, et magis tenuis, luce ſuſcepta: quod quidem nõ uſu ueniret, ſi corpus eſſet. Quemadmodũ enim, ſi terra aquam continuerit, nec maior ex utriſque locus factus ſit, quod ex utriſq; corpus eſt, omnino craſſius fieri neceſſe eſt. Sic & aërem craſſiorẽ eſſe neceſſe eſſet, ſi lumen ineſſet. Nunc autẽ contra, fit illuminatus ſubtilior. Si quis autem dixerit aduerſus eam, quæ de lucis motu eſt, rationem inſiſtens: quòd radij quidam ſunt, qui à ſole dependẽt, & motus tranſitu illuminant, eo non egentes motu, qui supernè eſt, à ſole enim ſemper dependent in terram, hoc quidem eſt maximè præter ea, quæ cernuntur. Similiter enim & ſol illuminat, & luna, et ignis, & alia omnia. Non poterit autem hoc dicere & in igne, & in aliquo alio. Et, quando in tenebris ex ſilicum colliſione ignem accendero in maxima domo, lux totam domum ſine tẽpore cõprehendit. Iam uerò & cõdenſato aëre ſol nõ quidẽ apparet: totus uerò, qui circa nos eſt, locus cõprehenditur. Deinde & de ſolaribus radijs ſciſcitabor, utrum corpus ſunt, an incorporei: & utrum per totũ aërem radij ferũtur, uel non totũ: & eædem rurſus dubitationes incident. His ergo, & talibus adducti neceſſariò cogimur neq; lucẽ, neq; uiſus corpus eſſe dicere. Quid ergo, quomodo ſit uidere, & quænam eſt lucis natura? De uidẽdo ergo primũ dicimus Ariſtotelem ſequẽtes, quòd habet, quod eſt perſpicuũ, nempe aër, traiectricẽ colorum facultatẽ, cùm ſit ipſe coloris expers. Si enim proprium aliquẽ colorem haberet, ad alios traijciendos colores ei impedimento eſſet. Certè, ſi uitrum, quod colorẽ non habet, omnes traijcit colores: neq; enim, quæ ſunt obſcura, & uix apparentia, adeò exactè traijciet: habet itaq; & aër per omnẽ ſui partẽ traiectricem colorũ facultatem. Eſt enim totus per totum ſeipſum perſpicuus. Quod enim hic ſitum eſt, & qui ante, & qui retro, & qui, ut ſemel dicã, in omni parte ſunt, uident. Operationes ergo quædã ex uiſibilibus, citra affectionẽ ullam, in aëre inſunt, ipſum non colorantes. Neq; enim ſua natura, ut coloretur, aptus eſt. Vnde per eandẽ aëris partẽ diuerſi uidẽtes diuerſos colores uidemus. Quod quidẽ nõ fieret, ſi ipſe coloratus eſſet. Neq; enim ſimul poſſet colorari contrarijs. Vt ſi O aër eſſet: M autem nigrum: album uerò L: uideret autem A album: B autem nigrum: procedent nigri, & albi operationes per aërem. Si autem per O procedunt, cùm ſint contrariæ: clarum eſt, quòd ipſum non colorant. Neq; enim fieri poteſt, ut eadem pars contrarios ſimul colores ſuſcipiat. Quod autem in duobus, idem & in pluribus coloribus licet dicere. Cùm enim plures ſunt; qui

uident,

uident, & plura, quæ uidentur, uenient plures colorũ operationes per eundẽ aërem inuicem concurrentes. Si autem coloratus eſſet aër, hoc nunquam fieret. Tranſeũt ergo per inuiſibile colorũ operationes, et uiſui propria ſubiecta renũtiant, ipſos, in quã, colores, in ipſum quidẽ ſenſum agẽtes, taliter, uel taliter: in ipſum uerò perſpicuũ aliquẽ affectum nõ immittentes. Neque quærere oportet, quomodo coloris operatio à proprio ſubiecto progreſſa ad uiſum uenit. Fit enim in ſubiecto aëre: & ſic per eũ agit in uiſum. Sicut fabri operatio procedit per ſecurim in lignũ: & in lignũ quidẽ agit, ei talem uel talẽ figurã præbens: in ſecurim aũt nihil tale agit, quale in lignũ. Sicut ergo in his, ſic & in luce, dicimus operationẽ quandã incorporeã ex illuminatiuo corpore in perſpicua immitti, quæ eã ſuſcipere ſua natura apta ſunt. Et ſicut ignis etiã à nobis longe ſitus nos calefacit: nõ q ipſe ad nos ueniat: ſed q ipſe quidẽ ſibi proximũ aërẽ calefaciat, qui ab igne pati ſua natura aptus eſt: calefactus autẽ ille calid fit. ut poſſit & ipſe, quæ iuxta ſe ſita ſunt, calefacere: & id ad totũ uſq; fit: & ſic ea quoq;, quæ ab igne ſunt longiſsimè remota, calefacit. Et primo quidẽ ab igne: proximè aũt, & per ſecundã rationẽ, ex ijs, quæ iuxta ſita ſunt. Sic & perſpicuis corporibus per ordinem ſitis (ſphæræ enim ſe inuicem attingunt. & deinceps extremã ſphæram attingit, qui circa nos eſt, aer: & deinde eũ aqua) Sol ergo proximè in id, quod iuxta ſe ſitũ eſt, corpus, & quod eũ attingit, agens, ipſum facit actu perſpicuũ. illud autẽ ſic factũ habet facultatem, ut & ipſum, in ea, quæ propè ſunt, ut & ea talia faciat: & ſic ad ultima uſq; procedit illuminatiua facultas, nõ ſolis operatione ad ultima citra intermediũ uenientẽ, ſed propinquis, & primò patiẽtibus, ualẽtibus & ipſis in ſuſceptiua ſimilẽ operationẽ exercere. Si autẽ repẽtina fit in omnibus operatio: & ſicut ſi quis funis longi & extẽſi ſummũ mouerit, totus funis ſine tẽpore mouetur, ꝑpter partiũ continentiã, priore, quod cohæret, mouẽte: ſic oportet intelligere in lucis quoq; operatione fieri, eo q omnia mundi corpora per ſeriem ſe inuicẽ attingãt. Eſt ergo lux nõ corpus, ſed perſpicui operatio, quæ eſt perſpicua. quæ quidẽ fit ab effectiuo. Effectiuũ aũt primò, & maximè propriè ſol eſt. Secũdo aũt, quæcunq;. q alicuius ex eo fluxus partẽ nacta ſũt, efficiunt et ipſa illuminatiua, ſicut luna: & aſtra: & ignis. Primum enim lucis fontẽ Deus in Sole collocauit. Sic ergo dictas oẽs dubitationes effugiemus. Et neq; corpus per corpus procedet: neq; fieri nõ poterit, ut repẽtina, & tẽporis expers ſimul & ſemel fiat operatio, cùm ſit incorporea. Sed ad hæc, quæ de luce, et uiſibus ſtatuimus, nobis dubiũ mouent: Si corpus non eſt lux & uiſus: unde ergo, quæ in ſpeculis fiũt, reuerberationes, ſeu reflexiões? Vnde et quæ in balnearijs ſolijs? Vnde &, quæ ex radiorũ fit refractione, colliſio, & ex eo calefactio? Qui fit, q promontoria planicie minus caleſcãt? Cur aũt, ſi uiſibiliũ operationes ſunt in aëre, nõ &, quæ ſunt poſteriora, uidemus? Si enim per oẽm ſui partẽ aër habet colorũ operationes, ut ſatis declarat, q. qui undiq; uident, eundẽ colorẽ uideant: ut ſi ponatur a color: circa eum autẽ ſint plures uidentes: b c d e f g: omnes ipſum uidẽt: clarũ eſt aũt hoc ideo fieri, q aër per oẽm ſui partẽ colorũ operationes habeat. Quod ſi ita eſt, cur nõ et, quæ à tergo ſunt, uidemus? Vnam ergo his omnibus ſolutionẽ afferemus, iiſdẽ ſuppoſitionibus uſi in dicendo de operationibus, quibus uſi ſunt, et qui corpora dicunt uiſum, & lucẽ. Sicut ergo illi ſtatuũt uiſus, & radios ſecundũ rectas lineas emitti, & à planis, & leuibus corporibus per æquales angulos reflecti: &, ideo ea quoque, quæ ſunt in ſpeculo, ſimulacra apparẽt, non noſtris quidem uiſibus ad uiſibilia refractis, ſed illis operationibus ad nos: Propterea ergo neq;, quæ retro ſunt, uidemus: quoniã operationes ad uiſus ſecundum rectam feruntur. Non aliter autem per rectam è uiſibilibus ad uiſus operationes deferentur, quàm ſi uultu aduerſo fuerimus. Operationes enim ſemper ſunt in aëre citra ullam affectionem: in nos autem non agunt, niſi quando ſenſilia fuerint directò uiſui oppoſita. Sicut neq; uiſus per ſe uiſibili ſe applicãt, niſi ei directò obiecti ſint. Propterea ergo, quæ à tergo ſunt, colores, ne ſi obliquè quidem aſpexerimus, nõ uidemus: quamuis in aëre ſit colorum operatio: eo quòd non recta ad uiſus feratur operatio. Sic ergo lucis repercuſsiones, & operationũ uiſibilium, fieri dicimus à planis, & leuigatis corporibus, per æquales angulos refractis operationibus, & propterea eadem uiſuum ratione, quãdo contigerit ſpeculum talem ſitum habere ad nos, & uiſibile, ut, quæ in ipſum operationes inciderint, in æquales etiam angulos reflexæ ad oculum ueniũt, ea etiam, quæ non ſunt oculo directè oppoſita, uidemus: ut, quæ ſunt retro, uel ſupernè, uel infernè, uel obliquè. &, quæ illi dicunt ſimpliciter in uiſu, ea nos immutabiliter in operationibus dicentes, quæ cernuntur, ſeruamus. Quid enim refert, an uel ab oculo rectæ procedentes ueniant ad ſpeculum, uel à ſpeculo ad uiſum reflectantur, ſi quidem eadem & illi, & quod Ariſtoteles dicit, ſupponit? Sed hic quidem in operationibus, illi uerò in egrediente uiſu. Innumerabilia autem abſurda, & quæ fieri non poſſunt, eam, quæ eſt de egrediente uiſu, ſuppoſitionem conſequuntur, Eſt ergo potius eligenda Ariſtotelis ſuppoſitio, quæ &, quæ cernuntur, ſeruat, & abſurda declinat. Vnde ergo in aëre calor fit, ſi quidem Sol non eſt calidus, radij autem corpus non ſunt? Si enim corpus non ſunt, attritus non eſt. Si autem attritus nõ eſt, quomodo aër caleſcet? Quòd enim attritus ſic calefaciat, ut igneum etiam reddat, ſi frequentior fiat, ex rei euidentia clarum eſt. Ex lignis certè, & lapidibus, & ferro colliſo accenditur ignis. Quin & in igniarijs, niſi ſic radium ad id, quod accendere uolumus, adaptauerimus, ut non obtuſum angulum radiorum refractio efficiat, ſed ſic acutum, ut duplicatus ferè in unam rectam deſinat, & ſua denſitate aërem, qui eſt interceptus, atterat, accenſio fieri non poteſt. & id ſenſiliter uidemus. Quare ab ijs quidem, qui radios corpus ſtatuunt, quæ manifeſtè cernuntur, colliguntur: at non itidem ab ijs, qui operationes. Quomodo enim calefaceret eius, quod non eſt calidum, operatio? Quomodo autẽ attritus fiat ab incorporeo? Ad hæc ergo dico, quòd, quemadmodum ab anima, quæ non eſt calida, uiuificatiua quædam operatio fit in corpore, quæ innatum calidum excitans, animal uiuificat: poſtquam autem receſſerit anima, ſtatim quoq; calidum innatum extinguitur: Sic & uiuificatiuam quandam operationem ex ſole dico ineſſe in aëre, eamq;, quod inſitum eſt aëri calidũ, mouentem ipſum calefacere. Et ſicut animoſa ſeu iraſcibilis animæ facultas, & ſi non ſit calida, poſtquam tamen fuerit cõmota, qui circa cor eſt, ſanguinem calefacit. Similiter & cura calefacit, quãuis ſit incorporea animæ operatio: ſic & ſolem ſatis eſt probabile, quamuis non ſit calidus, uiuificatiua ſua operatione, quæ lux eſt, eam, quæ eſt in aëre, caliditatem excitantem, ipſam calefacere. Si autem calefactiua operatio: ubi plus eſt operationis, illic quoq; caliditatis plus eſſe neceſſe eſt. Quare, cùm in repercuſsionibus dupletur operatio, & exiguum, qui intus eſt, aërem comprehendat, utpote à maiori operatione exiguo aëre calefacto, non per attritum, ſed quòd dicto iam modo moueat innatũ calorem, iure contingit accenſionem fieri. Quòd autem meridies magis caleſcat, quàm aurora, & ueſper, rurſus eaſdem cauſas reddemus: Quòd oriente quidem, & occidente ſole reflexæ operationes obtuſos angulos faciunt, & multum aërem intercipiunt, propterea minus calefaciunt. Et alioqui Sol & oriens, & occidens per multam caliginem ad nos accedit: caligo autem aquoſa eſt: uapor enim: & propterea minus calefaciunt operationes, quæ per multam caliginem ad nos accedunt. Quòd autem plus eſt caliginis uerſus orientem, & occidentem, quàm

*uerſus id, quod eſt ſupra uerticem, hinc planum eſt. Statuatur enim unus quidem ſtans circulus, terra: alius autem exterius ex caligine terram ambiens. Quę itaq; ex centro terrę, ſcilicet, emittũtur: ęquales erunt. Quę enim ex quouis circulo ad circunferentiam rectę lineę emittuntur, erunt inter ſe ęquales. Si autem à noſtra habitatione rectas emiſeris, ſi quidem in cœlum, clarum eſt, quòd quoniam tota terra centri ad uniuerſum rationem obtinet, & ſi ſint inęquales, tamen, eo quòd, ut ad uniuerſi magnitudinem, ſit earum differentia ſenſu noo perceptibilis, ęquales erunt. Si autem à noſtra habitatione ad caliginem lineas miſeris, quoniam, ut in Meteoris oſtenſum eſt, non in magnam altitudinem fertur à terra uapor: ſunt quidem certè & montes, qui nubes tranſcendunt, neq; uerò nos in centro habitamus: ex neceſſitate non erunt inter ſe inuicem ęquales. Sed minimę quidem, quę in uertice: reliquę uerò, eę quidem, quę ab eo, quod eſt ſupra uerticē, plurimum diſtant, ſunt maximę. Quę autē ei, quod eſt ſupra uerticē, ſunt ꝓpinquiores, minores ſunt. Eſt autem earũ, quę ex ſuperficie ducuntur, in qua & habitamus, rectarũ minima, quę eſt in uertice: maxima autē, quę per centrũ: reliquarũ autem, quę ad uerticē quidem magis accedunt, minores. reliquę uerò maiores. In calido autem, & longiori tempore ſupra terram manens, magis calefacit. Lumini enim hoc natura inſitũ eſt, ut quãdo in leue aliquod, & ſplendidum corpus inciderit, ſic in illud agat, ut et ipſum ſimilē operationem remittat: ut in argento, & ſpeculis, & in aqua, & uitris, & alijs plurimis. Quodcunq; ergo corpus luminis operationem admittit, ad eam quoq; remittendam ſua natura aptum eſt: pręcipuè autem plana, & leuia corpora, ut, quę dicta ſunt. Propterea ergo & luna, ſolis luce accepta, quę hic ſunt, illuminat. Et hoc eſſe dicimus refractionem ſeu repercuſſionem luminis, quę fit ab ijs, quę ſuſceperunt, & exercere ſimiliter operationem poſſunt. Aeſtate itaque, & meridie, cum plures ſimiles operationes in eodem fiant, aërem magis caleſcere contingit. Sic ergo, quę aduerſus ea, quę de operationibus dicuntur, afferuntur, dubitationes ſoluunt. Sed ad hoc dico, quod prius dicebã, quòd quemadmodum luna, quę ſolis operationes ſuſcepit, & per ſui corporis ſplendorem illuminatur, ipſa quoq; ſua natura apta eſt ad operationem contra reddẽdam, & ea, quę hic ſunt, illuſtranda: ſic & alia ſunt plurima, quę lucis operationibus acceptis, ad eas quoq; contra reddendas ſua natura apta ſunt: ut aquę: uitrum: argentum: ęs: &, ut ſemel dicam, leuia & ſplendida omnia. Quando ergo à leuibus corporibus reflecti dicitur operatio, nihil aliud dicitur, quàm, quòd eiuſmodi corpora, quę lucis & uiſibilium operationes ſuſceperunt, non eaſdem numero, quas ſuſceperunt, reflecti, & reuerberari faciunt: ſed quòd eiuſmodi quoq; operationes contra reddere ſua quoq; natura apta ſint. Et propterea diligentiam & ſtudium adhibemus, ut ſic illuminentur igniaria, ut, quę à ſole operatio in ignem incidit, &, quę ex eo rurſus fit, à ſe inuicē nõ diſtẽt, ſed propè ſint, & ea denſitate calefaciant. Eadem & in uiſu. Sit ergo hoc ſic tractatum. De illo non citra rationem quiſpiam dubitauerit. Si non per uiſuum emiſſionem uidere fit: ſed uiſibilium operationes ad oculum ueniunt: undenam interualla, quę inter nos ſunt, & ea, quę uidentur, cognoſcimus? Si enim ad oculum uſq; operationes ueuirẽt: &, quę longe ſunt, &, quę prope, eodem modo cerni oporteret. Si autem uiſibilium diſtantias cognoſcimus: non ad nos, ſcilicet, imagines ſeu uiſilium operationes ueniunt. Quomodo autem imaginari poſſit quiſpiam figurarum, & colorum operationes uenientes per aërem? ſed ad hoc dicebat Philoſophus, non operationes uenire ad oculum, ſed totum, ut ſemel dicam, aërem omnibus eſſe uiſibilibus repletum. Hoc autem eſt et magis dubium, & multò magis abſurdũ. Primũ enim & hoc ipſum adhuc manet dubium. Si enim aër communiter uiſibilium ſimulacris & imaginibus plenus eſt: unde interualla cognoſcimus? Oporteret enim &, quòd ualde longè eſt, &, quod prope, eodem modo apparere. Sed neq; oporteret, quę ſunt longiſſimè, ſenſum effugere: ſi quidem totus aër omnibus ſimulacris plenus eſt. Sed ad hoc fortaſſe dixerint, quòd ſicut, qui uiſus ſtatuunt, eos longe procedentes imbecillos eſſe dicũt, & propterea, quę procul ſunt, non uidere: id ipſum & nos in operationibus ponimus, eas longe procedentes imbecillas fieri. Sed ad illud quid dixerint? Si enim totus aër eſt plenus imaginibus, quis eſt uſus, ut dicentes ſtatuamus ſecundum rectam operationes procedere? Oporteret enim ea, quę non longe ſunt à nobis, & quę, ut paucis dicam, uidere poſſumus, quocunq; aſpexerimus, uidere, cum totus aër penitus ſit ſimulacris plenus. Cur ergo cœlum non uidemus, & unumquodq; uiſibilium, niſi ad ea aciem intendamus? Qui autem Ariſtotelis ſententiam defendere uoluerit, hanc ipſam operationem in teſtimonium adducere poterit. Videmus enim, quòd, quando per ſpeculum flauo, aut alio colore tinctum ſolis radius tranſierit, nihil affectus, nec quicquam paſſus aër manens, & ſpeculi colorem quendam, & figuram traijcit, donec corpus aliquod ſolidum attigerit: & deinde in illo imprimit & colorem, & figuram. Et ſi operatio lux eſt, & non corpus: pręterea autem & non ſecundum uiſuum aliquorum, qui ſunt corpora, emiſſionem uidere fit: ſed uiſibilium operationes ad nos ueniunt: cur in Meteoris uſus eſt Ariſtoteles ijſdem ſuppoſitionibus? Dicit ergo, quòd, ut apertioribus, uſus eſt ſuppoſitionibus radiorum, & uiſuum. Neq; enim cogitatione complecti facile eſt operationes refractas, uel per aerem omnino procedentes colorum operationes. Quęcunq; autem per illas ſuppoſitiones confirmata ſunt, eadē & per has quoq; confirmabuntur. Sicut enim conos illic dicebamus ex oculis ab aliquo centro exire, deinde procedentes latiores fieri: ſic & in operationibus, uidelicet, dicetur. Quoniã enim ad aliquod anguſtum cryſtallini humoris centrum operationes uiſibilium indicantur: neceſſe eſt ab ipſo quidem lato uiſibili initium ſumere: deſinere autē in anguſtum, nempe oculum. Id autem eſt conus, habens uerticem quidem pupillam, uel cryſtallini centrum: baſim autem ipſum uiſibile. Quare ex ijs, quę oſtenſa ſunt, non lęditur ſuppoſitionum diuerſitas. Et, quę de refractionibus quidē dicta ſunt, ſimiliter habebunt in utriſq; ſuppoſitionibus. Hęc itaq; ſint, quantum ad defendendas Ariſtotelis ſuppoſitiones attinet. Imaginatu autem difficile uidetur, quod de operationum refractione dicitur: quomodo fieri poteſt, ut operationes, quę ſunt res incorporeę, repercutiantur, & angulos faciant. Eſt enim obtuſus, & acutus diſtantię angulus. Eſt autem diſtantia magnitudinis. Eſt uerò magnitudo corporũ, & in corporibus. Operatio uerò eſt incorporea, eſſe non habens in aëre, ſed in eo, quod operatur. Quomodo ergo ſine ꝓprio ſubiecto repercutitur? Et alioqui, ſi repercutitur, uel cum aëre repercutitur, uel per ſe. Si itaq; per ſe, quomodo rurſus res aliqua incorporea repercutietur, & angulos faciet? Si autem cum aere: quoniam aër, cum ſit humidus, ſeipſum ex aduerſo circumſiſtit & comprimit: neceſſariò refractus aer alium trudet aërem, in cuius loco eſt: & eius locum alia aëris pars occupabit. Clarum eſt autem, quòd, qui refractum ex aduerſo circunſiſtit, cum ea, quę in eo eſt, operatiōe luminis, cedet refracto. Non conduplicabitur ergo luminis operatio in uno & eodem aëre. Pro ea enim, quę inter aërem repercuſſa eſt, alia cum aëre circunſiſtente ſeceſſit. Si autem conduplicata non eſt operatio, non magis calefecit. Eſt ergo ſuperuacaneum, quod de operationum refractionibus dicitur, ad hoc ut maiorem caliditatem faciant, quando ex aduerſo circumſiſtit reuerberatum cum aëre, quę in loco, cuius eſt reuerberatio, fuit prius operatio. Et eſt re uera uiſu mirabile. In aëre enim, per*

quem tranſit ſolis radius, intendens quis oculos, ipſum nec à uitri colore, nec figura affectum uidet: in ſolido uerò corpore, in quo finitur radius, in illo & color, & figura cernitur. Neque uerò uiſuum reuerberationem illic quoq; cauſari licet. Neque enim in leuibus fit ſimpliciter tale corpus: ſed & in lana, ſi illic radius inciderit: & in ueſte: & in arena: & in quolibet, & quomodocunq; fuerit uiſus. Quare ne illhinc quidem poteſt ad ſpeculum fieri repercuſsio. Hinc ergo manifeſtum eſt, quòd uiſibilium operationes citra ingeneratam affectionem per aërem procedentes, cùm ſic in ſenſorio fuerint, utpote in alio corpore, illic & colores, & figuras uiſibilium imprimunt: & ſic ab eis affecto ſenſorio ad ſenſum iudicium peruenit. Sed dici ad hoc poteſt, quòd non id ipſum uidemus fieri in uiſibilibus, quod fit in imaginis repræſentatione. Neq; enim fit aliter, quod dictum eſt, niſi radius per ſpeculum acciderit. Viſibilia autem uidentur, etiam ſi non à ſole radius eis ſe per rectam applicauerit. Et alioqui, quod ad ſpeculum quidam attinet, quibus radius acciderit, in eis fit imaginatio coloris: ſed nihil eiuſmodi in uiſibilibus apparet. Nihil enim agere cernuntur in reliqua corpora, etiam ſi per ea radius feratur: ſed eſt, quod fit in imaginis repræſentatione, præter uiſibilium operationem, uel ſimpliciter aſſumptionem. Et hoc quoq; in hoc, quod de operationibus dicitur, dubitant. Quid uerò, inquiunt, quando humor aliquis in oculum inciderit, eum non uidemus, cùm intus ſit? Si enim non omnino ſenſilium operationes, quæ in ipſo ſunt oculo, agunt, & non uiſus noſtri ad eas ueniunt, oporteret humorem, qui intra noſtrum oculum coactus eſt, uidere: nunc autem hoc non fit, ſed ipſum extra apprehendimus, & ſi figuratus fuerit, figuram quoq; rurſus extra ſentimus. Neque dixerit quiſpiam huius operationem foras egreſſam, in aëre rurſus ab eo in oculum eſſe refractam. Neq; enim uiſus ſimpliciter ab aëre, idq;, cùm ſit ſubtilior, natura reuerberari aptus eſt, etiam ſi operatio. Alioqui ſi ita eſſet, cur non uueæ quoq; color hoc ipſum faceret? Oporteret enim ab hac quoq; operationem egreſſam, & ad nos repercuſſam, nobis eſſe apprehenſiuam: nunc autem non ita eſt. Non eſt ergo manifeſtum, inquiunt, quòd uiſiuus ſpiritus ab eo, qui intus eſt, humore paſſus, deinde extra progreſſus, & tanquam uehiculo illuminato aëre uſus, ſic inditam in ſe affectionem ab eo humore, qui intus eſt, apprehendit? Qui in ſeipſo continuus eſt ſpiritus, parte illa, quæ humori applicatur, affecta, eius ſemel mutatæ per continuitatem deinceps alterationem retinet. Et quoniam uiſibilium non fit aliter apprehenſio, quàm per illuminatum aërem, ueriſimile eſt, quòd, cùm extra fuerit, affectum apprehendit. Ad hæc ergo illud dicimus, quòd uiſus ex oculis exire non prius admittemus, quàm ea, quæ ad hanc ſuppoſitionem ſequuntur, abſurda diſſoluerint. Si enim uiſus ex oculis exire omnino ſublatum eſt: non utique, tanquã ſit uera ſuppoſitio, feremus eos, qui illa utuntur, propoſitorum rationes reddere. Dicimus ergo nos eaſdem ſuppoſitiones ſequenter, hunc humorem in oculo concretum, non alibi habere concretionem, quàm circa ipſum uueæ foramẽ extra humores. Si enim magis interius concretus fuerit, quàm in humoribus, uel in neruo uiſiuo, uiſum omnino impediet. Viſiuum ergo ſpiritum à cerebro re uera deſcendere dicimus per uiſiuos neruos: eumq; ad Cryſtallinum uſque peruenire: & eum in ipſo definere. Quare & illic fiunt uiſibilium iudicia. Eſt itaque & ipſe perſpicuus, ut uiſibilium operationes per ipſum ad uiſiuum ſpiritum tranſportentur: & ideo perforata eſt pars uueæ, quæ interiecta eſt. Quia enim colorata eſt uuea, & propterea impeditura erat, quominus colororum operationes tranſirent: perforata eſt ea pars, quæ eſt ad Cryſtallinum, ut citra impedimentum perueniant operationes uiſibilium per corneam, & humores perſpicuos. Per eos ergo deuenit ad uiſiuum ſpiritum, uel concreti coloris, uel figuræ operatio. Et quandoquidem, etſi ſunt humores perſpicui, eorum tamen perſpicuitas luminis præſentia perficitur, & fit actu perſpicuũ, quod erat prius potentia: propterea clauſis oculis non uidemus. Nec nobis obiicietur, cur nõ uueæ quoq; colorem uidemus, oſtenſa per humores eius operatione. Diximus, quòd pars eius, quæ eſt ad cryſtallinum, perforata eſt, cùm non ſit illius in ea parte ſubſtantia, in qua uiſibilium iudicationes fiunt: & propterea illic uiſiuus ſpiritus terminatur. meritò ergo nec fit eius apprehenſio. Quid ergo, inquiunt, uiſiuus ſpiritus tantum locum ſolum occupat, quantum eſt pupillæ ſpatium? Deinde ſi tantum occupauerit, & in illa parte immobilis permanſerit, nõ eſt rationi conſentaneum ipſum etiam ad utraque diffundi: non autem eius auctio & diminutio totum oculum uel concauiorem uel eminentiorem reddit? Ad hæc ergo paucis dico, quòd etiam ſi ad utraq; euenit ſpiritus diffuſionem fieri: ſed uiſibiliũ tamen apprehenſio in ea ſolum parte fit, in qua pupilla conſiſtit. idq; & ex ipſa rei euidentia, & ex ratione clarum eſt. Videmus enim, quòd ſi in ipſa quidem pupilla affectus aliquis ſeu uitium inſuerit: uel humoris, inquã, concretio, uel ſordes aliqua, & corneæ cõdenſatio: ſtatim quominus uideamus impedimur. Si ipſa quidẽ talis ſit, &, quæ circa illã ſunt partes, ſecundũ naturã ſe habeant, quæ autem utrinq; ſunt partes, omnes affectæ fuerint, & uel ſcirro, uel humoris ſuffuſione, uel aliquo alio uitio laborauerint: citra ullum impedimentum eſt uiſus: periude ac apertum ſit, quòd per illam ſolam fit apprehenſio. Et cauſa manifeſta eſt. Si enim ad eam propterea perforata eſt uuea, ne uiſibilium apprehenſionem ſuo colore impediat, ubi hoc non euenerit, ei, ſcilicet, impedimentum afferet. Quare etſi in toto oculo ſpiritus diffuſus fuerit: fieri non poteſt, ut per totum apprehẽdat. Et quemadmodum ſi aliqua domus fuerit, quæ unum ſolum foramen habeat, in eo autem foramine ſit permultum uitri nigri, ita ut per id lux non poſsit domũ illuminare, cùm neque eius, neq; alicuius alius rei, quæ intus ſit, fiat apprehenſio: ſic & in cornea accidit. Si enim omnia, quæ intra illam ſunt, eſſent perſpicua: cùm lux non poſsit propter corneæ colorem, quod in ea eſt, perſpicuum in actum deducere, non apprehendet ea, quæ eſt intra illa, facultas ne ipſam quidem uueam. Quare ſi omnino per totam corneam non uidemus, ſed per ſolam pupillam: ſuperuacaneum eſt quærere, cur non & ipſam uiſus uueam apprehendit. Maximè, inquit, & ſi eum, qui eſt intus, humorem uidemus, cùm extra uiſus tamen non procedant, cur non intus eſſe affectionem ſentimus, ſed extra eſſe exiſtimamus affectionem, quæ intus eſt? Ad hoc ergo dico, quòd omnibus ferè, quæ præter naturam ſunt, diſpoſitionibus tale quid naturaliter accidit. Qui enim capitis uertigine laborãt, iis quoq;, quæ extra ſunt, affectionem ſuam adduut, non utique, quòd ſpiritus aliquis foras ex cerebro exierit. Sed &, qui in ore præter naturam ſaporem aliquem habent, eum & cibis, & potibus quoq; ineſſe exiſtimãt. Vnde & dictum eſt, & rurſus dicetur, id, quod aliquid ſit apprehenſurum, nulla eorum, qualitate eſſe præditũ, quorum eſt apprehenſionem retenturum & ſimiliter, quod eſt eorum tranſportatiuum, eorum nulla qualitate præoccupari. Et propterea, quoniam aër eſt & colorum, & ſonorum, & odorũ tranſportatiuus: & coloris, & odoris, et ſoni per ſe expers eſt. Si enim colore aliquo eſſet præoccupatus, hoc reliquorũ tranſportationi impedimento eſſet. & propterea, ut iam dixi, colorata ſpecula reliquos colores tranſportare non poſſunt. Quemadmodum ergo rubro uel ceruleo colore tincta ſpecula, quæcunque per ea uidentur, eiuſdem quoq; eſſe coloris oſtendunt: ſic & unumquodq; ſenſorium, quando ab una aliqua qualitate eorum, quorum iudex eſſe debet, præoccupatum fuerit ex morbo aliquo, eandem quoque qualitatem omnibus ſenſilibus adij-

ciet. Sic ergo & lingua, quando fuerit aliqua qualitate affecta, omnibus quoq; guſtabilibus eandem ineſſe qualitatem exiſtimat, quam ipſa iam prius habebat. Guſtabile enim guſtans, quoniam acriorem, & efficaciorem habet, qui in ſe eſt, ſaporem, ei quoq;, qui accedit, idem adeſſe exiſtimat. et ideo, qui ita habent, uehementiores, & acriores ſuccos adhibent, ut, uerbi gratia, acetum, uel quid eiuſmodi: ut cum eo, qui eſt in lingua, præter naturam ſucco potentius fuerit, à ſenſitiua poßit facultate apprehendi. Quod ipſum in uiſu quoq; accidit. eo enim colore, qui nobis præter naturam infuerit, colorata quoq; ea eſſe, quæ extra ſunt, putamus: Vt in ijs, qui regio morbo laborant. Omnia enim eſſe flaua exiſtimant. Quoniam enim perſpicuæ oculi partes, per quas uiſibilia apprehendimus, ut humores, & cornea, pallidæ euaſerunt, quæ per ea quoq; uidentur, talia exiſtimamus. ſicut &, quæ per ſpecula cernuntur, eundem quoque colorem habere uidentur, quem ſpecula. Sic & in eo humore, qui in oculo concreſcit, eundem colorem, & figuram in aëre apponimus. Et quemadmodum iam dixi, ſi ſicut in reliquis ſenſorijs, quando præter naturam ſe habent, ſenſilibus quoq; eorum affectio ineſſe uidetur, & ſi id non fiat per ſenſus emißionem, eſt rationi conſentaneum id quoq; in uiſu euenire. Non ergo propterea quòd ſenſorium proprium foris affectionem apprehendat, ex oculo exire ſpiritus admiſimus. Contingit autem & ad figuram eius, qui incubuit, humoris, talia etiam exterius uideri propter hanc cauſam. Si enim humor, qui incubuit, omnem pupillam inuaſerit, tota operatio læditur. Si autẽ in aliqua pupillæ parte in uiſiuam facultatem inciderit, undique ingredientibus uiſibilibus, & luce: cùm in ea quidem parte ſit uiſus priuatio propter incurſionẽ & interpoſitionem humoris, fit quidam error: & uidetur pars illa, per quã non uidet, aliquod corpus extra eſſe clarum, & ſimiliter figuratum: & ideo ſi contigerit ut nõ ſtet, ſed moueatur humor, extra quoq; uidetur eſſe aliquod corpus, & ſemper moueri: cùm in alia parte uiſus fuerit priuatio. Quid mirum autem ſi ſunt ſpecula, quæ imaginum repræſentationem extra exhibent? Atqui ſuſpicari poſſet quiſpiam imaginem, quæ apparet, extra circunferri, & hoc ipſum in ijs, quæ ſunt præter naturam, oculi affectionibus, ſeu diſpoſitionibus fieri. Cur ergo, inquit, cùm nimia pupillæ latitudo fuerit, non uidemus? Qui enim uiſus cauſantur, rationi conſentaneam cauſam habent, quòd uiſus exeuntes diſpergantur, & diffundantur, & in emißione non ſeruent figuram, quam ſeruarent, ſi pupilla ſecundum naturã habeat. Quid autem dixeris in operationibus? Latiore enim exiſtente pupilla ingredientibus operationibus magis uidere oportebat. Rurſus ergo eſt & ad hæc ex eiſdem ſuppoſitionibus occurrere: quòd, ut ſæpe dictũ eſt, oportet ſenſilia ſenſorio ex directo opponi. Dicet ergo aliquis diffundi operationes, & non in ipſum centrum ferri, ubi eſt iudicium: ſed hoc eſt ridiculum. Si enim eſſent corpora, eſſet probabile, quod dicitur. Nunc autem quomodo fieri poteſt, ut diffundantur operationes incorporeæ? Nam omnino quomodocunq; ſita contra fuerint, uiſibilia ſenſorio directè opponuntur, in quo eſt iudicium. Quid ergo uetat quominus exacta ſit illorum apprehenſio? Quæ autem cauſa eſt, quòd cùm peruerſæ ſunt pupillæ, & non ſub una & eadem recta ſunt, ſiue ex naturali uitio, ſiue de induſtria, ut quando in inferiore cilio infixo digito alterius oculi ſitum ſuperius amouemus, in hoc ergo ſtatu cùm ſumus, res duplices uidemus? Ego itaq; huius cauſam aliquando interrogatus, & uiſuum ſuppoſitione uſus, ſic eius quod ſit rationem reddidi: quòd ſi duos ex oculis conos exire dicimus ab una & eadem recta, & indeclinabili linea, quæ per cryſtallinorum humorum centra defertur, & ſe uiſus uiſibilibus applicant, & triangulos faciunt baſim quidem habentes, ſenſile: latera autem axis coni, utrinq; æqualiter diſtantes uiſus, per quos & uiſibilium indicationes fiunt: Sunt autem duo axes uniuſcuiuſq; coni, circa quem reliqui ſunt uiſus: Clarum eſt utiq;, quòd ſi non declinauerit quidem recta linea, quæ per centra cryſtallinorum è conis deducitur, qui æqualiter ab axibus uiſus diſtant, ſe in ijſdem ſignis uiſibilium ita applicant, ut uiſuum inter ſe fines conueniant, & angulos æquales faciant, quoniam diſcernuntur quidem ſenſilia per angulos, qui fiunt ex uiſibus utrinq; æqualiter diſtantibus. Quoniam autem coni non declinant: quæ ab axibus utriuſq; coni æqualiter diſtant, meritò, ut unum, unũ apprehẽdunt. Quemadmodum ergo & ſi duo ſenſilia fuerint, eo quòd alij, & alij eis uiſus incidant, qui neq; per ſe inuicẽ conueniunt, & diuerſos angulos faciunt, propterea duo quoq; apparent, quæ uidentur, uel plura: ita ſi inuerſus fuerit uiſuum ſitus, euenit, ut in idem ſenſile ex utroq; cono ſe uiſus applicent ab axibus non æqualiter diſtantes. Et quoniam ab ijſdem ſignis diuerſi ſenſilis anguli fiunt, meritò & duo ſunt iudicia, & propterea duo eſſe unum quoq; ſenſile uidetur. Sic ergo ex ea, quæ eſt ſecundum uiſus, ſuppoſitione, eſt eius quod ſit cauſam probabiliter aßignare. Quam autem huius cauſam dixerit eſſe quiſpiam, operationum ſuppoſitione utens? Ad dubitationem autem de interuallis, dico autẽ eam, quæ dicit, quòd ſi ad nos operationes ueniunt, & non ex uiſibilibus ad ſenſilia aliquid emittitur, undenam interuallorum ſenſum & magnitudinem accipimus? Neq; enim aliud alio propius uel longius uideri poßit, cùm omnia ſimiliter ſenſilia ad ſenſorium ueniant. Quomodo autem maiora uel minora appareant, quæ in unum ſignum terminantur omnia? Hoc ergo ſoluentes dicunt, quòd ſi in auditione aperte ſentimus an propè uel longe ſit, quod ſonat: & ſi manifeſtè ſenſilia ad ſenſorium non accedant: nec ex ſenſitiua facultate egreditur aliquid: quid mirũ ſi in uiſu idem quoq; accidit, uiſibilium operatione in uiſus incidente? Quòd ipſe enim aër percuſſus, & ſonum edens auditui nõ appropinquat: ſed per quandam ſuam ſonorum tranſuectricem facultatem aër ſonos traijcit, ſicut & operationes colorum: ex eo clarum eſt, quòd cùm ſumus in aqua, eos, qui aëre ſonitus fiunt, ſentimus, non ipſo utiq; ſonãte aëre per aquam tranſeunte, ſed ea, quæ in aqua eſt, ſoni uectrice facultate. Et in aqua cum eſt, quod tranſuehit renuntiatiuam ſonorũ facultatem. Quanquam ſi & ipſe ſonans aër ad ſenſorium accederet, pro eo quod propoſitum eſt adhuc magis faceret. Vnde enim ſonante aere ad ſenſorium ueniente, ſentimus, an longe ſit, quod ſonat? Quare etſi huius cauſam tradere quis non poteſt, ſed tamen quòd non ex eo refellatur Ariſtotelis de uiſibilibus opinio, oſtendit, quod ſit in ſonis, & in ijs ſonorum tranſuectrix aëris facultas, quæ ſonos ſenſorio renuntiat, & ſi nihil ex ſenſorio exeat. Et tamen an longe ſit, an procul, an ante uel retro, ſentimus. Potentia autem propemodum idem eſt lumen, quod & tenebræ. Quoniam enim perſpicuum non eſt ſemper actu perſpicuum: perſpicuum autem dico, quod apud nos: cœleſtia enim ſunt ſemper perſpicua: in quibus eſt potentia perſpicuum, in his ſunt neceſſariò quoq; tenebræ. Priuſquam enim ſit actu perſpicuum, tenebræ ſunt. Quod enim adhuc eſt potentia, ſecundum huiuſmodi potentiam, dico autẽ primam, eſt in priuatione eius, quod poteſt. Priuatio autem luminis ſunt tenebræ. Quorum ergo præſentia lucem facit in eo, quod eſt potentia perſpicuum, ei abſentia facit lucis priuationem in eo ipſo. Lucis autem priuatio ſunt tenebræ. Sicut uiſus quidem eſt aliqua ſpecies: eius autem abſentia non aliquam aliam ſpeciem affert, ſed uiſus ſolum priuationẽ. Et hæc eſt cecitas. Et ſicut gubernatoris abſentia nauem ſubmergit, & ſi nulla alia forma in naue inſit, ſed ſolum gubernatoris priuatio: ſic & luminis abſentia neceſſariò ſunt tenebræ. Si autem lux tenebris opponitur: ſunt autem tenebræ priuatio: lux eſt forma neceſſariò. Forma enim priuationi

opponitur

*opponitur ſecundum ea, quæ in Phyſica dicta ſunt. Si autem lux forma eſt: ſunt autem formæ incorporeæ: corpus enim eſt, quod conſtat ex materia, & forma: clarum ergo eſt, quòd lumen corpus non eſt. Si autem nolit quiſpiam lucem tenebris opponi, ut habitum & priuationem, ſed ut contraria: eo quòd habitus quidem mutatur in priuationem: non itidem autem & priuatio in habitum mutatur: lux autem & tenebræ in ſe inuicem mutantur: & ipſa propterea uolunt eſſe contraria, quoniam contraria in ſe inuicem mutantur: & ſic nihilo ſecius lux eſſe incorporea oſtendetur. Si enim lux contraria tenebris: in compoſitis autem ſubſtantijs nulla eſt ſubſtantia alicui ſubſtantiæ contraria, ut in prædicamentis oſtenſum eſt: ſunt autem corpora compoſitæ ſubſtantiæ: Non ergo corpus lux eſt. Nihil enim eſt corpori contrarium: quoniam neque quicquam eſt compoſitæ ſubſtantiæ contrarium. Si enim ignis eſt aquæ oppoſitus: non quatenus corpus eſt, ſed quatenus ſecundum contrarias qualitates eſt qualitatibus præditus. Quare tenebræ quidem ſecundum quid ſunt contrarium: ſecundum quid autem non contrarium. Similiter ſecundum quid quidem ſunt priuatio: ſecundũ quid autem non. Si quis enim priuationem eſſe dicit, quæ ad formam non reuertitur: non ſunt tenebræ priuatio, ſed contrarium. Si priuationem autem dicit, ut in Phyſicis dictum eſt, ſolam formæ abſentiam, quæ ad formam etiam reuertitur, fuerint tenebræ priuatio. Rurſus ſi contraria quidem dicat quiſpiam, quæ forma prædita ſunt, & quæ propriam habent operationem, non ſunt luci tenebræ contrariæ. Nullam enim formam habet, nec propriam facultatẽ, uel operationem. Si quis autem omnia dicit ſimpliciter contraria, quæ in ſe inuicem mutantur, ſunt luci tenebræ contrariæ. Quòd autem tenebræ formæ non ſunt, hinc eſt apertum. Lucis enim cauſa eſt ſol, uel ignis, uel luna, uel tale quid aliud. Tenebrarum autem nullam uidemus cauſam, ſed ad hoc, ut ſint tenebræ, ſatis eſt illuminatiui abſentia. Sed neq; aëris eſt qualitas, ut quiſpiam exiſtimauerit, tenebræ. Si enim eſt aëris qualitas, cur non in luce uidentur? Quomodo autem repente abſq; tempore luminis ſtatim præſentia euaneſcunt? Nulla enim qualitas abſq; tempore à ſuo ſubiecto recedit. Si autem illuminatiui operationis priuatio ſunt tenebræ: eſt ergo lux operatio. Nulla autem operatio corpus eſt. Lux ergo corpus non eſt.*

Lux autem eſt veluti color perſpicui, quando actu fuerit perſpicuum, ab igne, vel eiuſmodi. quale eſt corpus quod eſt ſuperius. Ei enim ineſt idem.

*Cùm ſuperius lucem colorem eſſe dixiſſet: Perſpicuum enim, inquit, dico quod eſt uiſibile, non per ſe autem, ſed per alienum colorem, lucem: cùm ergo ſuperius indiſtinctè lucem colorem eſſe dixiſſet, hic orationẽ corrigit, cùm dicit, quòd, Veluti perſpicui color lux eſt. Non enim color, ſed ueluti color. Quòd enim non ſimpliciter perſpicui color lux eſt, declarauit, cùm addidit, quando actu eſt. Eſt enim ſemper perſpicuum: non ſemper autem lucem habet. Quare non in ſua natura eſt ut color perſpicui, ſed per proportionem & conuenientiam ueluti color. Sicut enim uiſibilia, quòd colorem habeant, fiunt uiſibilia: ſic & uiſibile, quãdo habet lucem, fit uiſibile. Quoniam ergo non habet proprium colorem perſpicuum, ſed alienum: nõ citra rationem adijcit, à quo eum habet. Ignis enim præſentia, uel, quod eſt ſuperius corporis, ſolis, & lunæ, & aſtrorum. Iis enim ineſt unum & idem. Igni enim, & quod eſt ſuperius ſolis corpori, & lunæ, unum & idem illuminatiuum ineſt, per quod utrunq; eorum ad operationem deducit, & perficit perſpicuũ. Sicut ergo perſpicuum, cùm ſit unum & idem, ineſt pluribus ſubſtantia differentibus: ſic & lux, & differentes menſuræ & perſpicuitatis, & luminis. Quæ enim ſunt apud nos perſpicua, aliquando quidẽ potentia, aliquando uerò ſunt actu perſpicua. Cœleſtia uerò actu ſemper habent perſpicuũ, à ſole enim ſemper illuminantur. Oſtenſum eſt enim, quòd terræ umbra, & ſi ad lunarem uſq; ſphæram, uel etiã. Mercurij, perueniat, ſed tamen ualde exiguus eſt locus, qui adumbratur. In ſui enim ipſius uertice conus lunari ſphæræ, uel Mercurij ſe admouens, minimam partem adumbrat.*

Quid eſt perſpicuum, & quid lux dictum eſt, quòd neq; ignis, neq; omnino corpus, neque vllius corporis effluxus, eſſet enim ſic quoq; in corpore: ſed ignis, vel alicuius eiuſmodi præſentia in perſpicuo.

*Neq; enim perſpicuum corpus eſt, eo quòd eſt in corpore. In aqua enim, uel in aëre, uel in aliquo eiuſmodi, quæ ſunt corpora. Vt corpus autem ſit in corpore, fieri non poteſt. Sed neq; lux corpus eſt, ſiquidem actu perſpicui quoq; forma eſt: Sic enim eſſet corpus quoq; in corpore: & ſiquidem perſpicuũ eſt in corpore: huius autem perfectio & forma lux eſt. Si autẽ non eſt corpus: neque ignis, neq; ignis effluxio, ut in Timæo uidetur Plato dicere, quem in his quoq; tacitè innuit: ſic enim corpus quoq; eſſet: corporis enim effluxio corpus eſt: & alioqui ſi nõ ſolus ignis illuminatur, ſed & alia, non fuerit ignis effluxio: Effluxionem autem in cœleſtibus luminaribus cogitare ſtultum eſt: In quibus enim eſt effluxio, in ijs affluxu quoq; opus eſt: In ijs autem auctio, & diminutio conſideratur: Si autem nihil eſt horum in cœleſtibus: neceſſe eſt nec ſecundum effluxionẽ corporum ipſa illuminationem facere. Si autem non eſt corporis effluxio lux, non corporum effluxionem dicit, ſed quod ipſe dicit Ariſtoteles, emiſsionem, & operationem, hoc ipſe effluxionem dixit. Sed ignis, uel alicuius eiuſmodi præſentia in perſpicuo. Non quòd ignis inſit in perſpicuo. Neq; enim perſpicuum, igne in ſe ſuſcepto, ſic fit actu perſpicuũ, ſed ſecundũ cõmunicationẽ potẽtiæ incorporeæ. Cùm enim ſit aliquo interuallo ignis diſsitus, qđ ei directò oppoſitũ eſt perſpicuũ, illuminatur. Præſentiã, habitudinẽ, quæ eſt ex coitu ignis ad perſpicuũ, appellauit: perinde ac ſi diceret dextrũ fieri dextrũ ſiniſtri præſentia.*

Neq; enim fieri poteſt, vt duo corpora in eodem ſimul ſint.

*Poſtquam dixit lucem non eſſe corpus: addit & demõſtrationem. Neq; enim fieri poteſt, ut duo corpora ſint in eodem. Quòd autem fieri non poteſt, per plura oſtenditur. Si enim fieri poſſet, ut corpus per corpus procederet, ut ipſe alibi dicit, eſſe poſſet mare in cyatho, & in milio cœlum. Si enim cyathus aquæ in eodem loco alterum cyathum exceperit: & tertiũ admittet, & quartũ, & innumerabiles. Si enim duo corpora idem unius locus omnino caperet, cur nõ & plura, uel infinita, & ſic mare in cyatho eſſe poſſet? Si autẽ fieri nõ poſsit, ut corpus per corpus procedat: lux autẽ procedit per aërem: corpus ergo nõ fuerit. Si quis autem dixerit, quòd in aëris poris ſeu meatibus procedit: eſt maximè quidẽ abſurdum. introducet enim uacuũ. Vacuum enim ab aëre ſeparatum relinquet locum, in quo erat: Deinde oporteret aërem craſsiorem & denſiorem fieri impletis meatibus: nunc autem lucis fit præſentia ſubtilior.*

Et videtur lux eſſe tenebris contraria. Sunt autem tenebræ talis habitus priuatio ex perſpicuo. Quare manifeſtũ eſt, quòd huius præſentia lux eſt.

*Argumentum à contrario, quòd lux non eſt corpus. Si enim tenebræ luci opponuntur: tenebræ autem nihil ſunt aliud quàm lucis priuatio: neq; enim, cùm aliquid fuerit in aëre, fiunt tenebræ, ſed lucis tantummodo abſentia: quod autem priuationi*

*opponitur, eſt habitus: lux ergo talis facultatis eſt habitus in perſpicuo, & non corpus. Vt iam autem diximus, etiam ſi luci contrarium quis dicat eſſe tenebras, omnino neceſſe eſt ipſum non eſſe corpus: quoniam nihil eſt ſubſtantiæ contrarium. Sed & ſi quis lucis priuationem tenebras eſſe dixerit: eis autem oppoſitam eſſe lucem, ut formam, ſecundum ea quæ in Phyſica dicta ſunt: & ſic quoq; non eſt corpus. Eſt enim omnis forma incorporea. Ipſa enim corporis forma, quæ triplicē habet dimenſionem, ſi quidem particularibus omnibus conuenit corporibus, corpus non fuerit. Si enim corpus eſſet, definitam aliquam magnitudinem haberet. Sic autem non conueniret ſimiliter & cubitali, & unius digiti corpori, & reliquis. Quare neceſſe eſt ipſa per ſe corporis formam incorpoream habere. & ipſum enim corpus eſt compoſitum ex materia, & forma. Quare & ſi lux forma eſt in perſpicuo: ſunt enim tenebræ priuatio: neceſſe eſt ipſam non eſſe corpus.*

Et non rectè Empedocles, nec ſi quis alius ſic dixit, quòd lux fertur, & eſt aliquando inter terram, & id quod ambit, nos autem latet. Hoc enim eſt præter eam, quæ eſt in ratione, veritatem, & ea, quæ cernuntur: in exiguo enim ſpatio latuerit: vt ab oriente autem ad occidentem lateat, admodnm magnū eſt poſtulatum.

*Poſtquam oſtendit lucem non eſſe corpus, eos, qui in hac fuerunt opinione, reprehendit. quorum eſt & Empedocles, qui dicebat effluētem lucem, cùm ſit corpus, ex illuminante corpore, eſſe primum in eo loco, qui eſt inter aërem & cœlū: deinde ad nos peruenire: talem autem eius motū latere propter celeritatem. Hoc autem, inquit, eſt & præter rationem, & præter ea, quæ apparent. Neq; enim uidetur, cùm ſic mouetur, & ad nos deuenit. & inſenſilem quidē motum dicere in paruo interuallo poſſet aliquis. ab oriente autem ad occidentē inſenſiliter moueri magnum re uera eſt poſtulatum. Per ea autem, quæ dicit aduerſus Empedoclem, rurſus oſtendit, lucem corpus non eſſe. Si enim corpus eſſet, ei motu opus eſſet, nt ad nos deueniret. Si autem motu: & tempore. Omnis enim motus eſt in tempore. Nunc autem ſimul illuminantur, & quæ propè ſunt, & quæ longè ab illuminante. Eſt enim præter rationem, ut iam dicebam, dicere, quòd tantus motus ſit inſenſilis. Illud autem, Et ſi quis alius dixit, ſic aduerſus Platonem intenditur. Videtur enim & ipſe in Timæo ipſam quoq; corpus dicere, & ad nos per effluxionem uenire.*

71 Eſt autem coloris quidē ſuſceptiuū, quod eſt coloris expers: & ſoni, quod ſine ſono eſt.

*Poſtquam oſtendit, lucem corpus non eſſe, ſed tanquam colorem aëris: & tanquam alienum colorem eum aërem ſuſcipere, Nunc infert aliquid, quod eſt prædictis accōmodatum, quòd id quod debet colorem ſuſcipere, nō oportet ipſum propriū colorem habere. is enim immixtus non ſinit purum eſſe, qui adijcitur. Oportet ergo aërem, ſi uel colores, uel lucem, uel ſonos, uel odorer eſt traiecturus, ipſum & coloris, & ſoni, & odoris eſſe expertem Et hæc cauſa eſt, quòd per perſpicuum uideātur colores, quòd ipſe ſit coloris expers, & ſecundū propriā naturam. Vnde & in perſpicuis lapidibus, in quibus acrior fuerit color, ut nigrū, uel rubrū, in his impeditam uidemus perſpicuitatem: in quibus autem tale quid non eſt, minus impeditam, & magis uidemus, quæ per eam uidentur. Et ideo per album quidem uitrum exactè uidemus: eo quòd propemodum coloris expers eſt eiuſmodi. Per id autem, quod habet aliū colorem, ſecundum proportionē coloris, Eſt enim perſpicuitas per quam alij quoque colores tranſportantur, uel magis, uel minus.*

Eſt uerò expers coloris &, quod eſt perſpicuum, &, quod eſt inuiſibile, vel quod vix videtur, cuiuſmodi videtur, quod eſt tenebricoſum. Tale autem eſt perſpicuum quidem: ſed non quando actu fuerit perſpicuum: ſed quādo potentia.

*Cùm dixiſſet id, quod eſt colores ſuſcepturum, eoſq; traiecturum, coloris expers eſſe oportere: quidnam ſit illud coloris expers intulit. Potentia enim, inquit, perſpicuum, quòd uel eſt inuiſibile, uel uix uidetur, cùm non adſit eius color. Id autem eſt lux: ut cùm ſit aër per ſe perſpicuus potētia, & ſit eius ueluti color lux, quando nō adeſt lux, uel omnino nō uidetur, ut media nocte, uel uix & euanidè, ut circa diluculū: Tunc enim euanidè & illuminatur aër: & uidetur, cùm nondū ſit perfectè perſpicuus. Vel ſic ergo, quod uix uidetur, accipiendū eſt: uel, ut Alexandro uidetur, de eodē inuiſibile, & quod uix uidetur. Dico autem de omnino obſcurato aëre: quoniā uidentur quodāmodo & tenebræ à uiſu iudicari. Quod ſi ita eſt, & uideri. Cognoſcuntur autē à uiſu tenebræ, ut ſæpe dictū eſt, ſecundū negationem, priuatione lucis, & uiſibiliū. Vnuſquiſq; enim ſenſus per accidēs etiā propriorū ſenſilium priuationē apprehendit. Propterea &, quod uix uidetur, dixit, quoniā nō per ſe, ſed per accidēs eſt uiſibile. Tenebricoſum enim dicit, quod obſcuratum eſt.*

Eius enim natura aliquando quidem tenebræ, aliquando verò lux eſt.

*Eius enim perſpicui natura, hoc eſt ipſum ſubiectū, & lucis eſt ſuſceptiuum, & tenebrarū. Lucem autem dixit, quod actu eſt perſpicuū, & tenebras, quòd potentia. Ea enim ſunt eius ueluti colores. Sicut ergo nix alba dicitur, ut quæ habeat albedinē, ſic & dicitur. Nā & ſtatua hoc ipſum ſtatua dicitur, et non æs. Sic & locū, qui eſt ſolis particeps, ſolē dicere iuxta cōſuetudinē ſolemus. Pone enim, dicimus, ad ſolem. Et ipſe quoque ſic dixit.*

Non omnia autē viſibilia ſunt in luce, ſed ſolus proprius color. Nonnulla enim in luce quidem non videntur, in tenebris autem ſenſum faciunt, vt, quæ ignita apparent & ſplendentia. Hæc autem vno quidem ſunt nomine innominata, vt fungus, cornu, capita piſcium, & ſquammæ, & oculi: ſed nullius horum videtur proprius color.

*Cùm paulo ante dixiſſet uiſibile eſſe & colorē, &, quod definitione quidē dici poteſt, uno autē nomine appellare nō licet: Deinde autē dixiſſet quomodo color eſt uiſibilis, quoniā eſt motiuum eius qd' eſt ſecundū actū pſpicuū: et ideo de luce dixiſſet, q in ea & per eā color eſt uiſibilis: nūc tranſit ad ea, quæ uidentur præter colores, quæ nō ſunt in luce uiſibilia: hoc eſt enim colorū propriū, & enumerat quænā ea ſint: ut fungus: cornu: capita piſciū: & reliqua: &, quæ lampyres appellātur: &, ut ſemel dicā, quæcunq; ignita ſunt, & ſplēdida Et eorū alia quidem noctu tantū uidētur, alia uerò & noctu, & interdiu. Et ut ſummatim dicā, quatuor ſunt uiſibiliū differētiæ. Eorum enim alia quidē interdiu ſolū uidētur: alia uerò noctu ſolū: alia autē et noctu, & interdiu: alia uerò ne cū tenebris quidē ſimul eſſe ſua natura poſſunt. Quid autē eſt horū unūquoq; hinc manifeſtū eſt. uiſibiliū enim alia quidem ſunt colores: alia uerò innominata, q ad ea quidem uno nomine appellanda attinet: quæ, ueluti quendam colorem, ſplendorē habēt. Colorer itaq; interdiu tantū uidentur noctu autē nequaquā. Splendidorū autē alia quidem noctu ſolū uidentur: alia interdiu ſolū: alia & noctu, & interdiu. Eorū enim quædam ſunt ualde ſplendida: alia uerò obſcurè & exiguè ſplēdida: alia autē mediocriter. Quæ ergo habent ſplendorem*

*dorem exiguũ, noctu ſolũ uidentur: ut lampyres: & ſquamæ: & ſimilia. Eorũ enim ſplẽdor interdiu nõ apparet, ut qui á maiore uincatur. Præterea autem & plures ſtellæ. Quæ autẽ ſunt media, & noctu, & interdiu uidentur: ut luna, & quædam aſtra: ut heſperus, ſi terræ ſit propinquior. Prætereà autem & ignis, is enim, quantum poteſt, aërem perficit, & eius perſpicuum in actum, & operationem deducit, ut & eos, qui in eo ſunt, colores oſtendat: in reliquo autem ſeipſum quidem oſtendit, quod eſt autem illius perſpicuum, in actum non deducit. Vnde ipſum quidem uidemus, etſi procul in tenebris ſumus, ſed nullum eorum, qui circa nos ſunt, colorum. interdiu autem rurſus ignis apparet, ut nihil quidem ſplendidum in aërem agens, quòd á maiore iam ſplendore affectus ſit: ſic autem quodammodo apparet, ut & reliqui colores: uel potius, quemadmodum lunæ ſplendor, eo quod ſit ualde obſcurus & exiguus, interdiu apparet: ſic & ignis quando non procul oſtenditur, dum lux eſt. Quæ autem ſunt ualde ſplendida, ſolum interdiu, ut ſol, quandoquidem ipſe & lucis, & diei cauſa eſt. Ei autem, quod dicit, Non omnia autem ſunt in luce uiſiblia, adijciendum eſt, ſolum. Non enim omne uiſibile in luce ſolum eſt uiſibile: ſed uniuſcuiuſq;, inquit, proprius color. Sunt enim colores in ſola luce uiſibiles. addidit autem illud, ſoli: quoniam ignis quoq; ſplendor, & ſi nõ ſit color, in luce uidetur: ſed non in ſola luce: ſed etiam in tenebris: ſed nullius horum uidetur proprius color. Sex ergo eſſe in uniuerſum dicit uiſibilia. quorum quinq; quidem dicit, alterum autem, ut apertum, fortaſſe prætermittit. Nam & colores in ſola ſunt luce uiſibiles. Quædam autem alia in tenebris ſolum, ut lampyres, & ſimilia. Alia uerò & in luce, & in tenebris, ut luna, ignis, & quædam aſtra. Plurima enim ſolum in tenebris uidentur: eo quòd á ſola ſolis maiori luce uincantur. Præterea autem uiſibile dicit, &, quod eſt actu perſpicuum, id eſt, illuminatum aërem. Vt prius enim oſtendimus, nullo alio diem eſſe indicamus, præterquam uiſu. Ad hæc autem &, quod eſt potentia perſpicuum, id eſt tenebras, uiſibiles eſſe dicimus negatione. Eſt autẽ, quod his accedit, ſextum uiſibiliũ genus, ſol. Quod, cùm ſit omnium longè lucidiſsimum, neq; in tenebris apparere dixeris: is enim eſt, qui tenebras amouet & expellit: neq; interdiu: ipſe enim diei effectiua cauſa eſt. Atq; omnia quidem præter colorem, & tenebras, ſunt ipſa ſibijpſis cauſæ ut uideantur, ut quæ ſunt luminoſa. Noctu enim lampyrum uel ſquamarum, uel aliorum color noctu non uidetur, ſed interdiu: neque enim eorum ſplendor adeò perſpicuum poteſt aërem efficere, ut colorem, qui eſt in alio ab eis corpore, traijciat: ſed tantas habet uires, quantæ ad ſeipſum manifeſtandum ſatis ſint: nõ ita autem & colores.*

Propter quam ergo cauſam hæc videntur, alia eſt oratio.

*Propter quam, inquit, cauſam, quæ noctu cernuntur, uidentur, non eſt præſentis orationis dicere. In libro enim de ſenſibus & ſenſatis dicit, quòd aër ſuapte natura á ſplendido illuminari aptus eſt: eiuſmodi ſunt cœleſtia. Quæ ergo huius partem habent, exiliter & obſcurè noctu illuſtrant eũ, qui eſt circa illa, aërem, quandiu non á magis ſplendido illuſtratus, eorum penitus lumen euaneſcere fecerit. Tantum autem illuminant, ut ſeipſa oſtendant. Nam & ignis, ſi multus ſit, adeò perſpicuum illuminat, ut & colores quoq; poßint uideri. Si autem pauca ſit, euſq; perſpicuum illuſtrat, ut & ipſe uideatur, & ſi multum mãſerit. Talia autem aſtra quoq; noctu ſunt. interdiu enim lumen ſolis ea apparere non ſinit. Atqui ſemper quidem lux ſolis cœleſtia illuminat. ſicut enim paulo ante dixi, exigua eſt aëris pars, quæ obumbratur: ſed ſi noctu, & interdiu ſolarem lucẽ omnia cœleſtia ſuſcipiunt, cur non noctu cœleſtia illuminata uidemus? cur autem noctu ſtellas uidemus? cur enim interdiu potius quàm noctu earum lucem ſol abſcõdit, ſiquidem ſemper illuminantur á ſole? Dico ergo, quòd cono umbræ circa nos diffuſo, non poſſumus eum, qui eſt ſupra umbram, utrinq; illuminatum aërem uidere. Aſtra autẽ, & quæ ex eis ſunt ſplendidiora, ſe ipſa nobis, ut dictum eſt, annunciant. Quòd autem ſatis fieri poteſt, ut hoc accidat, hinc clarum eſt. Multo enim igne aërem aliquem clarè illuminante ut iam dixi, qui procul ſunt, illuminatum quidem non uident aërem: ipſum autem ignem quandoque uident. Quòd autem ſtellæ quamuis á ſole illuminatæ noctu uideantur, cauſa eſt, quòd non ualde diſiungatur á ſolaribus radijs uiſiuum ſenſorium. Et quòd hæc cauſa eſt, hinc didiceris. Quando enim ſol eſt in meridie, non poſſumus intentis oculis in eius diſcum aſpicere, uiſiuo, ut dixi, ſpiritu ualde diſgregato, quando autem in finitore fuerit, & maximè quando fuerit caliginoſior, tunc intentis oculis diſcum aſpicere poſſumus, & exactè eum uidemus, quòd per caliginem eum uideamus, & nõ diſgregentur uiſus. Hoc ipſum & in nocte fit, non uenientibus radijs ad eum, qui eſt circa nos, aërem, propter illã, quæ fit à terra, interpoſitionem & obſtaculum. certè ſi quis ſereno quoq; cœlo in profundum puteum deſcenderit, ſtellas uidebit, etſi ſupra puteum non uideat. Quæ enim in putei profundo umbra eſt, inſtar noctis uiſus congregans, & à lumine diſgregari non ſinens, uiſibilia facit apprehendere. Atq; ex hoc quidem colligerit quiſpiam non exire quicquam ex oculis, quod ſenſilia apprehendat: ſed, ut in alijs ſenſibus, ad ipſum uenire ſenſorium uiſibile. Si enim uiſus exirent, quatenus clarum eſt, quòd in longitudinem procedentes imbecilliores fierent: ſic quoq; luci ſe applicantes magis diſgregarẽtur. Nunc autem neq; noctu, cùm ad fixarum ſtellarum cœlum peruenerint, ab ea, quæ illic eſt, luce diſgregantur. Et quando ex puteo quiſpiam aſpexerit, oportebat uiſus, qui fuerint ſupra puteum, ubi ſe ad lucem, quæ eſt, adiunxerint, ſimiliter diſgregari. & ſic non amplius aſtra uidere oporteret. nunc autem uident. non ergo diſcernuntur. clarũ eſt ergo quòd diſgregantur tunc uiſus, quando lux ipſi ſe oculo applicarit. Quare & qui eſt in puteo, utpote cùm ſit circa eũ umbra, & lux ſe oculo non applicet, neq; ipſum diſgreget, uiſibilium poteſt operationes ſuſcipere: quod noctu quoq; euenit.*

Nunc autem euſq; manifeſtum eſt, quòd 73
id, quod in luce quidẽ uidetur, color. Quare neq; ſine luce videtur. Hoc enim erat ei color eſſe, eſſe motiuũ eiꝰ, q̃d eſt ſecũdũ actũ perſpicuũ. Perſpicui aũt actus, & perfectio lux eſt.

*Quòd id, quod in luce quidẽ uidetur, color eſt, clarum eſt: quoniam noctu nõ uidetur color, ſed lucis præſentia. Lux enim eſt habitus perſpicui. Color autẽ eſt actus, qui eſt ſecundũ habitum perfectiuus. Preſente enim colore fit &, q̃d eſt actu perſpicuũ, colorũ trãſportatiuũ. Quare & ipſa eſt coloris definitio, eſſe motiuum eius, quod eſt ſecũdum actum perſpicuũ, actũ, uidelicet, ſecundum habitum. Motiuum autem pro eo, quod eſt perfectiuum, & exhibitiuum actus.*

Huius autem ſignum eſt. Si quis enim id, quod habet colorem ſuper ipſum viſum poſuerit, non videbit. ſed color quidem mouet perſpicuum, videlicet aërem. ab eo autem, vt quod eſt cõtinuum, mouetur ſenſorium. Nõ 74
hoc enim recte dicit Democritus, ſi eſſet vacuum, quod intercederet, videri poſſe, etiã ſi formica in cœlo eſſet. Hoc enim fieri non poteſt: Patiẽte enim ſenſitiuo fit videre. Ab ipſo itaq; eius quod videtur, colore fieri non poteſt. Reliquũ eſt igitur, vt ab eo, quod intercedit. Quare neceſſe eſt aliquid intercedere. Si

autem fuerit vacuum, non ſolum non exactè, ſed nihil penitus videbitur.

*Signum dicit, non eius, quòd lux ſit actus & perfectio perſpicui: ſed quòd colores in luce uideantur, & ſint ipſi motiui eius, quod eſt ſecundum actum perſpicuum: quòd ſi in ipſum ſenſorium, oculum dico, poſitum fuerit coloratum, ipſum non uidemus. neq; enim uidemus, ſi pupilla inũcta fuerit: neq; id propterea quòd non ſit uiſiuum ſenſorium: eſt enim: ſed quòd non ſit id quod intercedit, dico autem perſpicuum, quod à colore moueri ſuapte natura aptum eſt, & eſt uiſibili contiguũ. Democrito autem, qui dicebat, ſi eſſet aliquod uacuum inter uidẽtes & uiſibilia, multò exactius uiderentur, quæ uidentur, adeò ut etſi formica in cœlo eſſet, uideretur, nullo, quod impediret, interiecto corpore, Non enim ſolum, inquit, non uideremus exactius, ſi eſſet id, quod intercedit, uacuum: ſed nec omnino quidem uideremus, utpote cùm non eſſet, quod operationem uiſibilis in oculum traijceret. Deinde & hoc confirmat per ea, quæ deinceps ſequuntur. Patiente enim, inquit, ſenſorio fit uidere. Si quid ergo patitur ſenſorium uiſibile apprehẽdens: (affectionem autem ſeu paßionem perfectiuam eſſe clarum eſt:) neceſſe eſt omnino uel ab ipſo colore ipſum pati, uel ab eo pati, quod intercedit, hoc eſt ab illuminato propinquo aëre, & ſenſorium attingente. Eo itaq; intermedio indiget, quod moueri poteſt. & mouere. uacuum autem non eſt tale. Si uacuum itaq; eſſet, nihil uideretur. Hic autem meritò dubitant. Si non uideremus aliquo non interiecto, quomodo ſuffuſiones circa corneam coactas extra humores uidemus, cùm nullus interiectus ſit aër? Qualem enim habet colorem coactus humor, talia uidentur uidere externa omnia, eum, qui in eis eſt, colorem externis admouentes. Videntur autem ſæpe uidere & conopea exterius, cùm denſus humor ſit in oculo, quem ſenſus uidens, eũ eſſe exiſtimat, & nominat. Ad hoc dicendum eſt, quòd uiſiuus ſpiritus in cryſtallino humore uiſibilia dijudicat. Oſtendunt enim medici ex diſſectionibus illic fieri iudicium. Cryſtallina autem eſt magis intima, quàm humores, uidelicet non ſolum tunicarum, corneæ, & uueæ quæ dicitur, ſed & albuginei ſeu aquei humoris, qui eſt & ipſe perſpicuus. Hic ergo albugineus humor, cùm ſit perſpicuus, ſicut & cryſtallinus, interiectus eſt inter uiſiuum ſpiritum, qui in cryſtallino dijudicat, & ſuffuſionem, quæ uueam conſtituit. Quare eſt hic quoq;, quod intercedit. Ideo autem colorem, qui intus eſt, quod exterius eſt ſuſcipit, quoniam & quando per uitrum quædam colorata uidemus, talem quoq; illa colorem habere exiſtimamus, qualem & uitrum. Id autem propterea fit, quòd, ut oſtenſum eſt, qui in ſuperficie color eſt, is eſt uiſibilis: qui autem in profundo eſt, eum non uidemus. Sed ſi, quod uidetur, eſt perſpicuum, eodem colore tinctum profundum exiſtimamus, quo & ſuperficies. & ſi quid aliud appoſuerimus obſcuriore & exiliore colore coloratum, illud quoq; eiuſmodi apparebit. Quoniam ergo per coactum humorem, qui eſt coloratus, uidemus: exiſtimamus ea quoq;, quæ ſunt exterius, eodem eſſe colorata colore: & propterea dicebat, quod eſt colorum ſuſceptiuum, id colorum expers eſſe oportere: ne ipſo colore uiſibilia impediat, ne talia uideantur, qualia ſunt. Sed & ad hæc rurſus dubitant, & dicunt, quòd ſi ſufficit albugineus humor ad ſupplendum eius, quod interiectum eſt, uſum: & propterea uidemus humorem coactũ circa corneam: oporteret ſaponem oculũ attingentem, &, ut ſemel dicam, quicquid eſt uiſibile, uiſum non impedire, eo quòd non intercedit aër: ſed uideri. Nã & in ijs oporteret albugineũ humorem intermedij uſum ſupplere. Dicimus ergo, quòd ſicut aër lucem ſuſcipiens, fit actu perſpicuus: ſic & omnia perſpicua. Quando ergo ſaponem oculo admouerimus, tenebras offundit, nec ſinit eos, qui ſunt in oculo, perſpicuos humores potentia, actu fieri perſpicuos. Humor autem non coactus, cùm ſit perſpicuus, lucem in humores traijcit. Vnde ſi oculos clauſerimus, humorem non amplius uidebimus, eo quòd luci ſint impedimento cilia. Iam & ipſe humor, quando fuerit condenſatus, non amplius uidetur, & neq; quicquam uideri permittit, lucem interſepiens. Quando autem cõdenſatus humor fuerit exiguus, ut non totam pupillam occupet: eam quidem, quæ in eo eſt, humorum partem non perſpicuam non amplius uident, qui in illã partem incidunt, uiſus. Quare in illis partibus ſunt tenebræ. Iis autem, qui circuncirca ſunt, uiſibus, quod exiguum eſt, uidentibus, contingit conopeorum ſeu telarum imaginationem præbere. Sed ſi ſapo ſuperpoſitus, eo quòd non ſit res perſpicua, lucem impedit: oportet, ſi quidem cogitari poſſet uitreus ſapo, uel ex alia perſpicua materia, eum in oculum impoſitum lucẽ non impedire: quare & ipſum uideri: ſed oporteret, etiã ſi in ipſum oculum eſſet immiſſus, uideri, quod & euenit. Si enim in ipſo ſpeculo oculum adglutinauerimus, per ipſum uidemus. Sed ueriti ne tactu oculos lædamus, tactum ſponte non ſuſtinemus, ſed cilia concludimus. Quòd ſi ſuſtinuerimus fixos & intentos oculos alicui perſpicuo admouere, omnino uidebimus. Sicut etiam tangente aëre oculus uidet. ſed & qui aquas ſubierunt, uident, quæ ſunt in profundo, cùm oculi eorum aquam proxime attingant: ſed quando durum quid fuerit, quod eſt tacturus oculus, noſtra ſponte ueriti ne contactu lædamur, cilia claudimus: & ꝓpterea euenit, etiamſi perſpicuus ſit ſapo, per ipſum non uidere: non autem eo quòd ſenſorio incumbat: ſicut in non perſpicuo. In eo enim & ſi intentus ſit oculus, cùm non ſit perſpicuus, per ipſum non uidebimus.*

Propter quam ergo cauſam in luce colorẽ videri neceſſe eſt, dictum eſt. Ignis autem in vtriſq; videtur, & in tenebris, & in luce: idq; ex neceſſitate. Perſpicuum enim ab eo fit perſpicuum.

*Eo quòd eſt motiuus eius, quod eſt ſecundum actum, perſpicui. Quod eſt ergo ſecundum actum perſpicuum, fit præſentia lucis. Ignis autem in utriſq; uidetur. Et in luce: propterea ignis non ſolum in luce uidetur, ſed & in tenebris: eo quòd habeat illuminatiuam operationem, quæ ſuum colorem renunciare poſſit. Idq; ex neceßitate. Perſpicuum enim ab eo fit perſpicuum. natura enim apta eſt ignis ſubſtantia ad efficiendum actu perſpicuum, quod eſt potentia perſpicuum. Quare & noctu uidemus colores cùm ignis eſt. Sed non hoc dicit, quòd propterea uidetur, quoniam factus aër actu perſpicuus, ad uiſus ſuam operationem traijcit: nam & cùm procul eſt ignis, & in eum, qui eſt circa nos, aërem non agit, uidetur tamen: & lampyres: & multæ ſtellæ: ſed, quòd ſi naturã habet ignis, ut perſpicuum ad operationem deducat, ut per ipſum uiſibilia appareant, quanto magis ipſe etiam noctu uidebitur? Hoc ipſum autem dicimus, & in ijs omnibus, quæ noctu uidemus. Nam & lampyres, ſi ualde prope fuerint, & in manu poſiti ſint, oſtendunt partis manus colorem, in qua poſiti fuerint. Sed quoniam ualde exilis eſt earum lux, uidetur nihil penitus in aërem agere.*

Eadem autem eſt ratio de ſono; & odore. Nihil enim eorum tangens ſenſorium ſenſum facit, ſed ab odore quidem, & ſono, id, quod interiectum eſt, mouetur: ab eo autẽ vtrũque ſenſorium. quando autem ad ipſum quis ſenſoriũ appoſuerit, quod ſonat, vel quod olet, nullum ſenſum faciet.

*Poſtquam de uiſibilibus uerba fecit, tranſit ad dicendum de*

*audibilibus*

audibilibus: & eodem modo de odorabilibus, ordine procedens à perfectioribus ad imperfectiora. Quæſiuerit autem quiſpiam, quomodo, cùm ſuperius dixerit, ab imperfectioribus, & cõmunioribus incipere oportere, non ſuam à tactu doctrinã incipiat: ipſe enim eſt ſenſuum maximè communis, & ordine ultimus, & cæteris ignobilior: ſed à uiſu, qui eſt alijs & particularior, & perfectior. Dicimus ergo, quòd ſuperius quidem dixit à communioribus, & imperfectioribus eſſe incipiendum, utpote quòd ſint manifeſtiora, quæ ſunt communiora, & imperfectiora. oportet autem à manifeſtioribus incipere. Eſt autem manifeſtior uegetatiua rationali: magis autem & ſenſitiua. Atqui in ſenſibus præter opinionem accidit, ut perfectiores, & particulariores ſenſus, ij ſint quoq; manifeſtiores. Omnibus itaq; uiſus eſt manifeſtior. Nam & uiſibile, dico autem colores, ſunt & tangibili, & alijs ſenſilibus manifeſtiores. Propterea ergo hoc ordine uſus eſt doctrinæ: & cùm de uiſibilibus dixiſſet, tranſit ad audibilia. ea enim erant, quæ auditui erant oppoſita: & ſic dicet odorabilia. De ſono ergo, & odore eadem eſt ratio, ſicut & in uiſibilibus. Quæ ſit autem ea ratio, apertè intulit: quòd & ea ſunt motiua alicuius, quod inter ipſa, & propria ſenſoria intercedit. Quod cùm mouetur, id autem dico quod intercedit, ipſorum quoq; ſenſoria mouentur. Quemadmodum enim uiſibilis operatio per id, quod intercedit, ad ſenſorium tranſportatur, nec ipſum ab ipſo attingitur: ſic & odorabile, & audibile ad eorum ſenſoria tranſportantur per aërem, uel per aquam. Ambo enim ſicut habent perſpicuam potẽtiam, ita & ſonorum, & odorũ traiectricem. Quòd enim in aqua quoq; ſint hæ facultates, ſonorum, ſcilicet, & odorũ tranſportatrices, declarant piſces, & ſonos fugientes, & odore eſcas perſequentes. Qui itaq; apud nos in lacu piſcantur, in cymbarum aſſeribus ſtrepitum edere conſueuerunt, ut piſces in retia cogant. Quòd autem & odorentur, clarum eſt quidem ex eo, quòd noctu quoq; piſcentur. Deinde ſi uiſus & auditus ſunt manifeſtè participes, fieri non poteſt, ut perfectiora habeat, qui nõ ſit imperfectiorum quoq; particeps. eſt autem imperfectior odoratus: & eius ergo ſunt participes. Eſt itaq; in aqua non ſolum ſonorum, ſed & odorum tranſportatrix facultas. Et nos quoq; cùm aquam ſubierimus, eum qui clamat ſuperius, ſentimus. Odores quidem in aqua nõ ſentimus, ut piſces. Quæcunq; enim reſpirant, per reſpirationem olfaciunt, ut in aqua autem reſpiretur, fieri non poteſt, cùm non ſit aër. Piſces autem non reſpirant, quoniam nec pulmonem habent. Propter quam autem cauſam quæcunq; reſpirant, non ſine reſpiratione odorentur, dicet in libro de odoratu. Quòd autem & odores, & ſoni eo, quod illos tranſuehat, opus habeant, clarum eſt. Si quis enim, inquit, odorabile ipſi ſenſorio admouerit, ut attingat, non olfaciet. Neq; enim naris eſt ſenſorium, ſed quiddam intus inſtar pelliculæ, quod à cerebro procedit. Si quis ergo per narem in ſubtiliſſimas partes comminutum odorabile ei admouerit, ut ipſum attingat, non ſentiet. Similiter neque auris eſt auditiuum ſenſorium: ſed uel, quæ intus eſt, membranula, uel, qui in ea eſt, ſpiritus: ad quam ſi audibile admoueris, non ſentiet. Hoc autem in uiſu quoq; apertum. Si ergo hi tres ſenſus eo, quod intercedit, opus habent, & ſine eo non ſentietur: reliqui quoque, uidelicet, ut oſtendet: etſi uideantur ipſi, nullo intermedio ſenſile attingentes, ab ipſo pati.

De tactu autem & guſtu ſimiliter habet, ſed non apparet. Propter quam autem cauſam, poſtea apertum erit. Quod autem inter ſonos quidem eſt, aër: quod verò inter odorem nomen non habet. Eſt enim communis quædam affectio in aëre, & aqua. Quemadmodum perſpicuum colori, ſic ei, id quod habet odorem, in his vtriſq; ineſt. Videntur autem & aquatilia animalia habere ſenſum odoris. Sed homo quidem, & pedeſtrium quæcunque reſpirant, odorari non poſſunt, niſi reſpirent. Cauſa autem de his quoq; poſterius dicetur. nunc autem prius de ſono, & auditu definiamus.

Similiter, inquit, & tactus, & guſtus per quidpiam, quod intercedit, guſtabilia, & tangibilia apprehendunt. Videntur autem ipſi opus non habere eo, quod intercedit. cur autẽ uideãtur non uti eo, qui intercedit, aëre, in loco in quo de tactu agitur, dicetur. Quod enim inter eos intercedit, non eſt extra ſicut aliorum: & ideo non eſt apertum. Quod autem inter ſonos quidem eſt, aër: quod uerò inter odorem, nomen non habet. nunc quidem aërem ſolum eſſe dicit ſonorum tranſuectiuum. nam & piſces ſonos exaudiunt, ut diximus. Quòd autem terra, neq; ſonorum, neq; odorum trãſportatricem facultatem habeat, clarum eſt. Si quis enim cera, uel luto, uel terreno aliquo aures obturauerit, uel nares: nec audiet, nec olfaciet. Innominatam autem dicit communem aëris & aquæ facultatem, per quam odores tranſportantur. Poſteriores autem, quorum eſt Theophraſtus ei nomen impoſuerunt græcè δίοσμον, id eſt odorum trãſportatiuum, ſicut ſonorum tranſuectrici facultati, διηχὲς, id eſt perſonans. Quemadmodum Ariſtoteles traiectrici colorũ facultati, διαφανὲς, id eſt perſpicuum.

Eſt autem duplex ſonus: hic quidem actus quidam: ille verò potentia. Quædam enim ſonum non habere dicimus, vt ſpõgiam: lanas. Quædam verò habere, vt æs, & quæcunque ſolida, & leuia: quia ſonare poſſunt.

Quemadmodũ in uiſu duplex eſſe dixit uiſibile: hoc quidẽ actu, illud uerò potentia. Color enim luce non præſente eſt potentia uiſibilis: ſic & in audibili: Id autem eſt ſonus: hic quidẽ eſt actu: ille uerò potẽtia. Similiter & in alijs ſenſilibus. Quiſnam autem ſit potentia ſonus, oſtendit: Quæ abſq; ſonantibus penitus ſonare non poſſunt, ea autem ſunt ſolida & leuia, in ijs eſt potentia ſonus, quando non agunt, quatenus ſunt ſonatiua. Ipſa enim aptitudo, ut poſſint ſonare, is eſt ſonus potentia. Quando autem potentia agunt, is eſt actu ſonus. Eſt autẽ duplex ſonus. De ſono dicere propoſitum eſt, quoniam & de auditu. Oportet autem primum dicere de oppoſitis. auditui autẽ opponitur ſonus. Dicit autem, quod & in tractatu de cœlo dixerat, quòd ſonus eſt, ut paucis dicam, percuſſio aëris, quæ taliter fit. Oportet enim ad hoc, ut fiat ſonus, duorum durorum, & leuium corporum ſimul inter ſe uehementem concurſum fieri. In ijs enim, qui intercipitur aer, conglobatus & uiolenter expreſſus, ſonum facit. neq; enim mollia corpora ſonum edunt, ut ſpongiæ, lanæ. neque dura quidem, non uehementer autem colliſa, ſed ſenſim & paulatim: Prius enim per partes aër ueluti confringitur. Vehementi ergo durorum corporum concurſu opus eſt, ut multus aër intercipiatur: qui interceptus, & uehementer extruſus ſonum facit. Præueniens enim ictus eius exitum impedit, & aceruatim elidit. Mollia autem non ſonant, quòd non poſſint interceptum aërem aceruatim extrudere. Per poros enim & meatus (nã mollia rara ſunt) fruſtratim comminutus egreditur. Leuitate autem opus eſt ijs, quæ feriũt, & maximè ad hoc, ut maior ſit ſonus: eo qđ omnis, qui intercipitur, aër aceruatim reprimitur. in nõ leuibus aũt fruſtratim cõminuitur in pluribus, quæ ſunt, cõcauitatibus: & nõ aceruatim egreditur. Nolæ aũt, et cymbala pcuſſa cõſtãtẽ et diu pmanẽtẽ

ſonum

ſonum edunt: id autem, propter concauitatem. In concauitate enim aër intercipitur: qui diu circa concauũ circumactus, exire non ualens, ſonitum excudit. Et in incuruis ſuis partibus percuſſum tintinabulum, longiori tempore ſonat, quando à tenui aliquo loro fuit ſuſpenſum. eadem autem eſt cauſa. Percuſſum mouetur: motum autem mouet, qui eſt in concauitatibus, comprehenſum aërem: qui diu rurſus circumactus, & æri alliſus, ſonitum extendit. Et quòd hoc ita eſt, ſi non ſit tenui loro ſuſpenſum, ſed manu detentum, ut ab ictu non concutiatur, ſonitum non extendit: idq; ideo, quòd non motum tintinabulum nõ mouebit aërem, qui eſt intus: Vel ſi ligno pulſauero. Quomodo ergo non fit ſonus ſimiliter, quando æs, uel aliquam eiuſmodi materiam quiſpiam pulſauerit? In confeſſo ergo eſt opus eſſe & materia aptiſſima eorum, quæ percutiuntur, corporum. Fortaſſe ergo, quòd in æris, uel argenti, uel talium metallorum ſubſtãtia multus ſit aër diſſeminatus, qui eſt ſonorũ cauſa, propterea ſunt ſonora eiuſmodi metalla. Eſt enim & in ligni ſubſtantia aër, ſed terra commixtus. quare ſoni expers eſt, uel parum admodum ſonat. Qui eſt autem in æris ſubſtantia, uel eiuſmodi, aqua eſt commixtus, quæ habet & ipſa perſonantem facultatem. Eorum autem, quæ dicta ſunt, ſignum eſt, &, quod in poculis accidit. Si enim humidum digitũ circa labrum circũduxerimus: fit ſonus quidam expreſſi à digito aëris in poculi concauitatem incidentis, & ictu ſonum perficientis. Et quòd hoc ita eſt, hinc fit ſenſiliter apertum. Si enim aquam in poculum immiſeris: uidebis in digiti circunductione inferius motũ, & ſubſultationem: cùm in aqua, ſcilicet, inſit, qui compreſſione includit aër, digito aquæ motum faciente. Si enim ferè plenum aqua fuerit poculum, plurimæ quoq; & continuæ aquæ aſpergines ſurſum mittũtur. & ſi quidem ex fundo quis poculum teneat, hæc accidunt. Si autem non ex fundo, ſed ipſum quis tenet poculum: ſonus omnino non fit: idq; ideo, quòd oportet id, quod pulſatur, ſenſim moueri, & agitari, ne extrudatur aër: ſed interius continuè reuerberatus, & poculi parietes feriens, & ad alteram partem repulſus per circunferentiam, & concauitatem, diu manet, & non diſpergitur, & ſic manens magnum ſonum efficit: ſic & ferrum, uel aliquid aliud eiuſmodi, ſi ſubtili fibra uel chordula appenderimus, & ære, uel aliquo eiuſmodi, ſenſim percuſſerimus, diu manet ſonus: propterea quòd, ut dixi, eo qđ moueatur, & agitetur ferrum, eius, & aëris diu fiat aduerſa protruſio. Vnde ſi interea dum ſonat, ferrum tenuerimus, ceſſat ei ſonus aëris deinceps diſperſi, & qui non amplius reuerberatur ad id, quod eſt ſonorum, quod in nolis fit, & in tintinabulis. Quare & ſi non à fibra, ſeu chordula ferrum apprehenderimus ut uibretur, & agitetur: ſimiliter autem & tintinabulum: ſed manu tenentes ſemel percuſſerimus: ſtatim ſonare deſinit, eo quòd aëris non fiat repercuſſio. ſed & ſi tenui quidẽ chordula ferrum appenderimus: non ſenſim autem, ſed magnũ ictum dederimus: non permanet ſonus: eo quòd non ſæpe fiat ferri & aëris reuerberatio. ſed à uiolento ictu aër ſemel truſus nõ recurrat. Et fortaſſe tintinabulũ græcè κώδων nominatũ eſt ἀπὸ τοῦ κινεῖν & ἄδειν quòd, dum mouetur, canit. poſt quã enim quiſpiam eam tenens ſliterit, ceſſabit ſonare propter prædictam cauſam. ſtante enim, & qui intus, & qui extra eſt agitatus, aëre, ſiſtit.

Id autem eſt, inter ipſum & auditum ſonitum actu efficere.

Poſtquam dixit, quid eſt. id, quod habet ſonum: id autem dicit, quod eſt auditui ſenſile, ſubiunxit, Id autem eſt, & cætera. Poteſt ſonus eſſe et in eo, quod eſt inter id, quod ſonat, & aliquid aliud, & non auditum. ſed is potentia eſt audibilis, & nõ actu. Vt ergo, quod actu eſt audibile ſignificet, adiecit, Id quod eſt inter ipſum, id eſt id, quod ſonat, & auditum.

Fit autem, qui ſecundum actum ſonus eſt, 71
ſemper alicuius ad aliquid, & in aliquo. Eſt enim ictus, qui facit.

Poſtquam dixit in quibuſnam eſt ſonus, qui eſt ſecundũ potentiam, quòd in iis, quæ poſſunt ſecundum actum ſonare: quomodo fit, qui ſecundum actum ſonus eſt, per hæc adiũgit. Quoniam enim, inquit, ictus eſt, qui ſonum facit: Ictus autem eſt alicuius, ad aliquid, & in aliquo: alicuius quidem percutientis: ad aliquid autem, quod percutitur: In aliquo autem, quod intercedit: Ictus enim fit motu, qui eſt ſecundum locum: Ipſe autem eſt alicuius in aliquo: alicuius autem, eius, quod mouetur: in aliquo autem non in quolibet: neq; enim per inane, neq; per ſolidum fieri poteſt, ut ſit motus: ſed in aëre, uel in aqua: Omnino ergo neceſſe eſt & ſonũ eſſe alicuius ad aliquid, & in aliquo: alicuius quidẽ, eius quod percutit: ad aliquid autem, quod percutitur. in aliquo uero, in aëre. Neq; enim fieri poteſt, ut in aqua fiat ſonus. Si enim in profundum immerſus, manus in aqua inter ſe percuſſeris: ſonitum non facies: quoniam, ut iam dicebam, qui inter ea, quæ feriuntur, aër exprimitur, ſonum facit. Nam habet quidem aqua tranſuectricem ſonorum facultatem, quam ἠχῆ ſeu perſonantem dicimus: ſed citra aërem ſonum efficere non poteſt. Quod quidem etiam dubitatione dignũ eſt. Si enim, qui in percuſſis ſolidis corporibus aër intercipitur, propterea ſonat, quòd ſonorum traiectricẽ ipſe facultatem habeat: & ideo aëre omnino opus eſt, ut ſit ſonus: cur & in aqua percuſſis ſolidis corporibus, quæ intercipitur aqua, ſonum non edit, cùm & ipſa perſonantem habeat facultatem? Ad hoc ergo dicimus, primum quidem quòd, ut iam diximus, coaceruatum eorum, quæ feriuntur, concurſum fieri oportet, ut frequens, & denſus exprimatur, & non paulatim, aër qui intercipitur. Hoc autem in aqua nequaquam fieri poteſt propter eius partium craſſitudinẽ. concurrentibus itaque iis quæ feriuntur, ante percuſſionem aqua prius paulatim exprimitur. Præterea aër, cùm ſit ſuapte natura mobilis, eo quòd ſurſum ex principio feratur, ſi impelli cõtingat, à protrudẽte impetu fertur, eo, qui illi deinceps eſt proximus, diuiſo. in aqua autem non hoc itidem accidit. Cùm enim natura grauis ſit aqua, multa ui opus habet, ut protrudatur. Hoc autem, ut dixi, in aqua fieri non poteſt. & cũ alioqui neque motu ſit facilis aqua quæ protruditur, neque, quæ ei deinceps proxima eſt, facile diuidatur, nec tranſitum præbeat, contingit aquæ protruſionem fieri, & ſi non ſufficiẽtem. Quare neq; ſonum fieri cõtingit. Nam & in aëre nõ quilibet motus aëris facit ſonum & alioqui exiſtimare oportet, etiam ſi perſonatrix facultas ſit in aqua & in aëre: non tamen ſimiliter: ſed aër magis perſonat. Quoniã ergo & magis perſonat aër, & eſt magis mobilis: in eo meritò quidem fit ſonus: in aqua non itidem. Sed & ſi non ſonet aqua, ſonantis tamen aëris ſonos poteſt aqua tranſuehere. Propterea ergo habet omnino tranſuectricem ſonorum facultatem. non enim aquã hic moueri oportet, ſed eius tantum perfici potentiam. & ideo, ut dixi, qui in aëre fiunt, ſonos ſentiunt urinatores, & piſces, etſi non ſimiliter. Quemadmodum enim neq; ſimiliter perſpicua eſt aqua ut aër: ſic neq; odorum, nec ſonorum tranſportatrix. Quare ſonorum quidem effectrices cauſæ ſunt ſolida & leuia corpora, & eorum quæ ſunt concaua. Materialis autem cauſa eſt aër. in eo enim ſubſiſtit, & eius ueluti forma ſonus eſt. Non ſolum autem in effectiuis, magnitudine, & ſoliditate, & leuitate opus eſt: ſed & qualitate prædita ſubſtantia. Aliter enim ſonat æs, & aliter ferrum, & plumbum, & argentum, & lignũ, Quare lances quoque ſolent ex diuerſa componere materia: ut ſonorum diuerſitate harmoniam perficiant. Eſt enim

harmonia

*harmonia,mixtorum,& eorum,quæ ſeparatim ſapiunt,unio.*

Quare fieri non poteſt,vt ſi vnũ ſit, fiat ſonus. Eſt enim alterũ,quod percutit, &,quod percutitur. Itaq;,qđ ſonat,ad aliquid ſonat.

*Quoniam ictus quidam ſonus eſt:quod autẽ percutit,quod percutitur,percutit:quid ergo,cũ flagello aërem percutimus, non ſonum facimus?ſimiliter & uirgis.ſed aër tunc duos uſus ſupplet,& eius,quod percutitur,& eius,qđ intercedit. Qui enim à flagello aër ictu protruditur, exprimitur, cũ eo,qui eſt poſt illum,collidens.ille autem eius,qui percutitur locũ, ſuſcipit.& medius expreſſus,& à flagello,& ab eo, qui eſt poſt illum aëre,ſonat. Sæpe autẽ trium quoq; uicem in ſe aër ſuſcipit,& percutientis,& eius quod percutitur,& eius quod intercedit:ut quãdo ualde inflauerimus.Hic enim protinus egrediens percutit.ille uerò deinceps ab ipſo protruſus, alterũ impellit,& ab utriſq; ſubactus, & expreſſus trudit. uel potius hic quoq; eſt,quod percutit.labra,enim & palatũ,& ea impellens aër,foras extruditur.Quare & inflantes labra contrahere oportet,ut cùm anguſtiora fuerint,ea expreſſus aër impellat. Atq; in halitibus quidem à pulmone truditur:aſperam autẽ arteriam,& totum os impellit.Sed & in flagello aër non ab uno protruditur,ſed quodammodo à duobus.Inflexum enim flagellum duorũ uſum efficit.Itaq; utraq; eius pars percuſſum eum, qui intus eſt interceptus,aërem protrudit.Certè ſi ſit lignum craſſum,uel lapis,uel aliud quidpiam,quod in motu non inflectatur,non ſimiliter motũ facit,uel certè admodũ exiliter, ut neq; ſit audibilis.Quare & in flagello,& in uirga aërem feriente,propter prædictam cauſam fit ſonus, duorũ percutiẽtiũ uſum perficiente flagello. Vnde &,quòd ſæpe multis ea flexibus inflectatur,plures in uno ictu ſonos ſentimus.*

Ictus autem non fit ſine lationis motu.

*Poſtquam oſtendit,quòd alicuius ad aliquid ſonus eſt,& dixit,quod ictus quidam eſt,per hæc confirmat, quòd & in aliquo.Si enim ictus ſonus eſt.Ictus autem non ſine motu. Id autẽ eſt,qui eſt ſecundũ locum,motus.motus autem non per uacuũ, ſed in aliquo uel aëre,uel aqua.& ſonus ergo eſt in aliquo uel aëre,uel aqua,ut iam oſtendimus.Hic enim coacervatim à percutiente interceptus,ad leue,uel concauũ,quod percutitur,corpus ſonat.Leue igitur percuſſum propterea ſonũ edit, quòd denſus à percutiente ſit ad id aër interceptus.Concauum autẽ; quòd aër,qui in iis exire non poteſt,primus percuſſus,propter concauitatem eius,quod ipſum ambit,nunc ad has,nunc ad illas concaui partes latus,& repercuſſus, & uiolenter reuolutus, plus ſonat,quòd plures ictus faciat.*

Vt autẽ diximus,non quorũlibet ictus ſonus.nullum enim ſonum faciunt lanæ pulſatæ,vel percuſſæ,ſed æs, & quæcunq; leuia & concaua. Aes quidem, quòd leue. Concaua autem reuerberatione multos faciunt ictus poſt primum,dum,qui motus eſt,egredi non poteſt.

*Quoniam dixit,quòd ictus quidam eſt ſonus:non omnis autem ictus ſonus, neq; à quibuslibet factus: hoc ipſum per hæc definit,quorũ ictus ſonus,& quomodo ſe habentiũ, nempe ſolidorum.non enim lanæ percuſſæ ſonant: ſonãt autem & aſpera, quæ percutiuntur.ſed illa magis.*

79 Præterea auditur in aëre,& aqua,ſed min⁹.

*Id quod ſuperius defectiuè dictum eſt hic corrigit.ſuperius enim dicebat aërem eſſe ſolum ſonorum tranſuectorem. nunc autem dicit aquam quoq; talem eſſe,ſed minus aëre. Eſt enim aqua craßior,& quæ meatus auditiuos obturat. Aliud eſt autẽ in aqua audiri:aliud per aquam, ut procedens oſtendet. ſonus enim per aërem auditur tantum:fit autem & in aqua: & ſubaudi,ut procedens oſtendet.ſonus enim per aërem auditur tantum:fit autem & in aqua,& auditur,ſicut & in aëre.*

Non eſt autẽ ſoni proprius autor aër, neq; aqua:ſed ſolidorum ictum in ſe inuicem eſſe oportet,& ad aërem. hoc autem fit,quãdo ſuſtinet & manet percuſſus aër,& non fuerit diffuſus. Quare ſi celeriter,& vehementer percuſſus ſit,ſonat.Oportet enim motum pulſantis præuenire fractionem aëris, vt ſi quis cumulum arenæ,vel aceruum verberet, qui velociter fertur.

*Non quoniam, inquit, dicimus ſonorum eſſe tranſuectores aërem,& aquã,hæc iam ſunt ſoni propria.Hæc enim ſua natura ſunt ſoni expertia.Quare ſoni quoq; ſunt ſuſceptiua,ut colore carens,coloris:ſed ſoni propria ſunt, & effectiua, quod pulſat,& quod pulſatur,cùm ſint ſolida.Ex cauſis enim maximè propriæ ſunt effectiuæ.Vel hoc ergo dicit, uel quod magis eſt,quòd non ſufficit aër,& aqua,ad ſonum faciendum, ſed & uerberantibus quoq; ſolidis corporibus opus eſt.Et hoc declarans ſubiunxit,ſed ſolidis opus eſt,ut ictus in ſe inuicem, & ad aërem fiat.Nam & ipſe ab eum intercipientibus ſolidis corporibus percutitur:& tunc quidem ſonum facit,quando à percutientibus fuerit celeriter protruſus,ut prius ictus fuerit,quàm aër ſit confractus.tunc enim aceruatim extruſus ſonum facit. Quemadmodum ergo,ſi ab aliquo infundibulo fluat ueluti aceruus arenæ,ſi quis ergo coaceruatũ ſubtus uerberet,ut prius ueniat ictus,quàm arena comminuta fuerit, illic quoq; ſonum facit:ſi autem ſenſum,non itidem,confringitur enim arena. Idẽ contingit & in aëre.nam & is facile confringi poteſt.*

Fit autem Echo,quando ab aëre,qui vnus fuerit,per vas,quod definijt & terminauit, & confringi impedijt, aër abſtruſus fuerit, vt globus. 80

*Poſtquam de ſono communiter diſſeruit, de Echo quoque communiter uerba facit.Dicit ergo fieri Echo per reuerberationem à duris,ac reſiſtentibus,& leuibus corporibus, maximè autem concauis,à uoce percuſſo aëre.Qui enim loquitur, trudit omnem ferè quidem circuncirca aërem,maximè autem eum, qui eſt anterius.& ideo magis audimus eum,qui ad nos reſpicit,loquentem,quàm auerſum.Hic ergo aër, qui anterius eſt, truſus,quando ad aliquod durum & reſiſtens,quod habet concauitatem,cuiuſmodi antra ſunt,delatus fuerit, continuus exiſtens,& ita manens,ut diffundi poßit,eo quòd ab ea concauitate continetur,quam uas nominauit,in illud durum, & reſiſtẽs corpus incurrens,retro impellitur, ut proiectus fortaſſe globus:& ſic procedit ad eum,qui percußit,operante, uidelicet, aëre per utrumque,ſecundum ſuam ſonorum tranſuectricem ſi culcatem. Non ſolum enim, quòd non à concauo loco permittatur diſpergi, qualis delata eſt à duri corporis reſiſtentia, in contrarium retruditur: ſed quia in hoc concauum incidit, & non in uacuum, ſed in aëre plenum incidit, qui aër eſt & continuus, & unitus, propter id quod ambit.Eum igitur,qui ab eo, qui uocem edidit, percuſſus eſt aër, & ſonat, motu diuiſum,& ab ipſo,qui eſt continuus, & unitus, diſpergi prohibitum,duro corpori allidit: & cùm anterius progredi non poßit, retro repercutitur cum propria operatione,dico autem,ſono: & ſic ſonum contingit recurrere. Oportet autem exiſtimare, ut Alexandro uidetur, ſic fieri echo, non tanquam omnino ipſe primum percuſſus aër*

*ad uas*

*ad uas uſq; feratur, & idẽ ipſe rurſus ad eũ uſq;, qui percuſſit, reuerberetur: ſed quòd primus quidem aër percuſſus, propter ictus celeritatem continuus, & indiuiſibilis manens, eum, qui poſt illum eſt, eodem ictu figurat, ut ipſe ab ictu eſt figuratus: hic uerò rurſus eum, qui eſt poſt ipſum: & ſic per continuitatem, proceſſus ad uas uſq; fit. Quandiu enim manet traditus ictus aëris fractione ualidior, couſq; manet alius ab alio figuratus: Poſtremus autem ad uas percuſſus, & figuratus, & ictũ anterius tradere à uaſe prohibitus, rurſus à ſolidi reſiſtentia retruſus, ut globus ab aliquo ſolido, eum rurſus, qui poſt illum eſt, percutit, & figurat, & ſic rurſus ad eadem tranſmittitur & ictus, & ſonitus. Articulata autem fit Echo, quoniam, qui à nobis loquẽtibus primus pcuſſus eſt aër, ad nos quoq; reuerberatur, referẽs primæ dictiõis ſonũ: & ſecũdus ſecũdæ: & ſic ſeruatur ordo loquelæ. Hinc aũt probabiliter ratiocinari licet & de uiſibiliũ operationibus. Dubitabatur enim, quomodo fieri poteſt, ut, cùm ſint incorporeæ uiſibiliũ operatiões, reuerberatiões ſupponãtur. Quæ enim incorporei fuerit reuerberatio? Si ergo ſonus eſt aëris operatio, & trãſportatricis ſonorũ facultatis, quæ in eo eſt, perfectio: ipſa autem operatio apertè reuerberatur, quando in aliquod leue & concauum inciderit, ut in Echo (nulla enim hic dubitatio eſt, quin reuerberatio fiat) quidni ergo fieri poteſt, ut hoc ipſum in uiſibilium quoq; operationibus accidat? Dico autem ad hoc, quòd etiamſi ſonus reuerberatur, non tamen ipſe per ſeipſum, ſed cum proprio ſubiecto, dico autem aëre: hoc enim dicebat, quòd propterea maximè à concauis. Echo enim eſt, quòd non diſperſus, ſed continuitatem ſeruans, propter id, quod ambit, reuerberatur. Nunquid autem ne in ſonis quidem uerum eſt hoc, reuerberari ſonantem aërem? Videmus enim, quòd non ſolum, qui directò ijs, à quibus fit reuerberatio, obiecti ſunt, ſed &, qui ex obliquo ſiti ſunt, uocem exaudiunt. Si itaq; fieri non poteſt, ut coacervatus aër recedat: confractus autem & diminutus non amplius ſonuerit: nunquid hic quoq; ſolius operatiõis, dico autẽ ipſius ſoni, fit reuerberatio? Si enim non peruenIẽte ad ſenſoriũ aëre, uel aqua, facultatem ſoni ad ſenſoria tranſmittunt: clarum eſt utiq;, quòd ad leue, uel concauum, in quod incidit, nõ cum percuſſo aëre aduolauit: ſed ſicut in luce, qualitate quadam prædita materia, luce ſuſcepta, poteſt & ipſa appoſita ſimiliter illuminare: & eiuſmodi operationem reuerberationem appellamus: quid prohibet hoc ipſum in ſonis quoq; accidere? Quòd autem lux corpus non eſt, apertè oſtenſum eſt.*

Videtur autem ſemper fieri Echo, ſed non aperta. Si quidem accidit in ſono, ſicut & in luce. Nam & lux ſemper reuerberatur. Neq; enim undiq; lux eſſet, ſed tenebræ extra id, quod eſt apricum, & ſoli expoſitum. ſed non ſic reuerberatur, ſicut ab aqua, vel ære, vel aliquo alio ex leuibus, vt vmbram faciat, qua lucem definimus.

*Breuiter confirmat ex operatione omnem locum eſſe illuminatum, non ſolum eum, qui ſoli directò eſt expoſitus, ſed & remotum, & ab aliquo ſolido corpore tectum: ut, quæ ſunt ſub tecto, uel pariete. Si enim nulla in ijs eſſet lucis repercuſſio, uel à terra, uel à pariete: obſcurata futura erant, & non illuminata. Sed non eſt æqualis reuerberatio, quæ à quolibet fit corpore, & quæ ab aqua, uel ære, uel aliquo ex leuibus. Eſt enim manifeſtior, quæ à talibus fit corporibus repercuſſio, & quæ eaſdem propemodum uires habet, quas prima illa, quæ fit per ſolis acceſſum, illuminatio. Vmbra itaq; circũſcribuntur reliqua, quæ à ſole illuſtrantur. Similiter &, quæ fiunt à talibus reuerberationibus, obijciente enim ſe corpore ei, quæ ab huiuſmodi fit corporibus, lucis repercuſſioni, umbra fit in ea, quæ obijcitur, parte. Repercuſſionum autem diuerſitas hinc apertè clara eſt. Si enim ſint duo loci: hic quidem apricus & ſoli expoſitus: ille uerò per aliquem muri obiectum obumbratus: quòd lucis quidem reuerberatio facta eſt in obumbratum locum, uel à terra, uel ab aliquo alio, clarum eſt ex hoc, quòd non ſint in eo tenebræ, ſed lux. Breuis quidem certè eſt reuerberatio, ut umbrã non faciant, quæ in eo ſunt, ſolida corpora. ſtantes enim in obũbratis locis umbram non facimus. Sed ſi in aprico loco & ſoli expoſito æs quis, uel aquam, uel uitrum, uel ex leuibus aliquid obumbrato loco aduerſum poſuerit, uidebis ad obumbratum locum aliam fieri reuerberationem, ut & obumbratus locus apricus fiat, ut & reliquus: & ſic ut, quemadmodum iam dixi, alia umbra in eo poſſit fieri, ſi quid obiectum fuerit. Sicut ergo, inquit, in lumine ab omni quidem corpore fit reuerberatio: non à quolibet autem ſimilis: ſed aperta quidem, quæ à leuibus: obſcura autem & exilis quæ à non talibus: ſic, inquit, & in ſono, uidetur quidem à quolibet, quod repercuſſit, reuerberatio fieri, ſed non ſimilis, neq; ſic aperta, ut in ſono, qui fit à concauis ſimul & leuibus locis, propter prædictas cauſas. Si enim nõ fuerit concauũ, ſed planũ: diſpergitur aër, & nõ fluit ad nos, ſed diffunditur, uel exiguus ad nos peruenit. Si autẽ leue nõ fuerit, quod planũ eſt, adhuc exilior fit reuerberatio propter prædictas cauſas: ſed nõ ſic reuerberatur ſicut ab aqua, uel ære, uel aliquo ex leuibus, ut umbram faciat, qua lucem definimus. Vbi enim multa lux fuerit, illic ſe aliquo obijciente fit umbra. In alia ergo parte, ubi neq; à leuibus fit reuerberatio, neque illic ſol reſplendet, fit quidem quædam reuerberatio non tanta autẽ ut umbram faciat, obijciente ſe aliquo, ut fit in ea, quæ eſt à leuibus, reuerberatione.*

Vacuum autem rectè dicitur auditionis autor & princeps. Videtur enim vacuum, aër. is autem eſt, qui facit audire, quando motus fuerit continuus, & vnus. ſed quia eſt friabilis, nõ ſonat, niſi leue ſit, quod percutitur. tũc autem vnus eſt ſimul propter ſuperficiẽ. vna eſt enim leuis ſuperficies. 81

*Poſtquam dixit aërem ſoni, & audiendi eſſe cauſam, & nõ ſolam, ſed & concauſam, ut materiam: dixit enim ſonum eſſe ictum alicuius ad aliquid, & in aliquo, & eius, quod percutit, & eius, quod percutitur, & eius, quod intercedit: quòd autẽ intercedit, id eſſe aërem: Præterea autem id rurſus monſtraturus, uult eius teſtes omnes eos, qui ante ſe fuerũt, Phyſicos adducere. Omnes enim, inquit, dicebant aërem eſſe auditionis autorem & principem. Quatenus ergo aërem uacuum exiſtimãtes, uacuum dicunt eſſe ſoni principem & autorem, rectè dicunt. Quatenus autem aërem uacuum exiſtimabant, non itidẽ rectè. Hic ergo aër eſt auditionis autor, ut concauſa, quando continuus exiſtens, à percutiente, & percuſſo motus fuerit. Continuus autem, & unus eſt, quando leue eſt quod percutit: totus enim ſimul mouetur. leue enim ineſt. Tanquam ergo ab uno, & eodem motus unus eſt. Aſperum autem non unum. Secundum unamquanq; enim eminentiam & inæqualitatem aliã ſuperficiem emittit. Cum ergo ſit aër friabilis, quando ab aſpero truditur, non unus manens mouetur, ſed comminutus.*

Sonatiuum itaque eſt, quod vnius eſt aëris cõtinuitate motiuum vſq; ad auditum. eſt autem auditus aëri congenitus. 82

*Quoniam non omne ſimpliciter, quod percutit, & percutitur ſonum facit, definit quidnam eſt ſonatiuum, nẽpe id, quod poteſt unum & continuum aërem ſeruatum ad auditum uſq; mouere. eiuſmodi autem eſt ſolidum, & leue propter prædi-*

*ctas*

ctas cauſas. Cùm autem dixiſſet motiuũ unius aëris, addidit, Continuitate, ferè dicens, numero: ut ſit continuus, & non friabilis propter ictum, & talem reddat figurã ei, qui eſt poſt illum, & hoc ſecundum continuitatẽ uſq; ad auditum. Hoc autem dictum fuerit non ſimpliciter de ſono, ſed de ſono, qui auditur: & ideo etiam addidit, Vſq; ad auditum. Poteſt enim & ultra auditum moueri ſonus, ſed non utiq; ut audibile. Poſtquam hæc dixit: ne quis exiſtimaret eum dicere, quòd ad membranã uſq; exterius motus aër uenit, & ipſe eſt, qui mouet coherenter ſenſorium: ſubiunxit deinceps, Quòd auditui eſt congenitus aër. Eſt enim congenitus quidã aër, in concauitatibus aurium inædificatus ad ipſam membranam, qui ab exterius moto aëre primus affectus, & ſonorum operationes ſuſcipiẽs, ad primum ſenſitiuũ tranſuehit: id eſt autem ſenſitiuus ſpiritus, qui in ipſa eſt membrana collocatus. Senſus enim ſunt à cerebro incipientes per neruos, uſq; ad auriũ radices, quas membranas appellant. Eſt autẽ neruus à cerebro procedẽs, poris & meatibus præditus, in quo ſõe eſt auditiuus ſpiritus. Eſt ergo aër quidam in aurium cõcauitatibus contentus, qui eſt membranæ, & pelliculæ congenitus. Hic ergo aër ſonos ab externo aëre ſuſcipiens, habens & ipſe ſonorum tranſuectricẽ facultatẽ, per ſeipſum ad membranã ſonos tranſuehit. Procedit autem à latiore meatu ad anguſtiorẽ, dico autẽ, à cõcauitate auris uſq; ad meatũ mẽbranæ. Non oportet autem exiſtimare hunc aërem, & ſi eſt congenitus, iam eſſe & incorruptibilem, ut qui ſit unus, & idem numero: ſed eſt per partes corruptibilis, & generabilis, ſicut & aliud hominis corpus. ſi autem per totũ ſeipſum hic aër paſſus, & corruptus ſit, perit & auditiua animalis operatio. Propterea enim & à natura ante membranam poſitus eſt, ut exteriores aëris incurſiones excipiat, & non in membranã incurrat exterior aër, ſicut & in uiſu. Nam & in eo conſtituit natura aliquod oculo cõgenitum perſpicuum, dico autẽ & cryſtallinum humorẽ, &, ut ſemel dicam, humores, & corneã tunicam, quæ cùm ſint perſpicua, & prima exterioris perſpicui operationẽ admittant, eam per ſeipſos tranſuehunt ad neruum uiſiuũ: qui neruus à cerebro deſcendens, terminatur ad finẽ principij cryſtallini. Sicut ergo in uiſu, ſi hæc, quæ ſunt ueluti obiecta propugnacula, aliqua ex parte affecta ſint, uel eorũ aliquid, corrumpitur uiſus operatio: ſic & in auditu, ſi hoc aëreum propugnaculũ corruptum ſit, auditiua corrũpitur operatio, affecta mẽbrana: quòd nullo intermedio excipiat exterioris aëris incurſiones. Quare et magnis ſonis afficitur auditus, exteriori aëre uehementer protruſo, & congenitum in auribus aërem uiolenter protrudente, & eum ſæpe diſpergente. Propterea ergo natura hunc aërem in auribus ædificauit, & propter circunſtantes animalis operationes, &, quæ fiunt in aquis, immerſiones: erat enim aqua ipſi ſenſorio appropinquatura, & ipſum læſura, niſi aliquod propugnaculũ natura excogitaſſet. Quia autem aqua ingreditur, non erat auditurum, quod aqua obrutum eſt, animal, niſi eſſet quid perſonatorium, quod ad ſenſorium uſq; ſonos tranſuehat. Ad ſenſorij ergo cuſtodiam inædificatus eſt. Propterea ergo & circumuolutos aurium meatus natura fecit, ne facile ingrediens, uel aër, uel aqua, uel aliquid aliud, membranam feriat.

Eo autem quòd ſit in aëre, exteriore moto, quod intus eſt, mouet. Quare non vndiq; animal audit: neq; vndiq; pertrãſit aër. neq; enim vndiq; habet aërem mouenda pars, & animata, ſicut pupilla humorem.

Id eſt, eo quòd inædificatus auditui cõgenitus aër ſit externo aëri continuus (hoc enim ei ſignificat, quòd ſit in aëre) moto externo aëre per continuitatẽ, &, qui intus eſt mouetur, cùm ſit per ſe immobilis, ut congenitus. Fortaſſe autẽ non dicit eum ſecundum locum moueri. Nam & immobilẽ eum deinceps dixit: ſed quòd ſonos perfert, ſecundũ hoc eum, qui mouetur, perfert, &, qui intus eſt, ut qui ſit exteriori continuus. Et hoc dicit eſſe cauſam, quòd per aures ſolum audimus, & non per omnẽ partem corporis, quòd in ſolis auribus eſt incluſus congenitus aër, externo aëri & auditiuo ſenſorio continuus, ut poßit per ſe tradere affectionẽ, quæ in exteriori fit aëre. Sicut ergo uiſiuus ſpiritus non habet undiq; humorẽ, qui ad ſe perferat, quæ fiunt in aëre, colorum operationes. Neq; enim ad eum tendunt cryſtallinus humor, uel aliquid aliud eiuſmodi, quod ſit aëri et neruo uiſiuo continuũ: ſed aliud craſſum corpus, & quod impedimentũ afferat: ſic quoniã non eſt undiq; quidam congenitus aër cõprehenſus, & externo aëri, & auditiuæ parti continuus, ſed in ſolis auribus: propterea per aliam partẽ non audimus. Quòd autẽ in aurium cõcauitatibus eſt cõgenitus aër, hinc clarum eſt. Si quis enim digito aures obturauerit, ſentiet ſonum quendã, & motum eius, qui intus eſt, aëris. Fit autem hic affectus externo circa aures aëre digito truſo, & in breuiorem locũ conſtipato, & cõgenitum aërem cõſtipante. Vi autẽ conſtipationis motus corpora, quæ intus ſunt, cartilaginoſa, & dura impellit. & ſic facit ſonũ. Et dicit magnum eſſe ſignũ, quòd ſana ſit auris, quòd ſonet aër, qui eſt intus. Si enim ſana non eſſet, nõ ſentiret ſonum, qui fit ab aëre, qui eſt intus. Non enim undiq; habet aërem mouenda pars & animata, ut pupilla humorẽ. Sicut ante pupillam humor eſt collocatus, ut per eum uiſibilia apprehendat. Pupillã autem dicit, non foramen, quod eſt in uuea tunica: ſunt enim magis interius humores: ſed nerui uiſiui ſenſorium, per quem uiſiuus ſpiritus egreditur: ſic & ante auditiuum ſenſorium aër congenitus poſitus eſt. Quoniã ergo animata, & auditiua pars (dico autem membrana) non habet undiq; congenitum aërem, qui ſit & ſibi continuus, & externo aëri, ſed ſolum in auribus: ideo nõ undiq; eſt animal auditiuum, ſed ſolum per aures.

Ipſum quidem certè ſoni expers, aër: quòd ſit friabilis & fractu facilis. Quando autẽ frangi fuerit prohibitus, huius motus ſonus. 83

Et in principio dixit, q; ſicut coloris ſuſceptiuum eſt expers coloris: ſic expers quoq; ſoni eſt, quod eſt ſoni ſuſceptiuum. Sed non quodlibet ſoni expers eſt ſoni ſuſceptiuũ, ſed tale, quale eſt aër, & cauſam cur ſit ſoni expers addidit. Nam quia eſt friabilis & fractu facilis, propterea eſt ſoni expers. Quando autẽ ſecundum propriam naturam frangi fuerit prohibitus ab alicuius leuis, & ſolidi coaceruato ictu, tunc huius motus fit ſonus. In his autem apertè ſonum dixit motum eſſe cõtinui aëris, & qui unus manſit, per ictum certa qualitate præditum frangi prohibiti.

Is autem in auribus inædificatus eſt, vt ſit immobilis, vt exactè ſentiat omnes motus differentias.

Quemadmodum exterior aër per ſe eſt ſoni expers, quòd ſit fractu facilis: ſic et qui eſt intus, quòd ſit immobilis. Ait enim talem aëris motum eſſe ſonũ. Propterea ergo, qui eſt in auribus, aër immobilis conſtitutus eſt, ut cùm ſit ipſe ſoni expers, omnes tranſuehendi ſonos facultatẽ habeat. Si haberet enim proprium ſonum, eum, qui exterius aduenit, expelleret. Quare & hæc fuerit cauſa, quòd in auribus aër immobilis inædificatus eſt: ut omnes poßit ſonos tranſmittere. Si enim moueretur: deinde ab ictu motus ſonaret: præter id, quòd, ut prius dixi, læderetur ſenſorium, nec omniũ quoq; poſſet eſſe ſonorũ trãſuector, nã &, qui exterius eſt, aër, poſtquã ſonuerit, non eos, qui ſunt in alio aëre, ſonos ſimiliter tranſuehit, ſed confundit.

Propterea autẽ & in aqua audimus, quòd non ingreditur ad ipſum congenitum aërem.

Quòd audire fiat non per ingreſſum externi aëris in aurem,

*ſed per contactum, qui fit ad in auribus inædificatum aërem, eſt argumentum, quòd & in aqua audiamus, in aquam non ingrediente aëre. Si enim ingreſſa fuerit, corrumpit quidẽ, & extrudit eum, qui inædificatus eſt, aërem, qui auditui ſubſeruit. & mẽbranam nullo intermedio attingens, ictu eam lædit: & præterea in concauitate manens, corrumpitur, & ſic ſenſoriũ lædit. Multi ergo hinc læſi ſunt. ea autem læſa corrũpitur ſonus. Sicut ergo cùm in aqua ſumus, audimus aqua non ingrediẽte: ſed ſecundum perſonatricem eius facultatem tranſeunte ſono uſq; ad congenitum aërem, & ab illo deinde uſq; ad membranam. Et hoc ipſum eſt maximum argumentum, quòd eſt quiddã aër membranæ ueluti congenitus, quod & eorum, qui ſunt in aqua, in aurem aqua nõ ingreditur, niſi nimis uehemens & magna uis fuerit, eo quòd eius extrudatur ingreſſus ab eo, qui eſt intus, aëre: & multa ui opus eſt, ut aquam, quæ eſt intus, eiaculetur, uel quempiã eiuſmodi humorem: quæ ſimul etiam confert, ne à foris ingredientibus extrudatur aër. & tortuoſa quoq; auris conſtitutione opus eſt. Et ipſe itaq; cauſam, cur aqua in aurem nõ ingrediatur, ſubiunxit, dicens.*

Sed neq; in aurem propter flexus. Quando autem hoc contigerit, non audit. neq; ſi membrana laborauerit, quemadmodũ, quæ ſupra pupillam eſt, pellis, quando laborauerit.

*Non enim ſolum, inquit, nõ extrudit inædificatum aërem ingrediens aqua: ſed neq; in ipſam aurẽ ingreditur, propter eos, qui in ipſa ſunt, flexus: ſimul etiam per hæc cauſam nos docens, cur à natura talis auris facta ſit: ne quidquam facile ingrediens, aërem, qui in ea inædificatus eſt, corrumpat, & lædat. Neque ſi membrana laborauerit. quemadmodum, quæ ſupra pupillã eſt, pellis, quando laborauerit. Pupillam uocat, uel, quæ ſunt ei ſubiectæ, partes, uel quæ ante eam ſitæ. eæ autem ſunt & tunicæ, & humores. Quemadmodum ergo, quando quid eorũ laborauerit, non uidemus: ſic & quando membrana aliquo morbo laborauerit, non audimus. Vel etiam pupillam ſimplicius audiendum eſt, ſecundum conſuetudinem, ipſum uueæ foramẽ. Quæ ſupra illam eſt autem pellem, tunicam, quæ dicitur cornea. Quemadmodum ergo, quando hæc tunica laborauerit, uel condenſata, uel quibuſdam alioqui cicatricibus ex uulneribus in ſcirrũ in ea induratis, non uidere contingit, cùm uiſibilium operationes per ipſam amplius tranſire non poſſint, quòd ipſa perſpicuitatem amiſerit: ſic quando membrana laborauerit, à tempore, uel morbo nonnihil affecta, ſonorum operationes non poteſt amplius ſuſcipere.*

84 Sed & audiendi, vel non audiendi ſignum eſt, quòd auris ſemper ſonet, vt cornu. Proprio enim motu ſemper mouetur aër, qui eſt in auribus.

*Quoniam dixit, quòd ſi congenitus aër, uel membrana nonnihil affecta ſit, non audimus: ſæpe autem accidit, ut quamuis horum nihil ſit, nonnulli tamen obſurdeſcant: ut quando ſordes aliqua ante congenitũ aërem proiecta, prohibet, ne citra impedimentum ab externo aëre tradatur ſonus, quòd ſonorum tranſuectricem facultatem terra non habeat: uel ſi quid aliud eiuſmodi contigerit. Dicit ergo eſſe iudicandũ an ſana ſit auditiua facultas, an non, uel aure digito obturata, uel aure manu operta. Si enim ſana ſit, bombum quendam ſentimus. Digiti enim uel manus conſtipatio, exteriorem quendam aërem extrudit, qui in anguſtum redactus, & congenitum pulſans, bombum facit. Deinde congenitus, ut conſueuit, hunc bombum ad ſenſum trãſmittit. Sicut, inquit, &, qui in concauis cornibus eſt cõceptus aër, ſemper & ipſe ſonum quendam motus facit, quãdo mouetur ab externo aëre: tumeſcens enim, & motus ferit cornu: ſic ergo &, qui eſt in auribus, quando ab externo ſono motus fuerit. Hoc autem dictum eſt, tanquã eo oſtẽdi poſſit, quòd ſit in auribus aër proprius. is enim eſt, q eſt ſoni exterioris ſuſceptiuus, q quãdo aliqua ratione affectus eſt, ut qui proprio motu non moueatur, ſonos in ſenſum non traijcit. & hinc fit ut non audiatur. Meritò autem quærunt, cur, cùm immobilem in auribus inædificatũ aërem eſſe dixerit, nunc dicit, quòd proprio quodã motu mouetur aër, qui eſt in auribus. Immobilem autem ſuperius accipiendum eſt, motum ab alio, pro eo quod eſt, eundem ſemper aërem manentem in auribus, neq; alias aliud factum, ut in cõcauis cornibus, ſed ſemper manentem congenitum. Quòd autem ſemper aër proprio quodã motu mouetur, clarum eſt ex hoc, quòd ſereno, & trãquillo tempore ramenta moueri uideantur in ea, quæ eſt per feneſtras, luce. Fieri autem poteſt, ut moueri dicatur congenitus aër, non ſecundum locum, ſed uiuificè, motum eo appellante, ſonorum tranſuectionem ad ſenſum. Et hic eſt eius proprius motus, non ſimpliciter tranſuehere (hoc enim exterior quoq; aër habet) ſed ad ſenſum tranſuehere. Quando ergo congenitus aër pro more ſonos ſenſui renunciat: ſenſus autẽ apprehendit: clarum eſt, quòd ſana eſt facultas auditiua.*

Sed ſonus alienus, & non proprius. & proprerea dicunt audire vacuo & ſonante, quòd audimus, eo quòd habet definitum aërem.

*Sonus enim qui factus eſt in auribus non eſt congeniti aëris, nec quando nobis aurem obturantibus fit bombus, ſed exterioris aëris uel cum ſtrepitu externè ingredientis, uel cõſtipatione manus ſonum emittente. Eſt autem congeniti aëris eum, qui in alio fit, ſonum renunciare. non enim, quoniam mouetur, etiam ſonat. Neq; enim quodcunq; mouetur ſonat, ſed oportet, quod ſonat, uiolento ictu moueri. Et propterea, inquit, dicũt audire uacuo, & ſonante. Vacuo enim dicebant audire, quoniam uacuũ aërem exiſtimabant: audimus autem contento in auribus aëre. Sonante autẽ, quòd hic eſt definitus aër, & ſemper idem: & ſonos tranſmittit, non ipſe ſonans, ſed ſolum ſecundum ſuam perſonatricem facultatem operans.*

Vtrum autem ſonat, quod verberatur, vel 85
quod verberat, an etiã ambo, alio autẽ modo.

*Poſtquam dixit ſonum eſſe alicuius ad aliquid, & in aliquo, dico autem uerberantẽ, & uerberatum, & eum, qui intercedit, aërem: hoc meritò quærit, quid eſt, quod ſoni eſt effectiuũ, utrũ, quod uerberat, an, quod uerberatur, & dicit, quòd ambo. Illud enim, An etiã ambo, eſt & perfectam eſſe diuiſionẽ exponentis, ſi quidẽ & uerberans eſſe neceſſe eſt, quod ſonat, &, quod uerberatur, uel utrunq;: & præterea indicãtis, quòd non alterum, ſed utraq; faciunt ſonum. Sed ſi utraq; non eodem modo. Sed uerberans quidẽ, ut, quod mouetur, & aërem trudit. Quod uerberatur autem, ut manens, & ipſum pertranſire non ſinens, ut ex utriuſq; expreſſione reſiliens ſonet: &, illud quidem agit: hoc uerò patitur. Fieri autem poteſt, ut utraq; intelligãtur, & quæ uerberant, & quæ uerberantur: quando non hoc quidem immobile manet: illud uerò motum: ſed utrunq; motum pulſatur.*

Eſt enim ſonus motus eius, qđ poteſt moueri, eo modo, quo, quæ à leuibus reſiliunt, quando quis pulſauerit.

*Quòd non alterum eſt, quod ſonat, ſed utraq;, per hæc oſtendit. Quoniam enim ſonus eſt motus cõſtipati aëris tanquã reſilientis, ut, quæ à quibuſdã leuibus corporibus repelluntur: hoc autem à ſeipſo aër facere non poteſt: Oportet ergo leue aliquid eſſe, à quo ipſum reſilire oportet. ſed quoniã rurſus, ut ipſe reſiliat ab aliquo leui corpore, ſi nihil ſit, quod percutiat, & ad leue hoc, & ſolidum, condenſatum aërem intercipiat, fieri non poteſt: clarum eſt, quòd non ab uno ſolo reſiluerit, ſed utriſque opus eſt & eo, quod percutit, & eo, qđ percutitur. Quòd enim*

utriſq;

utriſq; opus eſt, hinc quoq; apertum eſt. Si enim non fuerint utraq; leuia, & ſolida, non faciunt ſonum. Vt ſi lana, uel ſpongias percuſſeris, ſonus non fiat. Non omnis ergo aëris motus ſonus eſt, ſed talis, qualis eſt, qui à leuibus. Si enim non fuerint leuia, quæ percutiuntur: non aceruatim reſilit aër, ſed in concauitatibus retinetur, ut in murum proiectus globus. Si leuis quidē fuerit murus, reſiſtentia, & repercuſſione ab eo reſilit globus. Sin minus, ſæpe manet in concauitatibus. Sicut ergo talis à leuibus reſiliunt, ſic & aër. Secundum hoc autem ſolum, quòd aër à leuibus retorqueatur, accepit ſimilitudinem eorum, quæ à leuibus retorquentur, ut globi: non autem etiam ſecundum cauſam retortionis à ſimilibus quoq;: niſi quis hoc dixerit, quòd ſicut globum quis uiolenter emittens, una cum eo trudit aërem: qui uiolenter extruſus, & à globo expreſſus, & à muro excutitur, & retortus, una ſecum globum quoq; cōtrudit: ſic & in iis, quæ ſe illinc inuicem feriunt, reſilit aër, & motu ſonat. Eſt enim ſonus motus. poteſt motum non localem dicere, ſed operationem. Illud autem, Eius quod poteſt moueri, localē motum exponere oportet, ut ſit totum, quòd ſonus eſt operatio eius, quod poteſt ſecundum locum moueri, eo modo, quo, quæ reſiliunt à leuibus, ut globus à muro. Quòd ſi etiam in eo, qui eſt ſecundum locum, motu audiuerimus, ut iam expoſuimus, nihil abſurdi. Non enim ſimpliciter omnē aëris motū ſonū dicemus, ſed eū, qui fit à leuibus.

Neq; verò quodlibet, vt dictum eſt, ſonat, quod verberat, & quod verberatur, vt ſi quis acum acu pulſauerit.

Quoniam dixit duobus ſolidis ſe inuicē ferientibus opus eſſe ad hoc, ut fiat ſonus: ne quis exiſtimet, cuiuſmodicunq; ſolida & leuia corpora ſufficere ad faciendum ſonum: hæc addidit, quòd non ſolum duo eſſe oportet leuia & ſolida, quæ ſonum faciant, ſed & commoderatam magnitudinem ipſa habere oportet, & talem figuram. Si enim ualde paruæ fuerint magnitudines, ut acus, minimum aërem intercipiunt, ut ne ſenſilis quidē ſit ſonus. Sed quemadmodum in Phyſica dixit, quòd forma à definita magnitudine incipit, ubi aduerſus Democritum contendebat, uſectilia corpuſcula refellēs. Magnitudines enim, inquit, natura potentia quidem ſunt in infinitū, ut magnitudines, diuiſibiles. Fieri enim poteſt, ut, quantum ad propriam naturam, datum cogitatione & intellectu ſecetur: & illud in aliud, idq; in infinitum: formam autem aliquam habentes uel carnis, uel nerui, eorū nec potētia ad infinitū diuiſionē admittere poſſumus, ſed neceſſe eſt ultimas aliquas partes indiuiſibiles accipere, ut deinceps ab illo non amplius diuidatur in aliud tale, quale ipſum. Vt caro quidē diuidi poteſt in partes, quæ ſeruent formam carnis: & illæ rurſus in alias, quæ eandem formam ſeruēt. hoc autem in infinitum fieri non poteſt, ſed in aliquam omnino magnitudinem deſinit. quam ſi ſecueris, non amplius ſeruas carnis formā, propter multam paruitatem. Sicut enim dixi, formæ quemadmodum tali temperatura indigent, ut ſubſiſtant: ſic & tanta magnitudine. & ſicut non cōtingit hominem uel equum unius digiti fieri: ſed iis commoderatam magnitudinem eſſe oportet: ſic & animalis inſtrumētariæ partes, & ſimilares, & omnē, ut ſemel dicā, formā in definita aliqua magnitudine eſſe naturæ ſtatutū eſt. Sicut ergo in iis habet, ſic & in ſonis. Nō omnis magnitudo, quæ uerberat, & quæ uerberatur, ſonum facit, ut acus: ſed commoderatam magnitudinem ea habere oportet. Figura quoq; opus eſt. Si globus cum globum attigerit, nō faciet ſonū. Oſtenſum eſt enim, quòd globus globum ſecundum ſignum attingit. Quoniam ergo ſufficientem aërem non intercipit, ſonum non faciet. Eorum autem, qui ſunt apud nos, artificialium globorum, quoniam fieri nō poteſt, ut exactè tornetur ſuperficies, nihil mirum ſi globus globū feriens, breuem ſonum ediderit. Nam, cùm non ſit apud nos exactè globus, neq; ſe exactè ſecundum ſignum attingunt.

Sed oportet, quod verberatur eſſe æquale, vt aër condenſatus reſiliat, & concutiatur.

Aequale dixit, pro eo quod eſt, latum. Pulchre autem dixit, quòd uerberatur, latum eſſe oportere: non omnino autem &, quod uerberat. Etſi enim, quod uerberat, non fuerit latum, ſed cylindricum, fit ſonus. Cauſa autem eſt, quòd nō ſolus aër ab ea, quæ uerberat, parte intercipitur, qui eſt ferè indiuiſibilis, ſed & qui à reliquis cylindri partibus aër protruditur: qui ſi in tenue aliquod & acutum corpus aduerſum inciderit, diffunditur, & non ſonat. Si autem in latum inciderit: non diffuſus, ſed interceptus à leuitate, & referiente duritie, torquetur: & ſic reſiliens ſonat. Concuti autē eum dicit, non qui ſimpliciter à quolibet reſilit, ſed qui in concauis, & ſonoris intercipitur. Quemadmodum in nola accidit à calculo percuſſa. ea enim concuſſa, concutitur &, qui in eius concauitatibus intercipitur, aër, & nunc in has, nunc in illas concauæ nolæ ſuperficiei partes incidens, ſonum facit. certè ſi nolam retinuerimus, ceſſat & ſonus: eo quòd nola ceſſante moueri, ſimul etiam aër moueri deſinit. Poteſt itaq;, ut dixi, æquale & pro lato accipi. Cùm enim dixiſſet, quòd nō quodcūq; uerberat, & uerberatur, ſonat: neq; enim ſonat acus acum uerberans: tanquam ut acubus opponeret, & ab eis diſtingueret, ſubiunxit, Sed oportet, quod uerberatur, eſſe æquale: non utiq; tanquam ſint acus inæquales per partes: ſed clarum eſt, quòd earum magnitudini, & figuræ æquale oppoſuit, ut ab eis diſtingueret. Poteſt autem æquale, & de æquato, & non aſpero audire. & hoc clarum eſt ex hoc, quod ſubiungit, Vt aër cōdenſatus reſiliat. Ab aſperis enim, & inæqualibus communuitur, & non denſus reſilit: ſed ab æqualibus, quòd ſit continuus & unus.

Sonantium autem differentiæ in eo, qui eſt ſecundum actum, ſono declarātur. Sicut enim ſine luce non videntur colores: ſic neque ſine ſono, quod eſt acutum, & graue.

Sonantium dixit, pro eo quod eſt, ſonorum. Nam ſecundum ſonorum differentias diuerſi quoq; ſoni fiunt. Sonorum ergo differentias eſſe dicit acutum, & grauem. eas autem cognoſci dicit non in iis, qui ſunt ſecundum potentiam, ſonis, ſed in iis, qui ſunt ſecundum actum. Quæ enim ſunt potentia, propemodum neq; ſunt. Sunt autem quodammodo eorum, quæ non ſunt. Vnumquodq; enim ſecundum proprium actum & perfectionem iudicatur. Sicut enim proprios, inquit, colores apprehendimus: non quando potentia fuerit aër perſpicuus, ſed quando actu: hoc eſt, quando illuminatus fuerit: ſic neq; quando eſt potētia ſonorus, ſonorum differentiam ſentimus: ſed quando actu fuerit, hoc eſt, iam ſonum admiſerit. Soni enim à coloribus tantum differunt, quòd colores ſunt quidē alii à perſpicuo, & cùm alii ſint, ipſum mouent: eorum enim ſolas operationes perſpicuum tranſuehit. Soni autem non ſunt alii ab eo, qui actu perſonat, aëre, ſed in eo ſuam habent conſtitutionem.

Ea autem per translationem dicuntur à tangibilibus. Acutum enim ſenſum mouet exiguo tempore multum: graue autem multo parum.

Acutum & graue, & quædam ſunt ſonorum differentiæ: & per translationem, inquit, quæ eſt à tangibilibus, appellatæ ſunt. In magnitudinibus enim, quæ ſunt propriè tangibiles, eſt acutum & graue: per quorum translationem dicuntur, & quæ ſunt in ſonis. Acutum enim dicitur in tactu, quod celeriter operatur: ut gladiolus acutus, quòd celeriter pungit. Obtuſum autem quod tardè operatur, & ueluti non pungens, ſed trudēs, ut

piſtillus. Quecunq; enim ad pungendum apta facere uolumus, ea acutis angulis facimus. Quecunq; autem ad trudendum, obtuſis angulis. Sic & in ſonis acutum quidem dicimus eum, qui ad ſenſum uelociter accedit, & permanet. Grauem autem, qui cum obtuſo habet proportionem, eum, qui ad ſenſum tardè accedit, & celesiter ceſſat: ſicut in una fidium poſtrema, quæ nete dicitur. cùm enim ipſa ſit alijs magis tenſa, dum pulſatur, propter tenſionem aërem uelociter feriens, acutiſſimum facit ſonũ: & paruo quidem tempore hoc facit, diu autem ſeruat: ſicut arcus duri, & magis tenſi. Eorum enim chorda à ſagittario tenſa, deinde remiſſa, exiguo tempore propter tenſionem in propriũ locum reuertitur. Quare ſagittam exiguo tempore truſam propter hoc ipſum in longe remotum ſpatium mittit. Eſt enim maioris uirtutis exiguo tempore idem mouere, quàm lõgiori. quod & in magis intenſis chordis contingit: in minus autem intenſa uiceuerſa: quemadmodum ſuprema longo quidẽ tempore, quod eſt aëris perſonatorium, mouet, exiguo autem ſeruat. cauſa autem eſt, quòd ſubtiles quidem ſunt, & non multum habentes occurrentem aërem, celerius eum mouent. Præterea cùm ſunt tenſæ, & à multo aëre non impeditæ, celerius properant ſuum proprium locum, & rectitudinem recipere, ex qua percuſſæ motæ ſunt, quòd à finibus & extremis contenderentur. Propterea ergo paruo tempore mouẽt id, quod in aëre uim habet perſonatiuam. Diu autem ſonum ſeruant, quòd ualde extenſæ aërem uehementer feriunt. Vehementius autem percuſſus, repercutit & ipſe chordam, & rurſus ab ipſa repercutitur: idq; longiori fit tempore. Agitata autem chorda, ſonus neceſſario diutius extenditur. Craſſæ autem chordæ, & minus intenſæ, ut ſupremæ, omnino contrarium euenit. Multum enim habens occurrentem aërem, & neq; ſic intenſa, & breuius aerem mouet, & tardius reuertitur. Quare & tardius ſonant, neque diu ſonum extendunt, quòd neque aërem uehementer moueant, neque ualde repercutiant, & ideo non diu agitantur. Id autem ſi non fiat, celerius perit ſonus.

Et ſic velox eſt, quod eſt acutum: illud verò, graue. ſed fit quidem illius propter celeritatem motus talis: huius autem propter tarditatem. Et videtur proportionem habere cum eo, quod eſt circa tactum, acuto, & obtuſo. Acutum enim veluti pũgit. Obtuſum autem veluti trudit, eo quòd illud quidem moueat in paruo: hoc verò in multo. Quare contingat hoc quidem velox eſſe, illud verò tardum.

Poſtquam dixit, quòd ſonus acutus celeriter mouet ſenſum, & ſenſilis factus in longius tempus manet: grauis autem uiceuerſa: ne quis exiſtimaret eundem acutum ſonum celeriter, uel tardè moueri: eſt enim aëris operatio incorporea: incorporeum autem non mouetur ſecundum locum: ſed acutus dicitur ſonus, acutè moueri aërem, cuius eſt operatio: ſimiliter & tardus: uel hoc ergo ſignificat per hoc quod dicit, ſed fit quidem illius propter celeritatem motus talis: huius verò propter tarditatem, pro eo quod eſt, propter celeritatem eius, quod mouetur, corporis, in quo eſt, talis fit & motus ſenſus à ſono: uel quòd, quemadmodum in tangibilibus, per aciem in magnitudinibus fit uelox ab eis diuiſio. & eſt aliud quidem eſſe acutum: aliud autem ab eis uelociter corpus diuidi. Hoc enim illud conſequitur: & accidit acuto celeriter diuidere. Acutum enim erat, etiam non operans. Similiter & in obtuſo. Sic & in uoce acuta aliud quidem eſt acutum: hoc autem contingit, ut auditum moueat celeriter. Similiter autẽ & tardum in graui. Illud autem, Quare contingit hoc quidem uelox eſſe: illud uerò tardum, perinde eſt, ac quòd hæc ſecundum accidens habent uelox & tardum, & non ſunt eorum ſubſtantia. Accidit autem acuto quidem celeriter mouere, ut gladiolo: quòd ei ab exiguo corpore occurratur: obtuſo autem tardè, ut piſtillo, quòd ei à multo corpore occurratur.

De ſono ergo hac ſit ratione definitum.

Dixit quid eſt ſonus, ſcilicet, quòd motus eius, quod poteſt moueri eo modo, quo, quæ à leuibus reſiliunt, quando repercuſſeriut: & quomodo fit, nempe quòd uerberante aliquo, & uerberato: Per quod, ſcilicet, quòd ictus eſt aliquorum inter ſe ſolidorum in aëre, uehementiore in iis aëris diuiſione, & confractione: ſed & qualia eſſe oporteat, quæ feriuntur: per quod auditur: & quomodo ſonus.

Vox autem ſonus quidam eſt animati. Ex 57
inanimatis enim nihil vocem edit: ſed per ſimilitudinem vocem emittere dicuntur, vt tibia, & lyra.

Poſtquam dixit de ſono, conſequenter & de uoce diſſerit. Vox enim ſpecies eſt ſoni. Dicit ergo uocem quandam eſſe ſonum. Non enim omnis ſonus uox eſt, ſicut inanimatorum neque enim, qui ex fluctibus, uel uentis fit, ſtrepitus, neq;, qui ex alliſis fit lapidibus, fragor uox eſt: ſed animati aliquis ſonus uox eſt. Sed neq; quiuis animati ſonus uox eſt. neq; enim, qui per complo ſionem manuum, neq;, qui fit per ſcreatum, uel tuſſim, uox eſt. Sunt enim hæc ſoni, & non uoces. ſed uox eſt animati ſonus, qui per uocales fit partes. Sunt autem uocales partes, pulmo, & omnes reſpiratiuæ partes: & aſpera arteria: & fauces. Sed neq; ab iis quomodocunq; factus ſonus uox eſt. Tuſſis enim ab iis fit: nec uocem dicitur emittere, qui tuſſit. Sed quando cum imaginatiua ſignificatione hæc mouentur, tunc demũ factus ab iis ſonus uox dicitur. Quomodo autem per hæc inſtrumẽta uox fit, & in quo differt uox à tuſſi, eo dicente, progredientes ſciemus. Animati ergo quidam ſonus uox eſt. Etſi enim quædam ex inanimatis uocem edere dicuntur, per tranſlationem, & ſimilitudinem quandam dicuntur, ut quæ uoci hominis ſimile quid habeant. Hæc enim tria circa hominis uocem conſiderantur: numerus: harmonia: & dictio. Verſatur autem numerus circa tempus prolationis longum, & breue. & ideo antiqui, quæ ex uocalibus maiori tempore proferuntur, longas nominauerũt. Quæ autem in minore, breues. Si enim ſecundum ipſam naturã protulerimus, uidebimus eas, quæ dicuntur longæ, ut η & ω, maiori tempore proferri: breues autem minore. Ex eorum autem ad ſe inuicem compoſitione numeroſum exiſtit. eſt hoc enim carminum. Harmonia autem circa acuti, & grauis commoderationem uerſatur. Dictio uerò uerſatur circa ſyllabarum formationem & expreſſionẽ, ex qua eorum, quæ dicuntur, intelligentia ſignificatur. Quoniam ergo propriè hæc habet uox humana: eam autem quodammodo imitantur & inſtrumẽta muſicæ: propterea dicuntur & ipſa ſecundum proportionẽ & conuenientiam uocem edere. Non ſolum enim numerum, & harmoniam imitantur, ſed & dictiones. Sciunt certè & qualis ſit cantilena, quæ dicitur: & cum inſtrumentis concinunt. Imitantur autem non ſimpliciter uocem hominis, ſed loquelam. Vt dixi enim, in dictionis compoſitione uerſatur. quæ fit per linguam. Quæſiuerit autem quiſpiam, in quo differt numerus à metro. Dicimus ergo numerum eſſe quid generalius: numeri autem ſpeciẽ eſſe metrum. Si quid enim eſt metrum, id eſt & numerus: non ita autem & contra. Conſideratur enim numerus in iis, qui pulſant pedibus, & manibus. Quando enim uelox, & tarda pedum eleuatio, & poſitio, inter ſe rationem, & proportionem habent, fit numerus. Et hinc ab horum tranſlatione talis ſyllabarum connexio, quæ ad metrorum generationem accipitur, pedes appellati ſunt. Secundum eandem conuenientiam & in manuum,

*narum, & tibiarum, & aliorum eiuſmodi pulſatione numerus appellatus eſt, qui eſt commoderatio temporis, in quo fit motus. Nam & in tibijs numerus quoq; conſideratur. Tibiæ enim foraminum alia quidem longiori tempore obturant: alia uerò breuiori. Et ſic reſonantiarum hanc quidem leniorem, illam uerò aſperiorem emittunt. Et foraminum alia quidem ſunt maiora: alia uerò minora. & hæc quidem ſunt linguлæ propinquiora: illa uerò remotiora. & , quæ ſunt anguſtiora, ſunt latioribus acutiora. in pueris itaque, & mulieribus ſunt uoces acutiores: Quæ autem latiora, tardiora. Similiter & , quæ ſunt propius, ſunt remotioribus acutiora. quorum commoderatione fit harmonia, & melos: numerus autem uelocis, & tardi. Quòd in reliquis quoq; inſtrumentis numerus conſideratur, omnibus apertum eſt. commoderata enim digitorum eleuatione, & poſitione perficitur. Qui ergo in alijs eſt numerus, ſecundum tarditatem, & celeritatem figuratur. Qui autem in oratione, quæ eſt pronuncianda, ſecundum longum & breue: qui etiam metrum ſolus dicitur. Cum tardo autem proportionem & conuenientiam habet longum: cùm celeri uerò breue. non ſolum autem in poëticis ſcriptis conſideratur metrum, ſed & in oratorijs. Dicimus ergo longum eſſe membrum uel curtum & mutilum: & ex eo, quòd non ſunt commoderata membra, non eſt numeroſa oratio. Qui itaque de forma orationis ſcripſerunt, tradiderunt, quot, & quales pedes aſſumpti ad oratorium membrũ, hoc rectè efficiant. Hæc quidem in digreſſione: ſed redeamus ad dictionis contextum.*

Et quæcunq; alia ex inanimatis extenſionẽ habent, & concentum, & ſermonem.

*Extenſionem dixit, pro eo quod eſt, numerum. Sicut enim dixi, circa temporis extenſionem, quæ fit plus uel minus, & eorum commoderationem, conſideratur numerus. Melos autem dixit, pro eo quod eſt, harmoniam, quæ circa acuti, & grauis commoderationem uerſatur: Sermonem autem dictionum compoſitionem.*

Videtur enim vox quoq; hæc habere.

*Similis eſt, inquit, muſicorum inſtrumentorum ſonus uoci, quatenus eius habent imitationem, quæ dicta ſunt. Clarum eſt autem, quòd uocem maximè nunc dicit ſermonẽ. circa eam enim ſolam conſideratur dictio. In uocibus enim inarticulatis eſt melos quidem, & numerus: dictio autem non ita. nam etſi de Pica, uel Pſittaco dixeris, uel alijs eiuſmodi, non propriè eſt dictio: niſi ſecundum imitationem, & conuenientiam, ſicut & in inanimatis.*

Multa autem animalia vocem non habent: vt &, quæ ſanguine carent: & ex ijs, quæ ſanguinem habent, piſces.

*Quoniam dixit uocem eſſe animati ſonum: non omne autem animatum uocem habet: ſed ſunt quædam, quæ uoce carent: hoc ipſum definit. Non enim ſimpliciter animata ſunt uoce prædita, ſed animalia. & nec omnia animalia, ſed ea ſola, quæ habent pulmonem, hoc eſt, quæcunq; reſpirant. Vocis enim materia eſt reſpiratus aër, ut ipſe in proceſſu oſtẽdet. Neq; inſecta, ut muſcæ, apes, & ſimilia: nec quæ ſanguine carent, uocẽ edunt, ut uermes. Sed neq; omnia ſanguinem habentia, ut quæcunq; ex aquatilibus non ancipitem uitam agunt, ut piſces. neq; enim habent pulmonem. & propterea uocem non emittunt. & ideo ἔλλοπες appellati ſunt, quaſi ὄπα ἐλλείποντες, hoc eſt uoce deſtituti. Sed neq; quæcunq; ancipitem uitam agunt, ea uocem emittunt: nam neq;, quæ teſtaceam cutem habent, ut cochleæ. neque, quæ molliores ſunt teſtæ, ut cancri, & mures aranei. Ex ijs autem, quæ ancipitem uitam agunt, uocem edunt & fluuiatilis equus, & crocodilus. Dicitur enim & hic breuem, & exiguam uocem edere. Dubitauerit autem quiſpiam, quomodo dicantur inſecta uocem non edere. Quid eſt enim cicadis uocalius? Quin & muſcæ inter uolandum non minimum bombum edunt. Dico ergo non eſſe uocem, eorum uocalem ſoni emiſsionem. neq; enim per uocalia hæc inſtrumenta fiunt. Eſt enim quædam pellicula circa ſuperficiem ſub pectore cicadarum, quam alis uerberantes, & interceptum aërem exprimentes, ſonum emittunt. Similiter & muſcæ aſperis alis percutientes ſonant: ſtantes certè bombum emittere deſinunt.*

Idq; non citra rationem, ſiquidẽ aëris motus eſt ſonus. ſed, qui dicuntur vocem edere, vt in Acheloo piſces, branchijs ſonant, vel aliquo alio eiuſmodi.

*Poſtquam dixit piſces non habere uocem, huius ipſius cauſam ſubiunxit. Si enim, inquit, ut oſtenſum eſt, aëris motus ſonus eſt: uox autem eſt ſonus quidam: in aëre autem non degunt piſces, ſed in aqua: meritò uocẽ non habent, ut qui non aërem moueant, ſed aquam. Et ex ijs, quæ utrobiq; indiſcriminatim uiuunt, quæcunq; uocem habent, non poſſunt uocem in aqua emittere. Neq; enim nos, cùm aquam ſubierimus, edere uocem poſſumus. Sed &, qui dicuntur uocẽ edere in Acheloo, magni ſunt, quos quidam uocem emittere exiſtimant, quando circa aquæ fuerint ſuperficiem. Dicit ergo non oportere exiſtimare eos uocem emittere. neq; enim per uocalia membra ſonum faciunt, ſed ſecundum aliquem branchiarum motum. Quando enim ij circa aquæ ſuperficiem natant, cùm magni ſint, & multũ aquæ intercipiant, deinde branchias contrahant, aquam emittunt, & emiſsione turbant: eaq; turbata aliquid aëris intercipit, qui ictu aquæ expreſſus ſonat. & hoc modo uidentur illi uocem emittere, ut de muſcis, & cicadis diximus. Quare extra animal fit ſonus, & non per inſtrumenta uocalia. & in talibus ſimiliter euenit, ut in columbis, quæ uolantes alis ſonant. Similis ergo eſt is ſonus plauſui, qui fit per manus. Quare ſi & ſcari uocem edere dicuntur, idem de ijs exiſtimandum eſt. Illud autem, Vel aliquo alio eiuſmodi, adiecit, quòd contingit non ſolum branchiarum contractione eos dicto modo ſonare, ſed & ore aquam excipientes, & cum ſtrepitu extrudentes. Certè cùm ſunt in profundo, non ſonant. Fieri enim non poteſt, ut in aqua ſit ſonus. Propterea ergo, ut iam dixi, ſi in aqua manus ſimul percuſſerimus, non ſonant. Eſt enim aqua quidem ſonorũ tranſportatrix, ſed quæ ſonum non emittit.*

Vox autem eſt animalis ſonus, & non quali- 88
bet parte. Sed quoniam quodcunque ſonat, verberante aliquo, & aliquid, & in aliquo ſonat: id autem eſt aër: ea ſola vocẽ meritò ediderint, quæ aërem ſuſcipiunt.

*Poſtquam diſcreuit ea, quæ uocem edunt, ab ijs, quæ non edunt: & ex ijs ad uocis rationem tradendam ingreſſus eſt: uult deinceps eius, quæ eſt propriè, uocis rationem tradere. Eam autem ab alijs ſonis dupliciter diſcernit, & ex modo generationis, & ex fine. Ex modo itaq; generationis, quòd uox quidẽ fit exſpirato aëre expreſſo contractione thoracis, ſecũdum eam, quæ illi ineſt, ſonatiuam facultatem, & in aſperam arteriam incidente, & in eum, qui in illa eſt interceptus, aërem: qui denſo ictu infractus, retortus, & uibratus, cohærentem aërem ad auditum uſque percutit. Eſt enim oris hiatus, qui eſt ad radicem uſque linguæ gula. Illinc autem duo uaſa feruntur: hoc quidem ad thoracem, quod aſpera arteria dicitur: alterum autem ſecus tendinem uſque ad uentriculum, quod dicitur oëſophagus. Per oëſophagum itaque fit ciborum aditus: per aſperam autem, ſpiritus, qui fit ſecundum inſpirationem, & expirationem. Qui quidem dicto modo expiratus facit ſonum, qui uox dicitur,*

quando fit cum aliqua imaginatione ſignificatiua. Ex modo igitur generationis hac ratione differt uox ab alijs ſonis. Quicunque enim ſoni non ſunt animalium, uel, quod magis eſt, animaliũ quidem ſunt, ſed non per prædicta uocalia inſtrumenta fiũt, non ſunt uoces. Ex fine autem, quòd uox fit per aliquem animalis impulſum ad aliquid ſignificandum. itaq; & cum imaginatione. Quare & irrationaliũ ſoni, uoces. Compaſcentem, inquit, ſuem perſequens ululat. Nam & canis, quando habet imaginationem alieni, latrat: quando autem familiaris & domeſtici, blandiens mouet caudam. Et, ut ſemel dicam, cùm talem, uel talem typum ſecundum imaginationem ſuſceperint, diuerſas uoces edũt. Sunt itaq; uoces ſignificatiuæ animæ affectuum. Nam cùm cibum appetunt, quadam uoce utuntur: & aliam edunt uocem, cùm triſtia afficiuntur: aliam, cùm lætantur. Tuſſis autem, quæ fit per exitum ſpiritus per aſperam arteriam, non eſt uox. Differt enim & modo generationis, & fine. Modo quidem generationis, quòd in uoce, qui extruditur ſpiritus, ſenſim & ſecundum naturam egrediens, percutit ordinatè eum, qui eſt in aſpera arteria, & ipſam arteriam. & ille paulatim truſus, & à percutiente, & ab aſpera arteria, ſonat numeroſè: fit enim uolente animali. In tuſſientibus autem, ſpiritus, ut qui præter naturam mouetur, aceruatim, & inordinatè è thorace egreditur, & ſeipſum quoque ferit, & id quod eſt in aſpera arteria. Cùm enim humidum præter naturam in thorace contractum fuerit, id natura uult per ſpiritum extrudere. Deinde cùm non ualet ſpiritus id extrudere, ipſe ab eo repercutitur, & ſæpe enixus interrumpitur. Vnde fit etiam corporis concuſſio. Ipſum autem interrumpi & concuti ſignum eſt, quòd non ualet ſpiritus extrudere adiacentia. Et quando laborat aliquis inflammatione: ſpiritus, qui eſt circa thoracem in anguſtias redactus, difficultatis anhelitus, & inordinati per tuſſim motus cauſa eſt. Hac itaque ratione differt tuſſis à uoce. & fine, quòd non fit cum imaginatione. non enim alicuius ſignificandi gratia, ſed fit coactè. niſi ſecundum aliquam conuentionem fiat, ut ſi excreauero, uel tuſſiuero, hoc ſignificabo. tunc enim, & ea uoces quædam ſunt. Sic ergo, ut paucis complectar, licet dicere uocem eſſe animalis ſonum, per uocales partes cum imaginatione factum, imaginatione, ſcilicet, alicuius rei ſignificandæ gratia. Quare & in thorace inſpiratum aërem paulatim mouemus, prout elegerimus cum celeritate, uel tarditate loqui. Hæc itaque ſunt uocis inſtrumenta. Sermonis autem, lingua: palatum: dentes. Taliter enim, & taliter uocem edentem ſpiritum per quandam eiuſmodi circumactionem lingua figurans, ſic dictiones facit. Quare quibuſcunque lingua ſupra modum uel relaxata, uel alligata eſt, ij non loqui, uel non articulatè loqui poſſunt: cùm lingua non amplius poſſit ſecundum rationem motus facere, per quos uox figuratur. Sicut enim in tibijs, & in inſtrumentis muſicis, qui per utres, uel corpus in tibias efflatur, ſpiritum, & taliter, uel taliter ſonat, figurantes digiti, in dictiones adaptant: ſic & lingua eum, qui ex thorace efflatur, & ad arteriam ſonat, in dictiones figurat. Vnde & irrationalia animalia, quoniam animam rationalem non habent, remiſſam linguam, & labra diducta habent. neque enim ea opus habebant ad linguæ miniſterium. Vnde & ex uolucribus, quæcunque lingua & genarum compoſitionem & ſpeciem habent hominibus perſimilem, nec ualde hiantem, poſſunt imitari ſermonem, cuiuſmodi ſunt picæ, & pſittaci, & ſimilia. Sed quoniam quodcunque ſonat, uerberante aliquo, & aliquid, & in aliquo ſonat: aliquo quidem, quod percutit: aliquid uerò, quod percutitur: in quo autem ipſe declarauit dicens. Id eſt autem aër. Si autem ſic fit ſonus, meritò quæcunq; pulmonem non habent, &, quæ in aquis degunt, uocem non habent.

Materia enim, eo quod reſpiratur, vtitur natura ad duo opera: quemadmodum lingua ad guſtum, & ad ſermonem: Quorum guſtus quidem eſt neceſſarium: vnde & pluribus ineſt. Sermo autem, & interpretatio, vt bene ſit. ſic & ſpiritu, & ad calorem, qui eſt intus, vt neceſſarium: cauſa autem in alijs dicetur: & ad uocem, vt ſit, quod bene eſt. Reſpirationi autem inſtrumentum guttur. cuius autem gratia hæc quoq; pars eſt, pulmo.

Quoniam dixit ea animalia uoce uti, quæ reſpirant: eſt autem reſpirationem præcedens alius quidam uſus in ijs, quæ reſpirant: quomodo ad uocem quoq; reſpiratio confert, per hæc addidit. Sicut enim, inquit, linguam fecit natura ad duo opera: quorum alterum quidem ad hoc, ut ſint, confert ijs, quæ habent, guſtus: alterum autem ad hoc, ut bene ſint, ſermo: Sic & reſpirationis duo fecit opera, quorum unum quidem ad hoc, ut ſit: alterum uerò, ut bene ſit. Compendium enim ſibi uendicat natura. & ideo ijſdem in pluribus utitur. Natura ergo lingua utitur, & ad ſuccorum uſum, & ad ſermonem. Quorum alterum quidem, ad hoc, ut ſint, conducit: nam ſine alimento uiui non poteſt. Sermo autem ad hoc, ut bene ſit. Hinc enim fit animal, quod ſocietate delectatur, & cum alijs communicat, homo: & per eum docti, & ſcientia præditi à præceptoribus reddimur. Propterea guſtus quidem eſt in omnibus animalibus: ſermo autem non in omnibus: ſed neq; omnino uox: ſed in perfectioribus. Sicut ergo in lingua habet, ita & in reſpiratione. Nam & ad interni caloris refrigerationem confert, quod eſt naturæ opus neceſſarium. Nam ad hoc, ut ſint, reſpirantibus confert, ut in libris dictum eſt de partibus animalium, & in tractatu de reſpiratione, & expiratione. ad quæ etiam differt, ut qui ſit in illis dicturus. Opus enim, inquit, habet & pulmo reſpiratione. ut qui ſit ſecundum naturam calidior in pedeſtribus animalibus, eo quòd ſit cordi ſuperpoſitus: & multo prius cor. ab eo enim in pulmone quoque calidum nimis abundat. Propterea ergo dixit primum refrigeratione opus habere eum, qui eſt circa cor, locum. refrigeratur enim ipſum per pulmonem reſpiratum aërem recipientem, & propria refrigeratione illud quoque refrigerantem. Hic eſt ergo neceſſarius reſpirationis uſus, qui ad hoc, ut ſint, animalibus confert. Confert autem & ad ſermonem, qui nobis ineſt ad hoc, ut bene ſimus. ſiquidem & uox ad ſermonem. Vox enim eſt materia ſermonis. Vocis autem materia eſt expiratus aër. Eſt autem cauſa effectiua natura. Inſtrumentaria uerò aſpera arteria. Eſt enim ueluti tibia. certè iuuenes quidem ſunt uocaliores, ut qui eam lenem habeant: ſunt autem ſenes minus uocales, ut qui eam habeant aſperam. Finalis autem, ſignificatio. Animali enim uocis finis eſt, ut per eam animæ motus, & habitus ſignificet. Sermonis autem materia quidem, ut dictum eſt, uox eſt. effectiua autem cauſa, rationalis anima. inſtrumentaria uerò, lingua: & palatum: & dentes. Finalis uerò, mentis conceptuum ſignificatio. Vocis autem inſtrumentum eſt guttur, quod Græcè φάρυγξ. φάρυγξ autem feminino genere quandoque dicitur, & ſignificat fauces. eæ autem ſunt uaſtus ille hiatus, qui eſt poſt linguæ radicem: quando uerò maſculino, ſignificat laryngem, ſeu guttur, ſicut & hic. Eſt autem larynx ſeu guttur aſperæ arteriæ extremum: quod à tribus cartilaginibus continetur: ab ea quæ dicitur arytænoeides: à clipeiformi: & ab ea, quæ eſt innominata. Quæ quidem extenſæ, & contractæ ab ijs, qui illic ſunt, muſculis uocem componunt. A' tali enim horum contractione, & extenſione uel magis uel minus formatur uox ſecundum acutum, & graue: & ſiqua alia forma circa eam

conſide

*conſideratur: ſicut à lingua, & palato, & dentibus formatur ſermo. Vocis ergo inſtrumentum, ut paucis totum abſoluam, eſſe dicit aſperam arteriam. Huius enim principium eſt pharynx, ſeu larynx, ſeu guttur, ut ipſe dixit. Cuius autem gratia hæc quoque pars eſt, pulmo. Propter pulmonem enim ait factam eſſe aſperam arteriam, quam pharyngē appellauit: ut per eam ingrediens ſpiritus eum refrigeret. Quæcunq; enim habent pulmonem, ea habent quoque aſperam arteriam. Quæcunque ergo habent pulmonem, aſpera arteria refrigeratur eorum, quod eſt intus, calidum ingrediente aëre. Piſces autē per branchias refrigerant calidum, quod eſt intus, eas contrahentes, & aquam admittentes. Quare pulmone non indigent, & alioqui aquatilia non ualde opus habent, ut exterius ingrediatur frigidum, ut refrigerentur. Nam cùm ea aqua circunſtet, ipſo tactu refrigerationem facit. Si autem & eo, qui eſt in profundo, frigidi aditu opus habeant, per branchias hoc faciunt contractas, & extenſas.*

Hac enim parte plurimum habent calidi pedeſtria animalia. reſpiratione autem opus habet, &, qui eſt circa cor, locus primus.

*Pedeſtria, inquit, animalia, quæ pulmones habent, ſuperant aquatilia in ea, quæ eſt in pulmone, caliditate. Nam cùm pulmonem non habeant, neque eam, quæ in eo eſt, caliditatem habebunt. Pulmonem enim non habent: quoniam neque cor. Quæ enim cor habent, pulmonem quoque habent. Non oportet autem exiſtimare eum hoc dicere, quòd ſunt calidiora pedeſtria aquatilibus: ſed hac parte calidiora. Quoniam, ut dixi, non habent illa pulmonem. Sunt enim quædam aquatilia pedeſtribus natura calidiora. concoquunt certè piſces quidam arenam, & limoſa omnia: quæ pedeſtria non concoquunt.*

Quare neceſſe eſt, eo intro reſpirāte, ingredi aërem.

*Inſpirationis & expirationis commune genus reſpiratio. Hic itaq;, Reſpirante, dixit, pro eo, quod eſt, inſpirante animali, neceſſ. eſt ingredi aërem in eum, qui eſt circa cor, primum locum. Is enim eſt primus, qui infrigidatione indiget. Fons enim innati calidi eſt cor. Quoniam autem ei eſt ſuperpoſitus pulmo, & ex eo multum calidi recipit: ipſe quoque infrigidatione indiget. Primò ergo cor refrigeratione indiget: propter ipſum autem & pulmo. Per inſpirationem ergo refrigeratur: per expirationem autem fuliginoſa excrementa excernuntur.*

90 Quare ictus reſpirati aëris ab ea, quæ eſt in illis partibus, anima ad eam, quæ dicitur, arteriam, vox eſt. Non enim omnis animalis ſonus vox eſt, ſicut dixit. eſt enim lingua ſonare, vt, qui tuſsiunt. Sed oportet & animatum eſſe, quod verberat, & cum imaginatione aliqua.

*Hic uocem definit à modo generationis. Primam enim uox eſt, inquit, ictus expirati aëris ad aſperam arteriam, ab ea, quæ eſt in ſpiritu, & in thorace, animali facultate. Addet autem etiam deinceps definitioni id, cuius cauſa, dicens: quòd uerberans eſt animatum, ut hoc cum aliqua imaginatione faciat. Quare talis quoque eſt ſonus ſignificatiuus, dico autem uox.*

Significatiuus enim quidam ſonus eſt vox, & non reſpirati aëris, vt tuſsis: ſed illo verberat eum, qui eſt in arteria, ad ipſam.

*Duobus modis, ut iam dixi, ſeparat tuſsim à uoce, & à fine, quòd non ſignificatiua, ſed coacta ſecundum aliquem fit affectum: & quòd non in omnibus ſimilem habet uoci generationem. In uoce enim, qui ex thorace exprimitur ſpiritus, paulatim incidens in ſpiritum in aſpera arteria interceptum, percutit ad ipſam arteriam ipſum comprimens: & ſic ea percuſſa ab illo, qui eſt in ipſa, ſpiritu, fit ſonus, qui eſt in uoce. Fit autem articulatus, quando ex arteriæ concauitate truſum aërem circa fauces lingua taliter, uel taliter figurauerit. In tuſsi autem extruditur quidem ex thorace, ſed aceruatim: & non ſolum percutit eum, qui eſt in aſpera arteria, aërem, ſed & ab eo percutitur: & alia fiunt, ut iam prædixi.*

Signum autem, quòd non poſsit edere vocem reſpirans, neq; expirans, ſed detinēs. eum enim mouet retinens.

*Reſpirantem inquit, pro eo, quod eſt, inſpirantem. Generali enim nomine pro ſpeciali uſus eſt. Quid ergo, inquit, quòd expiratus aër facit uocem? Signum autem, quòd non poſsit uocem edens inſpirare, quòd egreditur ſpiritus, & ſi alij ingredienti obuius fuerit, interrumpitur. Non ſolum autem, inquit, fieri non poteſt, ut inſpiret, qui uocem edit, ſed neq; ut expiret. Atqui hoc ipſum expirantium fit uox. Et hanc dicit generationem uocis expiratum aërem. Fortaſſe ergo illud dic[illegible], quòd aceruatim expirantes non poſſumus uocem edere. Denſa enim expiratione conſumitur ſpiritus. & non prius uocem edere poſſumus, quàm aliud inſpirauerimus: quod expiratum ſubſeruiet ad uocis generationem. Tragœdos itaq; admiramur, qui carmina ſine interruptione cum uehementia extendunt, quòd diu eis ſufficit ſpiritus. Quod autem ſic habet, hi ipſi declarant, quando ſunt cantaturi, multo prius ſpiritum inſpirantes, & ſic uocem emittere incipientes, ut eis ſufficiat circa expirationem. Quare neque ſine reſpiratione diu loqui poſſumus, eo quòd conſumatur ſpiritus, qui eſt in thorace. Opus ergo habemus prius alium inſpirare ad ſubminiſtrationem uocis. Fieri autem non poteſt, ut ſimul inſpiremus, & loquamur. Nam neque fieri poteſt, ut ſimul inſpiremus, & expiremus. Ei enim contraria mouet, qui retinet. Qui enim eſt uocem editurus, retinens eum, qui eſt in thorace, ſpiritum, mouet eum, qui eſt in arteria. Conuenientiam autem, & proportionē habet, qui in aſpera arteria intercipitur ſpiritus, cum eo aëre, qui eſt inædificatus in auribus: niſi, quòd is quidem, qui eſt in auribus, eſt immobilis, & ſemper idem: Qui eſt autem in aſpera arteria, eſt aliquando alius.*

Clarum eſt enim, cur & piſces ſint muti: nō enim habēt laryngem, ſeu guttur: quia aërem 91
non ſuſcipiunt, neque reſpirant. Sed &, qui dicunt, piſces vocem emittere, errant. Sed propter quam cauſam, eſt alius tractatus.

*Ex prædictis clara eſt cauſa, propter quam piſces ſunt muti: quia uox ex expirato fit ſpiritu, in aſperam arteriam incumbente: quoniam nec pulmonem habent, cuius gratia hæc pars eſt, meritò ſunt muti. Et quicunq;, inquit, eos uocem edere exiſtimant, quòd in Achelοo ſouent piſces, ij falluntur, ſonum uocem eſſe putantes. ſunt autem quidam, qui dicunt piſces quoq; reſpirare: & propterea nōnulli conantur oſtendere, quòd eſt aër in mari. eſt autē hoc falſum. Si enim aërem reſpirarēt piſces, cùm ſunt in aqua: cur nō piſces quoq; in aëre uiuūt? ſicut nec nos in aqua. neq; enim brāchiæ ſufficiūt ad attrahendū intro aërem. Vnde cùm breui tēpore ſuffecerint, pereunt. Propterea ergo quia nec inſpirare, nec reſpirare poſſunt, meritò uocē nō edūt. Et alioq, quomodo fieri poteſt, ut aër ſit in aqua? neq; enim aëri natura inſitum eſt, ut in aqua ſubſidat. Declarant autem inflati utres, & amphoræ inanes, quæ ſupernatant, & bullæ, quæ fiunt, ubi parua aëris particula intercepta eſt.*

*Propter quam autem cauſam, eſt alius tractatus. Vel dicit cauſam propter quam falluntur, & adducuntur, ut uocē edere exiſtiment: uel potius propter quam cauſam non reſpirant. Huius autem cauſam quoq; dixit in libris de partibus animalium. neq; enim ſufficit eis, quæ fit ex aëre, refrigeratio: & ideo non habēt reſpiratiuas aëris partes. neq; enim habent circunſtantē aërem: ſed aqua eis hūc uſum præbet, quæ iuxta rationem reſpirati aëris ab eis per branchias attrahitur, & rurſus expellitur. Neq;, quæ ſanguine carēt, refrigeratione indigent, eo quòd in eis non ſit tantum calidi. Inſecta autem, ut iam diximus, per ſciſſuras, ſi quid opus ſit, refrigerantur. & ea quidem, uel omnia, uel magna ex parte, ſanguine carent.*

Cap. v.

92

De odore autē, & odorabili, prædictis minus definitu facile eſt. Neq; enim clarum eſt, cuiuſmodi quid ſit odor, ita vt ſonus, vel lux, vel color. Cauſa autem eſt, quòd hunc ſenſum non habemus exactum, ſed multis animalibus deteriorem. Homo enim malè odoratur: & ex odorabilibus nihil ſentit præter id, quod eſt iucundum, &, quod moleſtum: cùm non ſit exactum ſenſorium.

93

Rationi autem conſentaneum eſt, &, quæ duris ſunt oculis, ſic colores ſentire, nec eis eſſe apertas colorum differentias, præterquam eo, quod eſt terribile, & eo, quod eſt tutum, & metū non afferens. Sic autem odores quoq; genus hominum.

*De odoratu, & odorabilibus doctrinam mediam collocauit: tertiam quidem à uiſu & auditu: priorem autem guſtu, & tactu: idq;, quoniam mediam ſortitus eſt aliorum naturam, & ſecundum operationes, & ſecundum ſubiecta. ſecundum operationes quidem, quòd uiſus, quæ ſunt longiſsimè, apprehendit: auditus autem & ipſe quidem, quæ longè ſunt: ſed minus uiſu. Neque enim ex eodem ſpatio, ex quo uidemus, ab eodem quoq; ſonos audimus. Sic itaq; in Meteoris dicebatur, quòd propterea tonitru poſterius audimus: fulgur autem prius uidemus: quòd citius uidere, quàm audire poſſumus. Spiritu enim in nubes irrumpente fit tonitru: ex irruptione autem ſpiritus accenditur: ſicut in lapidibus, qui alliſione, & confractione ignem accendunt. Cùm ergo primam tonitru generationem habeat, primum fulgur uidemus: quòd uiſus ſit acutior, &, quæ ſunt remotiora, magis apprehendat, quàm auditus. & propterea facto tonitru ſtatim fulgur quoq; audimus. magis enim opus habet auditus, ut propinquius aër à ſono afficiatur, ut ſic eum apprehēdat. Et in remigatione, ſi quis longe fuerit, ſublatum prius remum uidebit: deinde ſonum ſentiet. Guſtus autem, & tactus poſt eos, ipſa ſenſilia attingentes apprehendūt. Odoratus itaq;, neq; quæ ſunt eminus, apprehendit, ut uiſus, & auditus: neq; opus habet tam propinquum habere ſenſile, ut guſtus, & tactus. Ad utrunque ergo eorum eſt medius. Sic ergo ſecundum operationes medius eſt odoratus. Secundum ſubiecta uerò, quòd uiſus quidem circa colores uerſatur, & lucem, quæ ſunt ignea. eſt autem ignis ſubtiliſsimus, ut in corporibus incorporeus. Auditus autem circa ſonos, qui ſunt aëris, qui eſt igne quidē craſsior, reliquis uerò ſubtilior. manè itaq; quidam exiſtimant eſſe aërem. Guſtus autem circa ſuccos, qui ſunt aquæ: ſuccis enim uehiculum eſt humidum. Tactus uerò circa ſolida, & terreſtria. Inter hæc autem quatuor olfactus eſt medius, qui circa uapores uerſatur, & medij cuiuſdam generis corpus: Qui quidem ſunt medij uel inter terram & ignem, ut ſicca exhalatio: uel inter aërem & aquam, ut humida. Sic autem & Plato, ſecundum dictum elementorum ordinem, ſenſus uniuſcuiuſq; ſecernit & definit. Iure ergo cùm medium locum odoratus habeat, mediam quoq; de eo fecit doctrinam. Dicit ergo, quòd odoratus ratio eſt reliquis ſenſibus minus definitu facilis. & ideo odorabilium quoque ratio non eſt aperta. Huius autem obſcuritatis, & incertitudinis cauſam eſſe dicit: quòd hunc ſenſum non habeamus exactum, ſed multis animalibus deteriorem. Sicut enim tactu reliqua omnia ſuperamus: ſic in hoc inferiores ſumus. Declarant autem & ueſtigantes canes, & quædam uolucres, quæ à longo interuallo olfaciūt.*

*Velut, inquit, Lacenæ gradum ſagacis canis. & rurſum:*

*Non pernix pedibus ſurſum lepus aufugit illum.*

*Propterea ergo dico, quòd obſcurum, & pro aliorum ſenſuum ratione exiguum habeamus odoratum. In alijs quidem ſenſibus, non ſolum, quod ſenſilium genus unicuiq; ſit ſenſui ſubiectum, cognoſcimus: ſed & quæ ſunt ſpecies ſub genere. Scimus enim colorem eſſe genus uiſibilium, & huius generis ſpecies exactè diſcernimus: ut album: nigrum: rubrum: fuſcum: & alia. Similiter & in auditu, genus quidē, ſoni: ſpecies uerò, acutus: grauis. Similiter in guſtabilibus genus quidem, ſucci: ſpecies autem dulce, & amarum: & reliqua. Et in tangibilibus quidem genus non eſt apertum: neq; enim habemus uno nomine appellatum. Quamobrem & de eo dubitat an ſit unus ſenſus, an multi, quia fieri non poteſt ut tangibilia uno genere comprehendamus: cùm ſint multæ ſecundum ſpecies oppoſitiones: eorum quidem certè ſpecies ſunt ualde manifeſtæ: calidum: frigidum: ſiccum: humidum: graue: leue: durum: molle: & reliqua. In odoratu uerò non ſolum quod ſit odorabilium genus ignoramus: ſed neq;, quæ ſit ſecundum ſpeciem ipſorum differentia, cognoſcimus. Vnde neq; ea nominare poſſumus. Quando enim odorabilia dicimus, ea denominatiuè à ſenſu nominamus: ſicut & colores, uiſibilia: & ſuccos, guſtabilia: & ſonos, audibilia. Ea enim nomina non ſunt naturæ ſenſilium, ſed eorum ad ſenſus habitudinis. Coloribus enim per ſe ineſt, ut ſint colores. Etſi enim non ſit uiſus, qui eos apprehendat, ſunt nihilominus colores. Vt ſint autem uiſibilia, eis ineſt in habitudine, quæ eſt ad uiſus. Sic & quando dicimus odorabilia, & tangibilia, nomina dicimus habitudinis eorum, quam habent ad ſenſus: eorum quidem naturæ ſignificatiuum nomen nullum habemus, ſicut in uiſibilibus, colorem: & in guſtabilibus, ſuccos, & audibilibus, ſonos. Sed in tangibilibus quidem, etſi commune non nominatum eſt, unaquæq; certè ſpecies diſcernitur, ut frigidum: calidum: molle: durum: & reliqua. in odorabilibus uerò, neq; cōmunis eorum natura, quænam ſit, nobis cognita eſt: neq; unaquæq; ſpecies. Diſcernere enim odorabilia ſecundum ſpeciem non poſſumus: ſolo autem iucundo, & moleſto diſcernimus, neſcientes quænam odorabilis proprietas nos uoluptate afficit, uel quæ moleſtia, ſicut in coloribus ſcimus: Quòd hic quidem color, uerbi gratia, ualde albus moleſtus fuit, niger autem non eſt ſenſui moleſtus: & quòd dulcis quidē ſuccus delectat: amarus autem moleſtia afficit. Similiter & in ſonis, & alijs. Bene olens enim, & malè olens non ſunt nomina naturæ, quæ ex eis ſenſui ineſt. Sicut & in uiſibilibus dicimus formoſum, & deforme: & in audibilibus, bene ſonans, & male ſonans. Quòd autem odorabilium ſpecies diſcernere nequeat, cauſa eſt, quòd exilem, & exiguū habeat hunc ſenſum homo. Quoniam ergo imbecillum hunc ſenſum habemus, ſi cum alijs animalibus conferamur: propterea & eius ratio eſt definitu difficilis. Sic ergo, inquit, habemus nos olfactum, ut &, quæ duris ſunt oculis animalia, uiſum: ut cancri, piſces. Propterea ergo nec tegumenta eis fecit natura, ut in alijs animalibus ſupercilia, quòd non facile lædi poſſint propter duritiem. Sicut ergo nos odorabilia exactè non apprehendimus, quòd eum ſenſum exactum non habeamus: ſed ea ſolo iucundo, & moleſto diſcernimus: ſic rationi conſentaneum eſt ea quoque, quæ duris ſunt oculis, colores apprehendere: non ſic autem, ut*

*album uel nigrum: cùm reliqua animalia norint & albi colorẽ, & quòd delectat, uel moleſtia afficit. Quòd reliqua enim animalia inſiſtant & colorum, & aliorum ſenſilium differentiæ, ex operatione clarum eſt. Sicut enim dominum norunt, tali figuræ inſiſtẽtia, quòd adunco forte eſt naſo, uel ſimo, uel quid aliud eiuſmodi, ita norũt & quòd eſt albus, uerbi gratia, uel æthiops. & panem diſcernunt, uel fœnum, non ſolum odoratu, ſed & tali colore. Vnde & ad id, quod eſt eiuſdem coloris, errauerint. Sic itaq; reliqua animalia: Sed quæ ſunt duris oculis, rationi conſentaneum eſt, inquit, non eandem colorum differentiam apprehendere: iucundo autem, & moleſto ea ſolum diſcernere. Vt ergo, quæ duris ſunt oculis, uiſum habent: ſic & nos odoratum, quòd odorabiliũ ſubſtantiæ non inſiſtentes, ea ne nominare quidem poſſumus: ſed per circumlocutionem odores appellamus, croci odorem dicentes, uel acrem, uel amarum, uel quædam alia ex guſtabilibus. Quæ eſt autem conuenientia, & cur ſic appellamus, in dictionis cõtextu conſiderabimus. De odoratu autem, & odorabili: Græcè eſt ὀσμὴ, quod & odorem, & odoratum ſignificat. Vel ergo idem ὀσμὴν, id eſt odorem, & odorabile dicit, quod eſt ueluti odorabilium genus: ſicut audibilium ſonus. Genus autem non propriè, ſed ſimpliciter nomen commune, denominatiuè ab odoratu deductum: ſicut à uiſu uiſibile, & auditu audibile. Vel ὀσμὴν, id eſt odoratum, ſiue ipſam olfactus operationem, odorabile autem id, quod eſt ſenſu apprehẽſibile, ut uaporem: uel, ut ſemel dicam, talem affectum, qui eſt odoratu apprehenſibilis. Non enim clarum eſt, qui eſt odor, ita ut ſonus, uel lux, uel color. Ecce odorem ſono, & luci, & colori aſſimilauit, ut generalioribus. Rationi autem conſentaneum ſic. Quoniam incertum eſt, an ſic uident, quæ ſunt duris oculis, pulchrè dixit, Rationi conſentaneum. eſt enim ueriſimile, cùm dura ſit pellis, colorum operationes non exactè ad ſenſum trãſportari. Illud autem, Præterquam eo, quod eſt terribile, & eo quod eſt tutum & metũ non afferens, pro eo quod eſt, iucundo, & moleſto.*

Videtur enim habere quandam proportionem & conuenientiam cum guſtu: & ſuccorũ
94 ſpecies cum odoribus. ſed exactiorem guſtũ habemus, quòd is ſit tactus quidam: eum autem ſenſum habet homo exactiſsimum. In alijs enim, ab animalibus longo interuallo ſuperatur: ſecundum tactum autem eſt reliquis inſigniter exactior. Quare & eſt prudentiſsimum omnium animalium. Signum autem eſt, quód & in hominum genere, iuxta hoc ſenſorium, ſunt ingenioſi, vel non: ſed ſecundum nullum aliud. Qui enim ſunt dura carne, ſunt hebetioris ingenij. Qui molles autem carnes habent, ij ſunt ingenioſi.

*Conuenientiam, inquit, & proportionem quandam habet odoratus cum guſtu: quòd per translationem ſecundum quandam conuenientiam ſuccorum nominibus odorabilia uocamus, dulcem odorem dicentes, & acrem, & alios. Sed etſi quædam eſt conuenientia in odoratu, & guſtu: odoratum tamen exiguum & exilem habemus: exactiſſimum autem guſtum. Deinde & cauſam intulit, quòd guſtum exactum habeamus: eo quòd, inquit, tactus quidam eſt guſtus: tactum autem exactiſſimum habemus nos homines. In alijs enim ſenſibus à multis animalibus ſuperamur: in hoc autem omnibus ſumus ſuperiores. Quare, inquit, omnium eſt animalium homo prudentiſſimus. Nam cùm molles carnes habeat, ex quo ſentiendi quoq; uirtute eſt magis præditus ſecundum tactum: excrementa celerius exudantur & differuntur: nec uis eius imaginatiua, & ratiocinatiua perturbatur. Sciendum autem, quòd ut materialem cauſam cauſificatur carnem. non eſt enim prudentiæ effectiua, niſi ut concauſa. per colligamentum enim diſponuntur animales motus corporis temperaturis, non qui à temperatura quidem generentur, ſed, non ſine tali temperatura, taliter, uel taliter operentur. Si autem quædam alia fuerint, quæ molliorem homine carnem habeant, ut uermes, alijs uidelicet carent. Neq; enim perfectam habent imaginatiuam facultatem. Nunc autem de perfectis animalibus agitur. Forſaſſe autem ne uermium quidem caro eſt, ut neq; muſcarum. Quòd autem, eo quòd molliorem carnem habeat, homo eſt prudentior, ex hoc confirmat: quòd & in ipſis hominibus, qui mollibus ſunt carnibus, ſint prudentiores, & ingenioſiores. & ideo ſtultos, & qui ingenio carent, craſſipelles, & craſſos nominamus. Clarum eſt, quòd alijs iiſdẽ ſeruatis, ut, eadem educatione, & eodem ſexu, ne uirum cum muliere comparaueris, ſi utriq; ſint eiuſdem ſexus, & naturæ, qui mollibus ſunt carnibus, ſunt ingenioſiores: eo quòd, ut dixi, excrementis & ſuperfluitatibus celerius diſperſis, & reſolutis, purior ſit ſanguis, in quo eſt imaginatiua facultas. Diximus autem, ſi alia ſint eadem, quia contingit nonnullos ex pluribus exercitijs, & circa illiberales artes operationibus duriorem carnem habere ijs, qui umbratilem uitam agunt, & in otio uerſantur. ratio autem quærit eam, quæ eſt ex natura, conſtitutionem. Oportet ergo alia omnia eadem eſſe, & tunc eius, quod dicitur, ueritatem quærere. Secundum aliud autem nullum, pro eo quod eſt, ſecundum nullum aliud ſenſorium peius ſe habens, uel melius, eſſe ingenioſos, uel non, ſed ſecundum ſolum tactum. Si quis autem, cùm ipſe dixerit eſſe tactum alijs exactiorem, dubitet, quomodo à uiſu inceperit, cùm ab apertioribus incipere oporteat. Dicimus ergò, quòd etſi tactum habemus exactiorem, eſt tamẽ alijs ſecundum doctrinam difficilior. De eo enim dubitabit, nunquid nullus eſt ſenſus tactus, ſed plures. Cùm omnis enim ſenſus circa unam oppoſitionem uerſetur: uiſus quidem circa album, & nigrum, & quæ intercedunt: auditus autem circa acutos, & graues ſonos: guſtus circa dulce, & amarum, & quod intercedit: tactus circa plures uerſatur oppoſitiones: calidum & frigidum: ſiccum, & humidum: graue, & leue: & alias plures.*

Eſt autem ſicut ſuccus, hic quidem dulcis, 95
ille verò amarus: ſic & odores. Sed hæc quidem habent proportione conuenientem odorem, & tactum: illa verò contrarium. Dico autem, vt dulcem odorẽ, & dulcem ſuccum. Similiter autem & acris, & acerbus, & acutus, & pinguis odor. Sed, ſicut diximus, quia non ſunt valde manifeſti odores, ab eis nomina accepta ſunt, ſecundum rerum ſimilitudinem. Dulcis enim à croco, & melle. acris autem à thymo & talibus. Eodem modo & in alijs.

*Poſtquam dixit, quòd proportionem quandam habent odorabilia ad guſtabilia: &, quòd non ſimiliter odoratus odorabilia apprehendit, ut guſtus guſtabilia: & oſtendit cur guſtus ſit odoratu exactior: uult oſtendere, quòd eſt proportio, & conuenientia odorabilium ad guſtabilia. Sicut enim in ſuccis, hi quidẽ dicuntur ſucci dulces: illi uerò acres: illi pingues: ſic & in odorabilibus per translationem hæc nomina dicimus, exili quadam, & exigua participatione in utroque conſiderata. Guſtabilium autem ſimul & odorabilium alia quidem habent ſuccum odori conuenientem, ut crocus, & mel. Dulcis enim in utriſque odor dicitur, ſicut & ſuccus. Similiter thymum, allium, porrũ guſtu ſunt, & odoratu acria. Alia uerò non cõuenientẽ: ut aloë guſtũ*

quidem

*quidem habet amarum: odorem uerò dulcem: ſimiliter & ſtyrax. Clarum eſt autem, quòd in guſtabilibus quidem propriè dicuntur hæc nomina: quoniam & eorum ſubſtantia comprehenſa eſt. In odorabilibus autem ſecundum conuenientiam, quoniam mordax eſt ſuccus acris: eſt autem & odorabile eo modo: propterea & id acre appellauimus. Et in alijs eadem eſt conuenientia.*

90 Eſt autem, ſicut auditus, & vnuſquiſq; ſenſus, hic quidē eius, quod eſt audibile, & eius, quod eſt inaudibile: ille verò eius, quod eſt viſibile, & eius, quod non eſt viſibile: & odoratus quoque eius, quod eſt odorabile, & eius, quod non odorabile. Non odorabile autem, hoc quidem, quod fieri non poſsit, vt odorem habeat: Illud autem, quod paruum, & malum habet. Similiter autem & guſtabile, & inguſtabile dicitur.

*Sicut & in alijs ſenſibus dixit, uiſu, & auditu, quòd non ſolum propria ſenſilia apprehendunt, ſed & priuationes, & exceſſus: tenebræ enim, quæ non ſunt uiſibiles, non alio quàm uiſu: ſic & in odoratu dicit, quòd apprehēdit non ſolū odorabile, ſed & non odorabile. Quod enim odorem non habet, quo alio iudicamus, quàm olfactu? Non quicquid autem ſimpliciter eſt ſine odore, iudicat: ſicut neq; uiſus, quod eſt inuiſibile. Neque enim, quoniam ſoni, & ſucci ſunt & inodorabiles, & inuiſibiles, propterea dicemus uel uiſum ea poſſe apprehēdere, uel odoratum. Ratio eſt, quæ indicat ſonum eſſe inuiſibilem, & inodorabilē, non ſenſus: ſed cum apprehendit priuationem, quæ proprio ſenſilium habitui eſt oppoſita, ut quando, quod eſt aptum uideri natura, non uidetur, ut perſpicuum: uel quod natura olfieri conſueuit, odorem non habet, ut mālum putrefactum. Hoc autē clarum eſt, quòd per accidens, & per negationem apprehendit. Non odorabile autem rurſus duplex eſſe dicit, uel quod nullo modo eſt odorabile, & ſecundum priuationē, ut quod eſt abſq; odore: uel, quod eſt quidem odorabile, ſed exiliter admodū odorabile, ut crepuſculū dicebatur inuiſibile. ut ſunt ſoporiferi odores, qui ſunt ſuffocatorij, & alia eiuſmodi. Sic autem, inquit, & inguſtabile dicitur dupliciter, ſicut & inodorabile. Dicet autē, ubi tractabit de guſtu.*

91 Eſt autem & odoratus per id, quod intercedit, vt aērem, vel aquam. Nam &, quæ ſunt in aquis, videntur odorem ſentire.

*Sicut in uiſu, & auditu, eo, quod intercedit, opus erat ad ſenſilium apprehenſionem: ſic & in odoratu. per id enim, quod intercedit, eſt apprehenſio. Eſt autem, quod odoratui intercedit, aēr, & aqua. ea enim odorum perlatrix facultas, eſt communis aēris, & aquæ. Quòd enim aqua quoq; ſit odorum tranſuectrix, aperte ex piſcibus confirmat. Multa enim ex ijs, quæ degunt in aquis, olfaciunt, & odore procul ad eſcam accurrūt: ſicut & multæ uolucres, ut uultures. Ii enim ex ualde remotis interuallis cadauerum odorem apprehendunt. Præterea autem & in pedeſtribus, ut uenantes canes: ſicut & Sophocles inquit:*

*Sicut lacænæ ſagacis gradum canis.*

*Sicut ergo multæ uolucres, & multa pedeſtria animalia odores eminus apprehendunt, propter odoriferam aēris facultatem: ſic & multa aquatilia: quòd ea quoq; ſit in aqua facultas. Conchæ certè, & murices, quæ uiſum non habēt, eſcam perſequi cernuntur. Similiter & crocodili carnes ſuper aquæ ſuperficiem eis appenſas perſequūtur. Quòd autē non uidentes ſimpliciter piſces eſcas perſequuntur, & ex muricibus, ut dixi, apertum eſt, quæ, cùm uiſum non habeant, eſcas perſequuntur. Declarant autem & alij piſces, qui noctu uenantur. Dubitauerit autem quiſpiam, ſi per id, quod intercedit, odoratus apprehēdit, quod eſt aēr & aqua, quare eſt odor odore potentior? Sæpe enim ſi male olens odor fuerit, accedens, qui bene olet, eum ſup erat: uel contra. Quod quidem fieri nō oporteret, ſi odorū tranſuector eſſet aēr, non autem ipſi odorabiles uapores ad ſenſorium accederent: ſicut omnes colores tranſuehit, & nunquam fit ualidior operatio, uerbi gratia, albi, uel alicuius alterius coloris, ut nigri: eo quòd non ipſi colores ſint in aēre, ſed eorum operationes. Sic oportebat & in odoribus fieri, ſiquidem eorum ſolum operationes tranſueheret, & non ipſos uapores, qui ſunt corpora. Præterea autem hanc dubitationem auget & hoc, dico autem, quòd non per id, quod intercedit, ſenſus apprehendit odorabilia, ſed ipſum odorabile deuenit ad ſenſorium. Tunc enim thymiamata apprehendimus, quando in ignem impoſita in ipſum reſoluuntur. Fumus enim apertè uidetur ad nos aſcendens, & ad nos perueniens. Certè & quando cuius odorem apprehendere uolumus, manibus fumum ad nares adtrudimus. Quare fit quædam apertè corporalis effluxio ex ipſis bene olentibus corporibus: & non aēr eorum operationes tranſuehit, ut in coloribus, & ſonis. Atque dubitationem illam ſic reſoluimus, Dico autem eam, quæ uidetur oſtendere ex pomi bono odore, quòd qualitates ſeparantur à ſubiectis: & dicimus, quòd non ipſe per ſe ex mālo bonus odor procedit, & ex ſimilibus, ſed cum aliqua ſubſtantia. & quod dicimus, confirmamus ex eo quòd malum tempore corrugetur: & quòd panno naribus ſuperpoſito, aērem quidem inſpiremus: non reſpirantes enim non uiueremus: odores autem non apprehendamus: nempe, quòd craßior ſit ſubſtantia, in qua collocatum eſt odorabile, nec poſſit per pannum percolari: aēr autem percolatur. Quomodo ergo utraq; hæc dicta conciliabuntur, &, quod nunc dictū eſt, & quod dicitur per odoriferam aēris facultatem incorporaliter tranſuehi odores ad ſenſorium? Ad hæc ergo dicimus, quòd re uera fiunt fluxiones quædam ſubtiles corporum à bene olentibus, & maximè à ſuffitis. & propterea, cùm ſunt in aere, quæ eſt maior, & odorem habet efficaciorem, ſuperat minorem. Nam & in ſonis, ubi non eſt corporum effluxio, maior ſonus uincit minorem, & magis ſplendidum minus ſplendidum. Sed etſi fit quædam effluxio, non ipſa tamen in ſenſorio facta apprehenſionem præbet: ſed opus habet eo, quod intercedit, uel aqua, uel aēre, qui odorabilium operationes tranſuehat. Quomodo enim aquatilia, quæ ſunt ſuper aquæ ſuperficiem, olfaciunt? Neq; enim eſt probabile hanc effluxionem per aquam deorſum procedere, ſed potius ſurſum: ſiue ſit uaporoſa, ſiue fumoſa, ut deinceps dicet. Iam uerò & crocodili olfaciunt, quæ ſunt ſuper aquæ ſuperficiem appenſæ, carnes. & quòd non uidentes ad eas accurrunt, ſed odorantes, ex hoc clarum eſt, quòd noctu quoq; uenantur. Et uultures ex infinitis interuallis cadauera ſentiunt: non eouſq; autem utiq; è corporibus effluxiones perueniunt. Sed uidetur noſter odoratus, cùm ſit exilis, & imbecillus, uehementiori egere operatione. Quoniam ergo, quæ in multo aēre tranſuehitur operatio, minor fit, ſicut in uiſibilibus habet, & audibilibus: propterea opus habemus, ut propius narem fiat odorabilis effluxio: ut cùm eſt ualida effluxio, ab ea facile afficiatur odoratus, in nare alterato aēre. Sicut &, qui imbecillos oculos, uel nares habet, niſi uiſibilia, & audibilia propius admouerint, non apprehendunt. & propterea panno ſuper ſenſorium poſito, contingit odorem non apprehendere: & maximè, ſi pannus craſſus fuerit, uel non ſit uehemens, & efficax odor. Nam ſi uehemens odor fuerit, & ſi ſit pannus ſuperpoſitus, ſufficit aēris odorifera facultas, etiam ſi bene olens odor ſenſorio non admotus fuerit, ut agat in ſenſorium. Eſt autem olfactiuum ſenſorium, in anteriori*

*parte*

*parte cerebri, eius excreſcentia, mamillæ formam præ ſe ferens, poſt oſſa, quæ ἰσθμοειδῆ ab iſthmi forma, Latinè autem colatoria appellantur, ut ad id, quod eſt interius.*

Similiter autem, & quæ habẽt ſanguinem, & quæ ſanguine carent. Nam & eorum nonnulla procul ad cibũ accurrũt, odore incitata.

*Hoc eſt μεταξυλογία, id eſt, orationis interpoſitio. Sic autẽ habet dictionis contextus conſequentia. Nam &, quæ in aquis ſunt, uidentur odorem ſentire, ut quæ ſunt in aëre. Deinde, quod ſequitur, id confirmat, quòd aquatilia olfaciant. Eorum enim nonnulla ad cibum accurrunt, eorum, ſcilicet, aquatilium. Illud uerò, Similiter autem, & quæ habent ſanguinẽ, & quæ ſanguine carent, & in aquatilibus, & in iis, quæ ſunt in aëre in utriſq; enim eadem eſt differentia. Olfaciunt autem &, quæ ſanguine carent, ut inſecta. Si uerò illud, Autem, ſuperabundet, eius, quod eſt, Similiter autem, pura ſit conſtructio.*

98 Quare & dubium videtur, ſi omnia quidẽ ſimiliter olfaciant: homo autem reſpirans quidem, non reſpirans verò, ſed expirans, vel ſpiritum continens, non olfacit, nec eminus, nec cominus, nec ſi ſuper narem intus poſitũ fuerit. Et quod ſuper ipſum quidem ponitur ſenſorium, eſſe inſenſile, eſt commune omnium. ſed, præterquã reſpirãdo, non ſentire, eſt proprium in hominibus. Eſt autem manifeſtũ iis, qui experiuntur. 99 Quare, quæ ſanguine carẽt, quoniã non reſpirant, habent alios ſenſus præter eos, qui dicti ſunt.

*Poſtquam dixit, quòd non ſolum terreſtria, ſed & aquatilia odorantur, &, quæ ſunt in utriſque & ſanguinem habentia, & ſanguine carẽtia: & quòd omnia per id, quod intercedit: Quoniam autem eorum alia quidem reſpirantia olfaciunt, ut homo, & quæcunq; habent pulmonem (Hominem enim exemplum accipit pro omnibus reſpirantibus) non reſpirãt autem piſces, & ex terreſtribus, quæ carent ſanguine: & ab iis, quæ carent ſanguine, ſit odorum apprehenſio per odoriferam aëris facultatem: in iis dubitat, an omnia quidem, quæ olfaciunt, odores ſimiliter apprehendant: homo autem (idem eſt autem dicere, quæcunque reſpirant) inſpirans odoratur: non autem expirans, nec ſpiritum continens, ut operatio declarat: ſed neq;, ſi procul fuerit odorabile, neq; ſi adeò propè, ut ad ipſam narem ponatur, quæ eſt intus, conſequens fuerit & alia, quæ olfaciunt, reſpirantia odorari. Nam & alia ſimiliter olfaciunt, ut quæ reſpirant, nec, ſi procul fuerit, odorabile apprehendunt, nec ſi intra narem fuerit. Per inſpirationem autem, inquit, odorari eſt proprium hominis. idem eſt autem dicere, omnium reſpirantium. Si autem hoc ſic habet, & omnia quidem, quæ odorantur, in aliis inter ſe communicant: quæ autem reſpirant non rectè odorantur, niſi per inſpirationem: eſt ergo ueriſimile animalia, quæ non reſpirant, ut quæ ſanguinem non habẽt, non odoratum, ſed alium habere ſenſum. Si enim odorifera aëris facultas, iis etiam non reſpirantibus, ad eorum ſenſoriũ odores tranſuehit, cur nõ hoc etiã in reſpirantibus cõtingit, ſed inſpiratione opus habẽt? Hæc eſt ergo dubitatio. Deinceps autem ſolutionem quoq; adiungit: & primum quidem oſtendit, quòd etiam, quæ non reſpirant, non alium ſenſum habent. Deinde & cauſam infert, cur, quæ reſpirant, non niſi inſpirando olfacere poſſunt, cum alia, ad odorabilium apprehenſionem, reſpiratione omnino non indigeant. Reſpirationem autem dixit pro inſpiratione, generale pro ſpeciali. Quòd autem odorabile odoratiuo ſenſorio ſuperpoſitum, eius apprehenſionem non præbeat, ex operatione argumentum non hab[...]: neq; enim nobis in hoc apertum ſenſorium incidit. Eſt autem hoc & ex aliis ſenſibus colligere, qui opus habent eo, quod intercedit: & ex hoc, quòd neq; expirantes, neq; aërem continentes olfaciamus: tanquam oporteat omnino aliquid pati aërem ab odorabilibus, & is in nos agat. In iis, qui eo, quod intercedit, non habent opus, guſtu dico, & tactu, ſi non ipſum attingat ſenſorium tangibile, & guſtabile, non præbet nobis ſui apprehenſionem: eo quòd aër nequaquam à ſuccis afficiatur: idq; meritò. Succorum enim eſt aqua uehiculum: odorum autem uapores. hi autem magis ex aëre. Non eſt autem exiſtimandum, ſicut dixi, oportere ipſos uapores, in quibus ſunt odores, ad ſenſorium accedere: idq; ex eo manifeſtum eſt, quò pisces quoq; olfaciunt: ſed, quòd hi aquæ, & aëris odoriferã faciant facultatem, non utique aquæ ſubſtantia odorem admittente, ſed eius iam facultate perfecta: ſicut & à coloribus non ipſi aëris ſubſtantiæ qualitas inditur: ſed colorũ eius tranſportatrix facultas perficitur.*

Sed fieri non poteſt, ſiquidem odorem ſentiunt. Eius enim quod eſt odorabile ſenſus, & malè olentis, & bene olẽtis eſt odoratus. Deinde & corrumpi cernuntur à vehementibus odoribus, à quibus & homo, vt bitumine, & ſulphure, & eiuſmodi. eſt itaq; odorari neceſſarium, ſed non reſpirantia.

*Quòd, quæ non reſpirant, non alio utuntur ſenſu, quàm odoratu, per hæc oſtendit. Si enim, inquit, odoris ſenſum habent: odor autem nullo eſt alio ſenſu ſenſilis, quàm ſolo odoratu: ergo odoratum, non alium habent ſenſum. Quòd autem odorem ſentiunt, ex hoc confirmat, quòd eam, quæ eſt ſecundum ipſum, oppoſitionem apprehendit, bonum, dico, & malum odorem, quod ſuperius dixit, iucundum, & moleſtum. Vno ergo hoc argumento probauit, quòd odoratum, & non alium habent ſenſum, dico autem, ex hoc, quòd eaſdem operationes operentur, quas &, quæ olfacere in confeſſo eſt. Quorum autẽ eædem ſunt operationes, eorum ſunt omnino quoq; facultates non aliæ. Id autem eſt, quòd ſicut, quæ reſpirant, ab iis, qui corrumpere poſſunt, odoribus corrumpuntur, ut bitumine, ſulphure: ſic &, quæ non reſpirant. Quod ſi ita eſt, hæc quoq;, ſcilicet, olfaciant.*

Videtur autem hominibus hoc ſenſorium differre ab iis, quæ ſunt aliorum animalium: ſicut oculi ab iis, quæ duris ſunt oculis. Illa enim habent ſæpem, & veluti velamen, ſupercilia: quibus non motis, nec reuulſis, non vident. quæ autem ſunt duris oculis, nihil habẽt eiuſmodi: ſed ea ſtatim vidẽt, quæ ſunt in perſpicuo: ſic & olfactiuum ſenſorium illis quidẽ eſſe intectum, vt oculum: ea verò, quæ aërem admittunt, habere tegumentum, quod inſpirantibus detegitur, dilatatis venulis, & meatibus. 100

*Hoc in loco tradit cauſam, cur alia quidem non reſpirantia olfaciant: alia uerò ſine reſpiratione odorari nequeant. Dicit ergo, Tale quid contingit in odoratu, cuiuſmodi & in uiſu. Sicut enim in hoc, quæ duris quidẽ ſunt oculis animalia, ſupercilia non habent, quæ protegant oculos, & conſeruent. Sed, quæ mollibus ſunt oculis, ſuperciliis tectos habent oculos ad ſenſoriorum cuſtodiã, utpote quæ facilius pati poſſint. & propterea, quæ ſupercilia quidẽ habent, iis egent. Quæ nõ habẽt autẽ, eo non egẽt. Sic & in odoratu, animalia quidẽ quæ reſpirãt, uidentur protegumentũ, & uelamẽtũ odoratiuæ partis habere,*

ut quæ

*ut quæ ſit, prout eſt uerisimile, imbecillior. Quæ autẽ non reſpirant, ea & hoc ſenſorium intectum habent, neq; ante locato tegumento indigent. Quæcunq; ergo habẽt ad ſenſoriũ, ueluti tegumentũ, ea inſpiratione opus habent, ut uenulã dilatent. Venulam autem dicit uerũ ſenſorium, ut purè odorabilium operationes ſuſcipiat. Atq; ipſe quidẽ hoc tantum dixit: fortaſſe autẽ quoniã intra oſſa ἠθμοειδῆ, ſeu colatoria eſt, odoratiuũ ſenſorium in huius autẽ oſsis foraminibus cõtrahuntur & excrementa, quæ ſunt etiam, quòd lenta & uiſcoſa ſiue, emũctu difficilia: propterea etiam uehementiore inſpiratione opus habemus, ideo fortaſſe, ut iis foraminibus purgatis, odorifero aëri uiam pateſaciamus. Fortaßis autem eſt & quædam caruncula, ſeu pellicula ſuperpoſita, quæ & ipſa inſpiratione leuatur. Dubitauerit autem quiſpiã de iis quæ ſunt uitæ ancipitis, utrum, ſi, quemadmodum cùm ſunt in aqua, inſpiratione non habẽt opus, ut olfaciãt, ſic, neq; cùm ſunt in aëre, inſpiratione opus habent, ut odorentur. Et non eſt quidẽ admirabile, ea, cùm ſunt in aqua, contenta eſſe ea, quæ eſt ex aqua, refrigeratione: quando autẽ fuerint in aëre, uti reſpiratoriis partibus. Quoniam enim ſunt uitæ ancipitis, ad utraq; eis inſtrumenta præparauit natura.*

Et propterea, quæ reſpirant, non odorantur in humido. neceſſe eſt em̃ odorari ea, quæ reſpirauerint. vt hoc autem in humido fiat, fieri non poteſt.

*Tradita cauſa, cur, quæ reſpirant, ſine inſpiratione non olfaciant, meritò inquit, eiuſmodi ne in aqua quidem odorari, propter prædictam cauſam. In aqua autem, ut reſpiretur, nequaquam fieri poteſt: quoniã enim ne illic quidem eſt aër: meritò in aqua olfacere non poſſunt.*

Eſt autem odor ſicci, ſicut ſuccus humidi.

*Guſtabilis materiam ait eſſe humidum. Quare &, quæ ſunt ualde exiccata, etiam ſucco penitus carent. Dicet autem de iis quoq; poſtea. Sicut ergo, inquit, eſt ſuccus humidi ſic odor ſicci. Siccum autem dicit, non terreſtre, ſed igneum, qualẽ eſſe dicebamus fumoſam reſpirationem, oſtendunt autem thymiamata, quæ talem reddunt, dum euaporantur. Quòd autem odor eſt ex maiori parte ex ſicco, dicit in libro de ſenſu. Non eſt autem audiendum ſiccum, quod nullam in ſe habet humiditatẽ. id enim eſt ſine odore penitus, ut declarant etiam quæ ſunt ualde exiccata thymiamata: ſed, quod eſt alicuius quidẽ humiditatis particeps, eſt autem magis ſiccum, quàm humidũ. In Meteoris quoq; oſtendit fumoſam è terra exhalationem non aliter emitti, quàm ſi terra madefacta fuerit.*

Odoratiuum autem ſenſoriũ potentia tale.

*Poſtquam dixit de odorabili, dicit & de ſenſitiuo. In uniuerſum autem omnẽ ſenſum dixit id eſſe potentia, quod eſt ſenſile actu. Idem itaq; dicit & de odoratiuo, idem eſſe potentia, quod odorabile. Fit autẽ ſimile, quando odorabilium operationes ſuſceperit, & fit actu odorans. Non enim fit bene, uel malè olens, ſed à ſenſili uel diſgregatur, uel congregatur. Dixit autem iam perfectius, quomodo fit ſenſorium, id quod ſenſile. Quod autem nunc dixit de ſenſu, hoc poſtea dicet quoq; de uiſu, & de reliquis. Videtur enim in præcedẽtibus, cùm de uiſibilibus, & audibilibus dixit, de uiſu, & auditu nihil dixiſſe. Iure autem quiſpiã dubitauerit, quomodo odorum materiã ſiccum eſſe dicit: ſuccorum autẽ humidũ Neq; enim magis ſicca ſunt odorabilia quàm humida, ut opobalſamũ, & quicũq; alii ſucci bene uel malè olentes. Sed neq; ſuccus magis eſt in humido, quàm in ſicco. Eſculenta enim ſunt omnia ſicca & nonnulla, quæ eſculentorũ uel pharmacalium ſuccorum partẽ habent, ſunt ſæpe & tactu & potentia adeò ſicca, ut & eos, qui offerunt, exiccent. Et alioqui aqua, quæ maximè ex humidis eſt ſuccis ſubiectum, uel omnino, uel propemodum eſt ſucci & ſaporis expers, qualitatem autẽ accipit ex ſicco, quo mixta erat. Sic itaq; & ipſe in Meteoris mare ex ſubiecta terra amarum, & ſalſum ſuccum habere dixit. Sed & aqua, quæ eſt in terra, diuerſos herbarum & arborũ ſuccos retinet. Sic ergo magis ex ſicco ſuccos ſuſcipit. Quare ſi quis eius partes tuens, qui in ſicco odores eſſe dicit, eos, qui ſunt in ſuccis, bonos uel malos odores, ex ſicca terræ, uel arborũ ſubſtantia, quibus aqua cõmixta eſt, generatos eſſe dabit: ſic neceſſariò eadem ratione ſuccos quoq; ex ſicco magis eſſe, ſiquidẽ & eos ex ſicca immixta ſubſtantia humidũ accipere. Sed ad hæc dicũt, humidum quidẽ, ut materiam, ſuccis eſſe ſubiectum: ineſſe autẽ, aqua ſicco immixta. ſed in humido, tunc ueluti efficiente ſuccos ſicco: ut ſuccorum efficientẽ cauſam accipiamus ſiccum: materiam autẽ humidum. Sed hac primum quidẽ ratione ut in odoribus quoq; utamur fieri poteſt. Aqua enim odoris expers, quæ eſt in humido, innumerabiles odorũ ſpecies admittit, quæ prius actu in terra non inerant. Fieri ergo rurſus poteſt, ut dicamus, quòd, ut materia quidem, humidũ odores ſuſcepit: ſiccum autẽ effectricem habuit. Deinde fieri poteſt, ut etiã orationem cõuertamus, ubi ſunt quædam ſicca uel odorabilia, uel guſtabilia, quæ citra temperaturã ſicca manentia, ut terra, neq; odorem habẽt, neq; ſuccum: humido autẽ immixta utranq; habẽt. Et dici poteſt aquã effectricẽ eorum habuiſſe cauſam. Non eſt ergo bona oratio, quæ ſicco quidem ſeparatim odores attribuit: humido uerò ſuccos. Sed quemadmodum coloribus non ſimpliciter unum aliquod ſimplex ſubiectum eſt: ſed talis tẽperatura talibus ſubiecta eſt coloribus: & huic quidem, uerbi gratia, colori humidius eſt ſubiectũ: aliud uerò ſiccius: ſic quidem & odoribus, & ſuccis cõpoſitum eſt ſubiectum. Si autem ad proprietatẽ reſpicias ſuccorum, & odorũ: ſubiectum ſiccum eſt, uel humidius. Si uerò oporteat reuera duo in partes diſſecare, & diſtribuere, humidum dico, & ſiccum: humidũ ſuccis eſt tribuendum. Cibis enim ſuccus maximè ab humido, & ab ea, quæ in ipſo eſt, qualitate ineſt. &, ut iam dixi, quando exiccatus fuerit, ne ſucci quidem eſt particeps. Humidum autẽ, ut aqua, quãuis fuerit ſimplicißimum & immixtum, eſt tamen alicuius ſucci particeps: ſic & in ſiccis, quoad odores. Aqua enim, quãdo ſimplicißima fuerit, eſt penitus odoris expers. At ſiccum nihil prohibet, quo minus ſit odorum particeps: humido autem opus habet, non ut ſit odoris particeps, ſed ut facilius euaporet, & ſiccam ſimul exhalationem emittat, & ſic affectus aër in uos agat. Sic itaq; & terra ab imbre ſæpius madefacta, ea exhalante, & uapores emittente, quidam bonus odor aſcendit.* Cap. vi.

Guſtabile autẽ eſt aliquid tangibile. & hæc cauſa eſt, cur non ſit ſenſile per id, quod intercedit, vt quod ſit corpus alienum. Neq; enim tactus. 10

*Conſequenter de guſtu & guſtabilibus tractat. Hunc autem ſenſum à tribus prædictis differre dicit: quòd illi quidẽ per id, quod intercedit, propria ſenſilia apprehendant: hic uerò non per aliquid, quod intercedit, guſtabilia apprehẽdit: ſed oportet ſenſile ipſum attingere ſenſorium. & cauſam tradit, cur opus non habeat guſtus, ad guſtabilium apprehenſionẽ, aliquo, quod intercedit. Tactus enim, inquit, quidam eſt guſtus. & guſtabile eſt aliquid tangibile. tactus autẽ non fit per aliquid, quod intercedit. Ab ipſo enim tangitur ſenſorio ſenſile. Vnde & tactus appellatus eſt. Quoniam ergo & guſtus quidã eſt tactus, merito eo, quod intercedit, non eget. Tactum autem quendam dicit guſtum, non quòd ſub tactus ſenſum reducatur. ſed quòd per tactũ fiat. Quoniam ergo in utriſq; contactus eſt cõmunis: ſicut in tactu non eſt, quod intercedit: ita nec in guſtu. cauſam autẽ dicemus, ubi de tactu dicetur. Adiecit autẽ, Vt quod ſit corpus alienum,*

num,quoniam,ut dicet,ubi de tactu aget,eſt utiq; & in ijs, id, quod intercedit,ſed non alienum,ſicut in tribus ſenſibus. In ijs enim duplex erat id,quod intercedit:hoc quidem alienum,illud uerò proprium. Alienum quidem aër,& aqua. Proprium autē & congenitum,in oculis quidem humores,& tunicæ: In auditu autem inædificatus aër: In odoratu uerò,ſeu naribus,uel circa colatoria oſſa,quæ ſunt,ἠθμοειδῆ,cōgenitus aër,uel quid eiuſmodi.habet enim,quod alijs conueniat. Sed in guſtu,& tactu nihil alienum intercedit,per quod ſentiunt,ſed ſolum propriū: carnem enim uult eſſe,quod intercedit:aliquid autē aliud,quod ſentit,ut illic ſciemus exactius. Sicut autem tribus perſpicuum, & perſonans,& odoriferum eſt ſubiectum, per quæ colores, ſoni, & odores ad ſenſus tranſuehuntur:ſic & ſuccis humidum eſt ſubiectum.ſed illius quidem nō ſit materia perſpicuum, uel perſonans,uel odoriferum:ſed eorum ſolum operationes renūciat:ſuccis autem humidum,ut materia,ſubiectum eſt, ut quod ab eis patiatur, & qualitate ſuſcepta ex contactu ad ſenſoriū, eorum apprehenſionem ſuſcipiat.

Atq; corpus quidem,in quo eſt ſuccus,guſtabile in humido,vt materia. Id autē eſt,quid tangibile.

*Quòd tactus quidam eſt guſtus,& propterea non habet opus eo quod intercedit,per hæc probat. Corpus enim, inquit, in quo,ut in materia,eſſe habet ſuccus,qui eſt guſtabile, eſt humidum. Quare ſi guſtabile quidem,ſuccus,in humido eſſe habet: eſt autem humidū tangibile: eſt enim tactus humidi apprehenſiuus:eſt ergo guſtabile tangibile. Succus enim ipſe ſeu ſapor per ſe eſt incorporeus, ut color,& aliæ qualitates: ſed in corpore quidem certè,nempe humido,eſſe habet. Quare ſi humidum eſt ſucco ſubiectū:id eſt autem tangibile:eo ergo, quod intercedit,guſtus meritò opus non habet. Oportet enim eum, qui ſuccum eſt apprehenſurus,tangere corpus, in quo eſſe habet,dico autem humidum.*

Quare & ſi in aqua eſſemus, eiectū quidē dulce ſentiremus:nobis autē non eſſet ſenſus per id quod intercedit:ſed quòd eſſet humido commixtum,ſicut & in potu.

*Quòd humidum eſt ſuccorum materia, & quòd opus non habemus eo,quod intercedit,ad ſuccorum apprehenſionem,per hæc probat. Si enim in aqua eſſemus, in eam aliquo dulci iniecto,ipſum ſentiremus. non ſic autem ut & colores per aquā uidemus,neq; ſicut,quæ per aquam olfacimus. In illis enim , etſi non ſint in aqua colores,neq; ea,quorum eſt odoratus,ipſorum fit tamen apprehenſio. Hic autem in ipſam aquam dulce iniectū eſſe oportet,& ,ut materiam,aquam dulcedinem ſuſcepiſſe,& ab ipſa formam accepiſſe,ipſamq; dulcem factam eſſe. Itaq; & in mulſo motu opus eſt,ut uel in aqua in minimas partes comminuatur,quo ipſa mellis ſubſtantia in aqua immiſceatur. Non autem odorabilia,nec ſonatoria,eo quòd hic quidem,guſtata aqua,dulce apprehendimus: illic autem per ipſam,& non ipſam attingentes. Dicit autem Alexander & aliter ſcriptum haberi. Et corpus,in quo ſuccus,guſtabile,in humido,ut aqua. Hanc autem lecturam dicit ſignificare,quòd ſuccus in tali eſt humido, cuiuſmodi eſt aqua. Nō enim uidetur eſſe aër humidorū ſuſceptor,& ſi ſit humidus , niſi ſit ualde uehemens & efficax ſuccus. Sæpe enim ſi adſit abſynthiū,una quoq; guſtu amaritudinē ſentimus,aëre,ſcilicet,propinquo qualitate affecto,& appoſitione paſſo,uel aliqua defluente ſubſtantia,& ei immixta, ut in melle,& aqua. Propterea id fit maximè,cùm eſt recenter collectū,& non exiccatū. Sed in pluribus guſtabilibus qualitatibus nō fit aër earū ſuſceptiuus. Eſt autē aqua uel ſua natura penitus inſipida,ut medicis uidetur,uel propemodum inſipida. Sentimus enim dulcem & ſalſam aquam. & huiuſmodi ei dicunt acceßiſſe qualitates,eo quòd,quæ ſunt aquæ ſubtiliores, eæ magis ſunt omnis qualitatis expertes. Signum autem , quòd quæ colatur aqua,& euaporatur, & horum aliquid ſæpe ſuſtinet,fit propemodum omnis penitus qualitatis expers. Si autē colare,& euaporare,eſt à craßiori,et terreſtri ſeparare:ipſa, ſcilicet,ſecundū ſuā naturā eſt qualitatis expers,ſiquidē terreſtris mixtione fiunt ſucculentæ,& ſapidæ.ſed etſi per ſe eſt omnino ſucci expers,& inſipida,uel propemodū,habet tamen facultatē omniū ſuccorū ſuſceptricem. Omni itaq; ſucco fruitur, ſi ei appropinquauerit: & eius fit materia. In humido ergo ſuccus eſt,ut in aqua. Non enim in humido,ut in aëre.non enim eſt guſtabile,aër:neq; ſuccorū materia. Illud autem, Sicut in potu, eſt exēplū,quomodo,cùm ſumus in aqua,dulce ſentimus : quòd guſtare,ſicut in potu,& non per aliquid quod intercedit.*

Color autem non ſic videtur,eo quòd miſceatur,neq; per effluxiones. Vt itaq;, quod 102
intercedit,nihil eſt:vt autem color,viſibile:ſic guſtabile ſuccus.

*Succū enim ſentimus,cùm in aqua ſumus,quòd ei immiſceatur dulce corpus. Quare,ut dixi,motu quoq; opus eſt:non ſic autem uidemus colores per aërem,uel per aquā.neq; enim miſcētur colores perſpicuo.neq; enim eorū materia fit perſpicuum, ut ſuccorū humidū.neq; coloratū perſpicuum uiſui ſubijcitur, ſed per ipſum colores uidentur.ſed neq; ſic ſunt colores uiſibiles,ut effluxiones in uiſum mittant. Hoc enim oſtendet in libro de ſenſibus & ſenſilibus. Si enim uidēre eſſet ſecundum effluxionē colorū,corpus eſſet effluxio. Si autem eſſet corpus,eam ſuſtinere & pati rationi eſſet conſentaneū,& admotis paulatim tactibus effluere. Præterea ſi eſſet effluxio,cur non à uentis diſpergitur? Neq; ergo,ut mixto aëri colore,uidere fit, neq; ſecundū effluxionem:ſed tanquam per mediū perſpicuum:nō eſt enim materia coloris,neq; ab eo coloratur. Quare nō ſimiliter & guſtum,cùm in aqua ſumus,& colores ſentimus . ut ergo, quod intercedit, nihil eſt:ut color autem, uiſibile:ſic guſtabile ſuccus. Poſtquam dixit,in quo differat guſtus ab alijs ſenſibus: nunc dicit,in quo guſtus cum omnibus alijs,ut ſemel dicam,ſenſibus conueniat. Guſtus itaq;,inquit,in hoc quidem , quòd non per aliquid,quod intercedit alienū,ſubiecta ſibi ſenſilia apprehendat,cum tribus alijs prædictis nihil habet commune: in hoc autem cū tactu cōmunicat. Habet autē aliquid cōmune cum uiſu & auditu. Sicut enim utrūq; eorum habet ſibi ſubiecta, quæ uno nomine appellantur:uiſus quidē colores: auditus uerò ſonos:ſic & guſtus ſibi ſubiecta ſuccos habet. At odoratus nō habet ſibi ſubiecta,quæ proprio nomine appellentur. Si quis enim odorabilia dixerit, ea ex ſenſu denominatiuè nominat , ſicut & uiſibilia:& audibilia:& guſtabilia. Huius autē cauſa eſt , quoniam nō exactū homines habemus odoratū. In eo enim ab alijs animalibus uincimur,cū enim nobis habent exactiorē : ſicut & nos tactū alijs perfectiorē habemus. Quare neq; ſicut ſecūdum ſpeciē,& ea quæ intercedunt,acutū ſonū,& grauē , & molle, & durū, & graue,& leue,humidū,& ſiccū,calidū & frigidū:& uerbi gratia,dicimus quòd ceruſa,& lac,& cygnus unū etiā habent colorē albū : aqua uerò,& lac,& uinū , humidam ſubſtantiā participant:ſic & in odoratu ſecundū ſpeciē odorabilia diſcernere poſſumus:ſed iucundo & moleſto ea ſolum diſcernimus. Neq; enim ſcimus,cuius ſit hic odor odorabiliū ſpeciei. Quid enim eſt,ex quo eſt odor,ſæpe cognoſcimus.ipſe autē odor,cuius ſit odorabiliū ſpeciei,diſcernere nō poſſumus.*

Nihil autem ſucci ſenſum facit, ſine humiditate.ſed habent actu vel potentia humiditatem,vt ſalſum. Eſt enim & ipſum liquefactu

facile,& linguæ liquefactiuum.

*Poſtquam dixit omnem ſuccum eſſe in humido, ut materia: nunc oſtēdit ea quoq;,quæ ſicca eſſe uidentur,ſucci nōnihil habere,quòd humiditatē habeāt,& ſic ſuccum habent, cuiuſmodi ſunt ſales.Nā & ij,quando guſtus eos apprehenderit, ipſiq; liquefiunt,ut qui ſunt potentia humidi,& ſunt linguæ præterea colliquefactiui,ex ea humiditatē exhaurientes,& ſic eā humectantes, & ſiquid ex alijs præterea ſiccis fuerit guſtabile, ut panis,& ſimilia,non quatenus eſt ſiccus,ea eſt ratione guſtabilis:ſed quatenus eſt humiditatis particeps. certè, quæ nimium exuruntur,uel propemodū,uel etiā omnino,fiunt inguſtabilia,ut quæ per ſolū deinceps tactiuū ſenſum operentur.Si autē cū humiditate ſit ſuccorū ſenſus,meritò quendā tactū dixit eſſe guſtum.Si enim in humido quidē eſſet,non autem eius cum eo fieret apprehenſio:non eſſet tangibilis.neq; enim color eſt tangibilis,quoniā in tangibili eſſe habet,eo quòd non cum ipſo colore eſt apprehenſio. Non uidetur autē uerū eſſe,quòd ſeparatim ſit ſuccis attributū humidū.cur enim magis humidū, quàm ſiccum?Piper enim,& gleba armenia,& præterea lapis,& infinita alia,quæ natura ſunt ſicca,& neq; actu,neq; potētia quicquam humiditatis habent, ſiccū tamen habent. & alioqui, qui ſunt in humido ſucci,& pauci ſunt,& qui poſſunt facile circūſcribi: Qui autē in ſiccis,ſunt plures. Plures enim ſunt cibi,quā potus:maximè, cū et ipſe in Meteoris oſtēderit,quòd,quæ ſunt in aquis,diuerſæ qualitates,ut quæ nitri guſtū,& bituminis habeant,& quæ ſunt amaræ,& ſalſæ,ex ſubiecta eis terra tales ſint:& omnino oſtendimus,quòd aqua,quòd ad ſuam naturam attinet,uel ferè,uel omnino,qualitatis eſt expers. Quare in humido potius uidebitur ſuccus ſuā habere conſiſtentiā,nēpe terra. Deinde & aqua,cùm ſit ſimplex,& in terra inſit, innumerabiles ex ea qualitates accipit.Eſt ergo ad hæc dicere,quòd reuera quidem nullum ſimplex eſt uidere,quod ſuccū contineat. Neq; enim ignis,neq; aër,neq; aqua:ſed neq; terra.Nā,ut dixi, &,quæ ſunt ualde exuſta,ea ſunt propemodū inſipida,& ſucci expertia.Sicut enim diuerſi fiunt colores iuxta qualitate prædità ſimpliciū contēperaturā:ſic exiſtimandū eſt ſuccos quoq; fieri. Quòd enim ne in terra quidē ſunt operationes,ex hoc clarum eſt,quòd earū ne ſenſum quidē habemus. Deinde uidemus, quòd,qui ſunt in ipſis plātis,ſucci,cōcocti in alterā trāſmutantur ſpeciē.Sæpe enim eſt primū amarus: Deinde acris: Deinde dulcis:& rurſus dulcis: Deinde acris. In ſimplicibus ſcilicet,nō eſt,ſed fit in cōpoſitis. Cur ergo eis potius humidū ſecreuit & attribuit, Ariſtoteles,quàm ſiccum? Dico ergo, quòd animaduertit humidū quidē omnē poſſe ſuccū ſuſcipere: Quoduis enim ſiccum aqua immixtum,ei poteſt aliquā qualitatē tribuere,ſi uel quis ſolū aquā madefecerit,& nō ſubtilē effectā immiſcuerit. Hoc autē fieri nō poteſt in ſicco. neq; enim quodlibet ſiccū poteſt ſuccū ſuſcipere:neq; ullū omnino omnē quoq; ſuccum admittit,non ſolū,qui eſt in humidis, ſed & multo magis, qui eſt in ſiccis. Sed in humido quidē certè, & quocunq; humido,& eum,qui eſt in ſiccis,& eū,qui eſt in humidis,ſuccū immiſcere contingit. Propterea ergo,ut uidetur, aliud ſubiectum eſſe dicit ſuccis humidum.*

103 Sicut autē viſus eſt & eius,quod eſt viſibile,& eius,quod inuiſibile:tenebræ enim inuiſibiles:has autē viſus quoq; iudicat:Præterea & valde ſplēdidi:hoc eſt enim inuiſibile: aliò autē modo quā tenebrarū:Similiter autem auditus quoq; ſoni,& ſilentij:Quorū illud quidē audibile,hoc verò inaudibile,& magni ſoni,ſicut viſus ſplēdidi. Sicut enim exiguus ſonus eſt quodammodo inaudibilis, ſic & magnus,& violentus.

*Dixi,quòd poſtquā dixiſſet,quid guſtus ab alijs differt ſenſibus: uult dicere,quid cū eis habet cōmune. Poſtquā itaq; dixit,quid cū uiſu & auditu habet cōmune:nunc dicit quid cōmune habet cū omnibus ſenſibus. Sicut ergo alij apprehendūt & propria ſenſilia,& eorū priuationes,& ſenſiliū exceſſus, & defectus:ſic & guſtus. Vt,uiſus apprehendit quidē,inquit,uiſibile,& inuiſibile: uiſibile quidē ut colores: Inuiſibile autē,uel ſecundū priuationē inuiſibile,ut tenebras. Vnuſquiſq; enim ſenſus per ſe propria quidē ſenſilia apprehendit:per accidēs autē & priuationes:ſicut & uiſus tenebras:eo enim,quòd non à uiſibilibus afficiatur,per accidens dicitur apprehēdere tenebras. Apprehendit ergo &,quod eſt ſecundū priuationē uiſibile,& quod eſt per ſe quidē uiſibile,ſed propter nimiū exceſſum ſenſum corrūpit. & ea ratione dicitur inuiſibile. Splendidū enim, cùm ſit uiſibile,quando nimiū excedit,corrūpit ſenſum. Apprehendit &,quod eſt ualde exile & exiguū, quodq; priuationi eſt propinquius:ut lucē eſſe dulcē dicimus. Ea enim ferè etiam dicitur inuiſibilis,quòd non poßit ſenſum exactè mouere. Sicut ergo in uiſu habet,ſic in auditu. Eſt enim audibile quidē,ipſi ſoni:inaudibile autē,quod eſt ſecundū priuationē,ut ſilētiū,quod per accidens dicitur ſenſile:uel ingens, & nimius ſonus. Corrūpit enim & is ſenſum,ſicut & in attonitis. uel exiguus, ut ſuſurrus. Sicut ergo in ijs habet,& in alijs ſenſibus: ſic & in guſtu.eadē enim in omnibus cōueniētia & proportio ſeruatur.*

Inuiſibile autē,hoc quidē omnino dicitur, ſicut & in alijs,quod videri non poteſt: illud verò,ſi cùm natura aptū ſit,non poſſit,vel malè,vt græcè ἄπουν,id eſt,pedū expers,& ἀπύρηνον, baccis vacuū. Sic quidē eſt guſtus eius, quod eſt guſtabile,& eius quod inguſtabile. Id autē eſt,quod paruū,vel malum habet guſtum,vel,quod guſtum corrūpere poteſt.

*Poſtquam dixit uiſum eſſe uiſibilis,& inuiſibilis apprehenſiuum:eſt autē multis modis inuiſibile:inuiſibilis ſignificata diuidit. Dicitur enim,inquit,uiſibile,uel quod penitus uideri non poteſt,ut dicūtur eſſe & incorporea,& quæ ſunt poſt colorē inuiſibilia. Sic itaq; uox eſt inuiſibilis,& odor, &, ut ſemel dicam,quæ ſub alios ſenſus cadunt:uel quod natura quidē aptum eſt ut uideatur, non autem uidetur, ut eſt id,quod eſt in priuatione,ut,quod eſt potentia perſpicuū,ſi non adſit lumen: uel quod ſic dicitur inuiſibile,ut malè uiſibile. Eiuſmodi autem eſt, uel,quod propter ſplendoris exceſſum uiſum poteſt corrūpere: uel,quod propter exilitatē & imbecillitatē non agit in ſenſum. Apprehendit ergo inuiſibile uiſus,quòd eſt inuiſibile; non id quidē,quod uideri nō eſt aptū natura,ut ſonos, &, quæ ſunt alijs ſenſibus ſenſilia: ea enim nō eſſe uiſibilia ratio eſt, quæ iudicat,per inſtrumentū ſenſus,non autē ipſe ſenſus:ſed id, quod eſt ſecundū priuationē uiſibile,ſenſus poteſt apprehendere:& alia quoq;. Viſu enim iudicant etiam irrationalia eſſe tenebras per accidens,quòd non à uiſibilibus patiātur. itaq; & in antris quieſcunt. Nunquid autē &,quod eſt ſecundū priuationē uiſibile,imaginatio eſt,quæ indicat,& non uiſus? Si quidē ſenſus iudiciū habēt in eo,quòd aliquid patiātur:nō patiēter autē in tenebris,operatiōe carent. Quare & ſolū habitū cōſiderāt: non operātes autē,quomodo iudicauerint? Pedū autē expers,& baccis uacuū,nō quod nullos penitus habet pedes,ſed quod paruos, & malos:nam & ſine baccis oleas dicimus,non quæ nullas, ſed quæ paruas baccas habent. Sic & ἄποδα, id eſt,ſine pedibus animalia dicimus,nō quæ nullos,ſed quæ paruos habent pedes. Eſt autē quedā huiuſmodi uolucris hirundini ſimilis, noctu uolans,quæ ueſpertilio dicitur. His dictis,dicit. Et guſtus guſtabile &*

le & inguſtabile apprehendit,non quod non poteſt ſuccũ ſuſcipere:ſic enim eſſe poſſet coloris,& ſoni iudex , ſed ea , quæ poſſunt quidẽ ſuſcipere,non autẽ ſuſceperunt,uel malè ſuſceperunt,aut propter exceſſum,aut defectum.

Videtur autẽ eſſe principiũ,id,quod eſt potabile,& quod impotabile.Guſtus enim quidam vtraq;:ſed hoc quidẽ malũ, & quod guſtum poſſit corrũpere : illud verò ſecundum naturam.

Quoniam dixit omnẽ ſuccũ eſſe in humido:nã & ſicca dicit,quatenus humidi partẽ habent,eſſe guſtabilia:humidũ autẽ maximè & primò eſt potabile:meritò potabile eſt guſtus principiũ:principiũ,ſcilicet,materiale.Sed & inguſtabilis impotabile humidũ principium:quòd impotabile factum eſt per ſucci impotabilis mixtionẽ:ſicut & potabile poculentũ redditũ eſt, per boni ſucci admixtionem.Illud autem , Guſtus enim quidam utraq;,pro eo quod eſt,guſtabilia. Quomodo autẽ impotabile guſtabile,ipſe ſubiunxit,quòd non,ut quod perficiat,ſed ut qđ poſſit guſtum corrũpere,propter ſucci malignitatẽ.Vel ſi ergo audiemus eſſe guſtabiliũ principium potabile , & impotabile: uel principia guſtabiliũ potabile,& impotabile,tanquã in hæc primò diuiſit guſtabilibus,iis autẽ rurſus ſubdiuiſis,in ea , quæ ſunt per ſpecies,guſtabilia. Rurſus potabile quidẽ eſt guſtabile,& conſeruatiuum,& perfectiuum eius,quod eſt ſecundum naturam guſtabile: Impotabile autem, ut præter naturam , & quod poſſit corrumpere.

Eſt aũt cõmune tactus,& guſtus,potabile.

Quoniã potabile humidũ:eſt autem humidũ tactu apprehẽſibile:ut humidũ quidẽ,tangibile:ut talem autẽ habẽs ſuccũ, guſtabile:propterea guſtus & tactus eſt cõmune:tactus quidẽ, ut eius proprium ſenſile:guſtus uerò,ut materia, & uehiculum guſtabilium.

104 Quoniam autẽ humidũ eſt guſtabile , neceſſe eſt eius ſenſoriũ,neq; eſſe actu humidũ, neq; tale,quod humectari non poſſit. Guſtus enim à guſtabili patitur , quatenus eſt guſtabile.neceſſe eſt ergo humectatum eſſe, quod poteſt humectari ſeruatum.non humidũ autẽ guſtatiuum ſenſorium.

Quoniam potentia eſt ſenſorium , quale ſenſile ſecundum actum:eſt autẽ guſtabile humidum:oportebit guſtatiuum ſenſum eſſe potẽtia humidũ,nõ actu: ut humiditate, in qua eſt ſuccus, apprehenſa,illi aſsimilatus, fiat actu humidus.Si enim eſſet actu humidus,ab ea,quæ eſt in ſuccis , humiditate non amplius pateretur: ut quæ iam ante talis eſſet.Sic autẽ neq; ſuccos apprehenderet,propriã humiditatẽ admiſcens, & ſucci uires faciens euaneſcere.Iam uerò & eo ſucco , qui in ipſa eſt in proprio humido,oblatũ perturbans,& confundens, eũ non apprehẽderet.Quod enim eſt propius,id,quod tangit,attingit . propriam itaq; humiditatẽ ſentiret: nã & eã primã tãgeret. Sicut ergo in alijs ſenſilibus,& ſenſibus habet: potentia enim erat unumquodq; ſenſoriũ tale,quale erat actu eius propriũ ſenſile: ſic & in guſtu habet. Neceſſe eſt ergo eſſe humectatum , quod humectari quidẽ poteſt,ſeruatũ,non humidũ autẽ guſtatiuum ſenſoriũ.Si enim ſenſus patitur à ſenſili: humidũ autẽ guſtabile:neceſſariò ergo guſtatiuũ ſenſoriũ ſic natura aptũ eſt humectari,ut etiã in humiditate propriã ſeruet naturam. Non eſt enim corruptiua,quæ ſenſorio immittitur humiditas , ſed cõtra ſeruatrix,& perfectrix. Quòd autẽ non omnino à ſuccis humectetur guſtatiuũ ſenſoriũ,ſcilicet,lingua,ſed à nõnullis etiã fiat ſiccior,iam dixi in iis,quæ prius dicta ſunt. Neq; ergo piper,neq; ſalſamẽta,neq; ſiccus panis,neq; alia innumerabilia huiuſmodi linguã humectant,etſi ſint guſtabilia: ſed potius exiccant , non ut ſucculenta & ſapida,ſed propter aliquam tangibilem qualitatẽ,ut ſiccitatẽ,& calidıtatẽ.Neq; enim ſiccus panis exiccat,uel,uerbi gratia,cicer frixum,aut bellaria,& ſimilia:ſed eo quòd ſunt ſicca,uel calida,eã,quæ eſt in lingua,humiditatẽ exhauriunt.Illud autẽ,Seruatũ,dici poteſt,etiã ut ab alijs ſeparet,& diſtinguat,ut nitro , & ſimilibus. Ea enim humectantur non ſeruata,utpote quæ liqueſcant.

Signum autem,quòd neq; cùm eſt exiccata lingua ſentiat,neq; valde humida . Ipſa enim fit tactus primi humidi.ſicut quãdo prægustato quis vehementi ſucco , alium guſtet. & quemadmodum ægrotantibus omnia videntur amara, eo quòd lingua tali humiditate plena ſentiat.

Signum,inquit,quòd oporteat linguã eſſe potentia humidam,non autẽ actu,quòd quicunq; habent linguã immoderatè ſiccã,uel humidã,hi non apprehendunt guſtabilia. Deinde huius quoq; cauſam adiungit.Ipſa,enim,inquit,fit tactus primi humidi:id eſt,propterea non apprehendit lingua ualde humida ſuccos,quod,quæ in ipſa eſt,boni ſucci humiditas, ipſa quoque prima eſt linguæ accedens tactus,ipſa ſui ipſius apprehenſionẽ præbens, & ea ratione nõ ſinens exteriorẽ apprehendere.eius enim,quod eſt appoſitũ,& quod primum tangit,fit guſtus. Signum autẽ huius dicit,quòd,qui aliũ ſuccum & maximè paulò uehementiorẽ prægustarunt,ſecũdos non amplius ſimiliter ſentiunt.Sed & iis,qui regio morbo laborãt, omnis uidetur amarus ſuccus:eo quòd humiditas,quæ eſt circa linguã, hunc ſuccũ habeat:quem primũ guſtans,non apprehendit eos,qui adhibẽtur.Sed quæſiuerit aliquis.Atqui ſi eſt amarus,qui eſt circa linguam,ſuccus,oportebat,quando mel adhibetur , uideri minus amarũ,dulci immixto,& amari immoderationẽ caſtigãte:nunc uerò quando dulce adhibetur,tũc magis amaritudinẽ apprehẽdit.Hoc autem non eſt uerum:non enim tunc magis apprehendit:ſed quia iã ante hoc quieſcit ſenſus:eũ,qui eſt circa illã, ſuccũ non apprehẽdit.nã & ſi nihil adhibitũ fuerit,magis amaritudinẽ ſentiet.Sicut ergo is,qui humidam habet linguã , minus ſentit:ſic &,qui nimiũ ſiccã.Oportet enim,ut dixi, ſenſorium affici à guſtabili,quod eſt humidũ: quod eſt autẽ nimis ſiccum, ab humido minus affici,& lõgiori tempore.Declarãt autem id exiccata coria, quæ longo tẽpore ab humido non afficiuntur.

Succorum autẽ ſpecies,ſicut & in coloribus,ſimplices quidẽ ſunt cõtrariæ, dulce , & amarum. Coherentes autẽ,illi quidẽ,pingue: huic verò,ſalſum. Inter hæc autẽ,acre , & auſterum,& acerbum,& acidum. Ferè enim hæ eſſe videntur ſuccorum differentiæ. 105

Enumerat ſpecies guſtabilium. Sicut enim in coloribus alia quidem ſunt ſimplicia,quæ & contraria,album,& nigrũ . neq; enim hæc ex alijs ſunt mixta coloribus,neq; inter ſe. Quæ autẽ inter illa interiecta ſunt ,non ſunt amplius ſimplicia: ſed quadã eorũ inter ſe mixtione perficiuntur. & ſunt nonnulla quidem eorũ albo propinquiora,ut flauũ: alia uerò,quæ ad nigrũ propius accedunt,ut ceruleũ.reliqua uerò ſunt intermedia , ut fuſcum,rubrũ.ſic & in ſiccis.Nam & in iis ſimplicia quidẽ ſunt rurſus contraria,dulce,& amarũ.Reliqua uerò mixta & intermedia.ſed dulci quidem propinquius eſt pingue: amaro uerò ſalſum. Reliqua autem,quæ enumerat,ea ſunt intermedia . non autem &,quæ ſunt intermedia,mixta. Quæ enim ſunt mixta, ea ſunt quoq; intermedia: non ita autem & contra: Vt in coloribus,fuſcum quidem quod mixtũ eſt,eſt & intermedium. Rubrum uerò,uel uiride ſeu porraceum,non omnino ſiunt ex con-

*trariorum mixtione:ſed intermedia dicuntur,ut quæ neutrius extremi partem habeant.Sic autem & in ſuccis, mixtum quidẽ eſt ſalſum,ut ſales.ex amara enim aqua marina,& dulci generantur.Acre autem, & auſterum , & acutum, quòd neutrius extremorum partem habeant,ſic ſunt intermedia. neq; ex extremorum mixtione omnino generantur. Octo autem ſpecies ſuccorum enumerat.& ferè hæc quidem ſunt.quæ dicit eſſe. Si quid enim eſt aliud,prope eſt,ut ſit ſucci & ſaporis expers: ut flaccidum,uel quid eiuſmodi.*

Quare guſtatiuum quidẽ eſt,quod eſt potẽtia tale:guſtabile autem,quod eſt eius actu effectiuum.

*Poſtquã dixit de guſtatiuæ facultati oppoſitis ſeu obiectis, dico autem guſtabilibus: deinceps dicit de guſtatiua,ea, inquã, facultate , cuius gratia & de oppoſitis uerba fecit , ut & in alijs ſenſibus,Hoc autem declarauit,cùm dixit,Quare guſtatiuum quidem eſt,quod eſt potentia tale,uelut orationem concludens.Tale eſt ergo,inquit,guſtatiuum potentia,quale guſtabile actu,uel dulce,uel amarum,uel quid eorũ,quæ ſunt intermedia.Quod quidem guſtabile facit guſtatiuum actu tale,quale eſt ipſum.*

Cap. 7. 106 De tangibili autem & de tactu eadem eſt ratio. Si enim tactus non eſt vnus ſenſus , ſed plures:neceſſe eſt & tangibilia eſſe plura ſenſilia. Habet autem dubitationem, vtrum ſint
107 plures an vnus:& quidnam eſt ſenſoriũ tangibilis tactiuum,vtrum caro,& quod in alijs habet proportionem,& cõuenĩẽtiam, vel nõ. Sed hoc quidem eſt id,quod intercedit : primum autẽ ſenſorium eſt aliquid aliud intus.

*Adhuc ſupereſt,ut de tactu dicat , ex omnibus ſenſibus , de quibus nunc tractat . Duas autem dubitabiles propoſitiones, quæ ſunt præter opinionem,& fidem,in ijs confirmat. Vnam quidem,quòd tactus non eſt unus ſenſus,ſed plures.Secundã autem,quòd non eſt caro tactiuum ſenſorium : ſed eſt aliud quidẽ ſenſorium:caro autem intercedit , ut in alijs uel perſpicuum, uel odoriferum,uel ſonorum tranſuectiuum,uel ut,quod eſt cõpoſitum,aër,& aqua. Quòd itaq; nõ unus eſt tactiuus ſenſus, ſed plures,per duo argumenta confirmat.Vnum quidem, quòd omnis unus ſenſus circa unam contrarietatem uerſatur : tactus autem non circa unam uerſatur contrarietatem,ſed plures. Nõ eſt ergo tactus unus ſenſus . Viſus enim uerſatur circa album, & nigrum,& ea quæ intercedũt.Similiter guſtus circa dulce, & amarũ,& ,quæ ſunt intermedia. Auditus circa acutum ,& grauem ſonũ.Odoratus uerò,cùm ſit,ut diximus,exilis & exiguus,odorabilia per ſpecies non dijudicat, preterquam iucundo,& moleſto.Sed tactus circa plures uerſatur contrarietates, quæ neq; ſub ſe inuicem ſunt collocatæ,neq; ullam inter ſe ſocietatem,& communicationem habent,ut calidum,& frigidũ: ſiccũ & humidum:molle & durum:graue & leue: aſperũ & lene:uiſcoſum,friabile:& ſimilia.Quare ſi hæ ſunt plures oppoſitiones,quæ non ſunt ſub ſe inuicem collocatæ:quid enim cõmune habet graue,& leue cum ſicco & humido, uel reliquis, uel unumquodq; aliorum cum cæteris ? unuſquiſq; autem unus ſenſus circa unã ſenſilium oppoſitionem uerſatur : uidetur non unus eſſe ſenſus tactus.Vnum eſt ergo principium hoc argumẽtum.ſecundum uerò, Omnis quidem unus ſenſus circa unum genus:tactus autem non circa unum genus.Viſus enim circa colores.Guſtus circa ſuccos. Auditus circa ſonos. Odoratus uerò propter eam ipſam cauſam,propter quam odorabilium ſpecies non diſcernit,nec ipſorum genus habet nominatũ.Tactus autẽ, et ſi ſit apud nos exactiſſimus,unum tamen genus nõ habet , nec nominatum,nec innominatum,quod propria ſibi ſenſilia poſſit comprehendere.Hæc ſunt ergo argumenta,quòd tactus non eſt unus ſenſus.Themiſtius autem dicit hæc quidẽ eſſe uera:ſe uera enim non unũ eſſe ſenſum,ſed plures ſenſus,tactum . Duorũ autem,inquit,argumentorũ ad ſecundũ quidem nihil dicere conatus eſt Ariſtoteles:prius autem labefacere aggreſſus eſt: ſed nos ſophiſticè fefellit.Dicit enim ne alios quidem ſenſus circa unã oppoſitionem fieri,ſed plures. Vox enim non ſolum circa grauem & acutam uerſatur:ſed eſt etiam in uocibus aſpera & lenis: candida, & fuſca:magna , & parua:longa , & breuis. Similiter autem & in coloribus eſt aſperũ,& leue. Leue quidem,quod uiſum delectat,ut color luciferi:aſperum uerò,quod moleſtia afficit.Hæc autem,inquit,dicens,nos falſa argumentatione decepit.Cùm enim dixiſſet omnem ſenſum circa unã ſenſilium oppoſitionem uerſari:clarum eſt , quòd propriorum dixit ſenſiliũ.Deinde hanc orationem labefactare tentans , dicit, quòd etiam auditus non ſolum uerſatur circa acutũ, & graue: ſed & circa magnum,& paruum.Magnum autẽ & paruũ eſt ex communibus ſenſilibus.Oportebat autem oſtendere , an alij ſenſus circa plures oppoſitiones propriorum ſenſiliũ uerſentur. Hæc quidem Themiſtius:ſeipſum autem decipi neſciuit. Magnum enim & paruum,quod de ſonis dicitur,ſolius eſt auditus propriũ.Quare nullus alius ſenſus poteſt,quod eſt in ſonis,magnum & paruũ iudicare,præter auditum.Dicebatur autem eſſe cõmune ſenſile magnũ,& paruum,quod eſt in corporibus continuũ: Huius autem eſt tactus,& uiſus iudex. Clarum eſt autem,quòd ſi uocem candidam & fuſcam dicimus,ſecũdum conuenientiam,& ſimilitudinem,quæ eſt à coloribus, dicimus. Similiter & in alijs. Sed eſt & ad hoc dicere, quòd magnum, & paruũ,quod eſt in ſonis, non eſt alia quædam oppoſitio ab acuto & graui ſono:quemadmodum in tactu à calido & frigido,alia eſt penitus oppoſitio.graue & leue , uel aſperum , & planum,& unaquæq; aliarũ:ſed ſonorum intentionem, uel remiſſionẽ declarat.Id autẽ nõ eſt alius oppoſitionis propriũ.Tale ergo magnũ & paruũ dicis,ut mellis,uerbi gratia,magnũ:caricæ autẽ fortaſſe paruum,quòd eſt quidẽ intenſa in melle dulcedo,in carica autem remiſſa.Sed & nigrum colorem,qui ſatis quidem eſt copioſus,magnum quiſpiam dixerit:qui autem non ſic habet,ſed eſt remiſſior,paruum:quod eſt , ut ſemel dicam, uehemens,& exiguum,magni, & parui uoce nominans . Sed etſi fuſcam uocem & candidam dicamus,non aliam oppoſitionis uocum ſpeciẽ dixerimus.neq; enim eorũ ab acuto & graui diſtinctionem eſt inuenire,ut durũ & molle eſt ab alijs ſeparatum uidere. Similiter autem & aſperum & leue: ſed ſunt ueluti quædã proprietates,quæ in acuto & graui conſiderantur.Non eſt autẽ quidã à forma receſſus circa acutũ , & grauẽ ſonũ.Eſt autẽ operæpretium quærere,quamnã ob cauſam, cùm magnũ & paruũ de ſolis magnitudinibus dicatur,in ſolis uehementibus & exilibus ſonis tranſlatione utimur , dicentes magnum & paruum ſonum:non autẽ magnũ dulce , quod eſt admodum dulce,neq; paruũ dulce,quod habet exiguã,& nõ ſatis apertam dulcedinẽ , neq; in ullo alio.Dico ergo,quòd ſonus nõ eſt res aliqua accumulata ſubſiſtens:ſed in eo,quòd fiat , ſubſiſtit:fit autẽ in tẽpore:eſt autẽ omne tẽpus continuũ: propterea eũ,qui fit in multo tempore,ſonũ magnũ dicimus:qui autem in paruo tempore,paruũ.Valde dulce autẽ,& ualde nigrũ in alijs quoq; propter qualitatis uehementiã ſunt talia , non autẽ propter temporis longitudinẽ.Non rectè itaq; Themiſtius aduerſus ea,quæ ab Ariſtotele dicta ſunt,argumento inſtitit. Illud autem dici poteſt,quòd in tangibilibus quidẽ plures aſſumptæ ſunt oppoſitiones,quæ nihil inter ſe habent commune,ſed ſunt penitus ſeparatæ.à calidi enim & frigidi oppoſitione ſeparata*

parata

paraīa eſt, quæ fit per humidum, & ſiccum. Vnde ignis quidem calidus, & ſiccus: aqua uerò frigida & humida. Similiter durũ, & molle: aſperum, & leue: uiſcoſum, & friabile: hæc omnia ſunt à ſe inuicem ſeparata. Nihil ergo horum neq; in igne conſyderatur, neq; in aëre, nec aqua: neq; omnia compoſita corpora conſequitur. neq; enim quodlibet eſt uel uiſcoſum, uel friabile. Qui itaq; ſunt rigidi, & fractu difficiles lapides, neq; uiſcoſi ſunt, neq; friabiles. Eſt enim in humido uiſcoſum. Oppoſitiones autem, quas dixit in ſonis Ariſtoteles, in omni uoce eſt inuenire. Omnis enim uox magna eſt uel parua. Nam & acuta, uel magna eſt, uel parua, uel lenis, uel aſpera. & grauis ſimiliter. Omni itaq; uoci contingit. ſecundum enuntiationis enim quantitatem, magnum habent, & paruum. Similiter & lene & aſperum ſecundum qualitatem: quare non ſunt oppoſitiones diuerſorum audibilium, uel ſonorum. In tactu ſunt à ſe inuicem, ut oſtendimus, ſeparatæ oppoſitiones, & nihil habentes inter ſe commune, neq; aliæ cum alijs concurrentes. Vnde nec in omnibus quidem tangibilibus conſyderantur. Cur enim non, ſicut omnis uox uel magna eſt uel parua, uel aſpera uel lenis, ſic quodcunq; tangibile eſt uel uiſcoſum, uel friabile, uel aſperum, uel leue? Si autem unumquodq; eſt calidum, uel frigidũ, uel ſiccum, uel humidum: id eſt eam ob cauſam, quòd hæ ſint oppoſitiones, quæ corporum ſubſtantiam conſtituant. Si autem graue, & leue omnia ſunt ſortita corpora: ſed non, ut quæ cum alijs qualitatibus concurrant, caliditate, inquam, & frigiditate, uel ſiccitate, & humiditate. Non ſicut quantitatem ſonorum, quorum & qualitatem, conſecutum eſt magnum, & paruum, & aſperũ, & lene: ſic & quantitatẽ calidi, & frigidi, & ſicci, & humidi, intenſionem, inquam, & remiſsionem, conſecutum eſt aſperũ & lene, uel graue & leue, & reliqua ſimiliter. Neque quoniam omne compoſitũ eſt uel aſperum, uel lene, propterea qualitates ipſæ aliarum ſunt qualitatũ quædam ſequelæ. Potius enim partium poſitionem conſequuntur. Circa æqualem enim uel inæqualẽ partium poſitionẽ fit aſperum & lene. Sunt itaq; hæ omnino à ſe inuicem ſeparatæ, & nihil ipſis ſimile eſt in alijs ſenſilibus uidere. Ad ſecundum autẽ argumentũ exiſtimat quidem, ut dixi, Themiſtius nihil ab Ariſtotele dictum eſſe: dico autem, quòd cum omnis ſenſus circa unũ aliquod ſenſile uerſetur, tactus non uerſatur circa unum commune genus ſenſiliũ. At hi autem interpretes rectè intelligentes dicunt, quòd admodum compendiosè huius quoq; ſolutionem poſuit Ariſtoteles, dicens ipſum quoq; circa unũ aliquod genus uerſari: nõ eſſe autem apertum unũ genus, quod ſit tactui ſubiectũ. Per hoc ergo ſignificauit, quòd eſt quidem. ſed non eſt apertũ. Quid ergo hoc eſt? dicimus quòd reſiſtens. Reſiſtens autem dico, non quod eſt molli oppoſitũ, & tactui non cedit: ſed omne naturale corpus, quod admouetur, & tactum attingit: ad mathematicorum corporum differentiam, quæ neq; attingunt, neque tactui reſiſtunt. Quod igitur quomodocunque tactui reſiſtit, hoc dicimus eſſe reſiſtens, & eſſe commune genus tangibilium. Non uidetur autem hoc caliditatem, & frigiditatem comprehendere. Horũ enim non fit ſecundum truſionem apprehenſio: niſi quis dicat, cum corporibus, quæ ſunt his qualitatibus ſubiecta, fieri apprehenſionem. Hæc ergo erit uniuerſalis oratio. Sed ſi ita eſt, cur tangibiliũ genus magis fuerit reſiſtens, quã uiſibiliũ, & audibiliũ, & reliquorũ? Eſt enim hoc ſubiectũ non ſolum tangibilibus qualitatibus, ſed & coloribus, & ſonis, & ſuccis, & odoribus. Si enim nihil aliud ſignificamus dicendo reſiſtens, quàm corpus naturale: cur ipſum magis ſubiectũ eſſe dicemus tangibilium qualitatũ, quam aliorũ omnium? Et, ſi omne unum aliquod genus omnino in unam primam oppoſitionem diuiditur: ut color quidem in album, & nigrũ: ſuccus in dulce, & amarũ: odores in bene olẽs, & malè olens: ſonus in acutum & grauẽ: dent reſiſtentis quoq; differentiam: & dicant in quam primam oppoſitionem diuidetur: præter id, quòd, ut iam dixi, non eſt rationi congruum, ut ad id referatur caliditas, & frigiditas: ſiccitas, & humiditas. Eſt ergo hoc reſiſtens, tangibiliũ nõ genus, ſed ſubiectum, ſicut & aliorũ. Non ſic autem dictũ eſt illud, omnem ſenſum unum circa unum aliquod ſenſiliũ genus uerſari: id eſt circa unum aliquod ſubiectũ ſenſiliũ. Communiter enim omnium unũ eſt aliquod ſubiectum, ſed genus dictum eſt, quod de pluribus, & ſpecie differentibus in eo, quod quid eſt, prædicatur: ſicut color de albo, & nigro: utrũq; enim color: ſonus de acuto, & graui: utrũq; enim ſonus: Succus de dulci, & amaro: utrũq; enim eſt quidam ſuccus: & in reliquis ſimiliter. Quare, quòd ad hæc attinet, nullum argumentum ſolutionem habuit. His duobus argumentis poſitis quòd non eſt unus tactiuus ſenſus, dehinc tertiam ponit rationem, quæ tuetur non unum eſſe ſenſum tactum. ſed plures: non autem ex hoc loco id aſtruit: ſed eſt inſtantia aduerſus ſyllogiſmum, qui conatur oſtendere, unũ eſſe tactiuũ ſenſum, & non plures. Qui ſyllogiſmus non ponitur quidẽ: ſed quia Ariſtotelis confutatio uidetur, ut aduerſus talem ſyllogiſmum, inſtantiam facere: propterea interpretes ſyllogiſmũ, quem Ariſtotelis confutationes ſoluunt, coniectura aſſecuti, eum eiuſmodi eſſe dicunt. Si tactus ſenſorium unum eſt caro: neceſſe eſt & tactiuum ſenſum unũ eſſe. Quorum enim ſenſoriũ unum eſt, ea ſunt inter ſe quoq; eadem. eorũdem autẽ ſenſilium & unus quoq; ſenſus eſt. Atqui unũ tangibilium eſt ſenſorium caro. & tactiuus ergo ſenſus unus eſt. Huius ergo ſyllogiſmi & connexum, & aſſumptionẽ oſtendit eſſe falſam. Et connexum quidẽ ſic. Non neceſſe eſt, inquit, ſi unũ eſt ſenſoriũ, propterea ſenſum quoq; eſſe unum. Ecce enim unũ quidem eſt ſenſorium, lingua: diuerſi autem ſenſus, & ſenſilia: & tactiuus, & guſtatiuus: & tangibilia, & guſtabilia. Et quòd diuerſi, clarum eſt, quòd per totũ quidẽ reliquũ corpus ſentimus ſecundum tactum: non autem guſtamus: ſed tamen in lingua, quæ eſt unum ſenſorium, utriq; ſenſus concurrunt. Eſt ergo falſum dicere, quòd ſi unum eſt ſenſorium, eſt unus quoq; ſenſus. Nam ſi, ut dicit, ambo in lingua concurrerint: ſic contigerit & in toto corpore concurrere, ita ut non ſolum toto tangamus, ſed etiam guſtemus: neq; eos eſſe diuerſos ſenſus diſcreuerimus, ſed unum eſſe, & eundem exiſtimauerimus. Iam uerò quia non conuertuntur, nec quodcunq; tactum habet, guſtus quoq; eſt particeps: oſtenditur eſſe alium à guſtu tactũ: non ergo, eo quòd ſit unum ſenſoriũ, unum quoq; eſſe ſenſum neceſſe eſt. Cõtra autẽ, quòd plura ſint ſenſilia, plures quoq; eſſe ſenſus, eſt rationi conſentaneum: ſicut in lingua. Quare non ſi tactiuum eſt ſenſorium unum, omnino eſt & tactiuus ſenſus unus. Sic ergo connexũ ſuſtulit. Tollit autem & aſſumptionem, quòd omnino caro non eſt tactus ſenſorium. Quoniam autẽ in idem cõcurrit & ſyllogiſmi aſſumptionis confutatio, & ſecunda propoſitio: utrunq; enim uult non eſſe carnem ſenſoriũ: confirmat utrũq; communibus argumentis. Hoc autẽ oſtendit, dico autem non eſſe carnẽ ſenſorium, rationes, quibus utebantur, qui carnem uolunt eſſe ſenſorium, ad probandum eam eſſe ſenſorium, & exponens, & refellens. Hæ autem ſunt tres numero. Vna quidem ex apprehẽſione, quæ fit ſine tempore, eo quòd ſine tempore, ſimul ac carne tangibilia attingimus, ea apprehendimus. Si enim caro eſſet, quod intercedit, & non ſenſorium: aliquo ad apprehenſionem tempore opus eſſet: in quo oporteret carnem affectam, in ſenſorium, quod eſt intus, ſuam affectionem tranſmittere: Eſt enim rationi conſentaneum: ſicut in auditu, cuius per id, quod intercedit, non abſq; tempore fit apprehenſio, ſimul ac factus eſt ſonus: maximè quando fuerit longè quod ſonat: ſed aliquo tempore opus eſt, ut afficiatur aër, deinde eum ad auditum traijciat. Sic itaq; in Meteoris oſtenſum eſt, quòd quamuis prius fiat to-

*nitru, ipſum poſterius apprehendimus: Fulgur autem prius, & ſi poſterius factum ſit: idq; & propter auditus craſſitudinem, & uelocem motum luminis. Similiter & in remigatione, remũ prius ſublatum uidemus: deinde ſonum ſentimus. Similiter olfactus, qui eſt auditu corporalior, lõgiori ad apprehẽſionẽ tẽpore opus habet, etiam ſi ualde prope fuerit odorabile: donec affectus aër ad nares tranſierit, ut celerius ad ſenſorium perueniat affectio. Sed & ipſe uiſus, qui eſt ſenſuum acutiſſimus, nõ omnino ſine tempore habet exactam uiſibilium apprehenſionem. Si enim circulus eminus in oculum inciderit, in eadem ſuperficie ſitus, in qua eſt & oculus: uidetur eſſe recta. &, quæ ſunt triangula, eminus circularia uidentur, etſi ea uiſus attingat. Sicut ergo in his, quæ per id, quod intercedit, apprehendũtur, qui eſt corporalior ſenſus, longiori ad apprehenſionem tẽpore opus habet: ſic utique eſt rationi congruum, & tactum, ſi quidem caro non eſt ſenſorium, ſed quod intercedit, non ſine tempore, ſimul ac attigerit, apprehendere: ſed aliquo tempore ad apprehenſionem opus eſſe, donec affecta caro, ad ſenſorium, quod eſt intus, affectum tranſmittat. Ea eſt quidem una ratio eorum, qui uolunt carnem eſſe ſenſorium. Hæc uerò eſt alia. Si, inquit, ne aliud quidem tactiuum ſenſoriũ uidemus præter carnem: ſuperuacaneũ & ineptum fuerit hoc quidem prætermittere, aliud uerò quærere, quod non apparet. Tertia uerò ratio eſt inſtantiæ ſolutio. Qui enim nolunt carnem eſſe ſenſorium, ſed id quod intercedit, quandam eiuſmodi inſtantiam iis, qui uolunt eſſe ſenſorium, afferunt. Si caro eſt ſenſorium: quod in omnibus ineſt ſenſorijs, neceſſe eſt utiq; in ea quoq; uideri. Sicut ergo in illis, per aliquid, quod intercedit, fit apprehẽſio, aërẽ, dico, uel aquam: ſic & in hac oportebat, per aliquid, quod intercedit, carni ſenſilia admouere. In alijs itaq; ſenſili ſenſorio ſuperpoſito non fiebat ſenſus: ſi autem hoc non fiat: ſed ipſum tangibile caro ad eius apprehenſionem attingit: uidetur nõ eſſe ſenſorium, ſed id, quod intercedit: ſiquidem in omnibus ſenſibus eandem ſeruare oportet conuenientiam, & tactum ab alijs ſenſibus non differre. Guſtus enim tactus quidam eſt, & habet eadem dubia. Hanc inſtãtiam labefactare conatur, quàm apertiſſimè fieri poteſt, eorum partes defendens, qui carnem ſenſorium eſſe uolunt. Dicit ergo, quòd in tactu quoq; eadem ſenſuum proportio, & cõuenientia ſeruatur, & per aliquid, quod intercedit, fit apprehenſio. Quemadmodum enim ſi digitos in aqua uel in oleo intingamus, deinde hoc tangamus, eſt inter digitum, & id, quod tangit, humidum aliquod corpus: ſeiuncto certè digito adhuc in eo uidemus humidam ſubſtantiã: ſed propter exiguitatem eius, quod intercedit, uidentur citra medium ea, quæ tanguntur, tangi. Sic neceſſariò & in aëre cõtingit eſſe inter ea quæ tanguntur aërem aliquem, latere autem propter exiguitatem. Quare & in tactu non citra medium carnis eſt apprehenſio, ſed per aliquid, quod intercedit. Quòd ſi ita eſt, hic quoq; ſeruatur tactus cum alijs concentus & conueniẽtia. His ergo rationibus, per quas aſtruere uidetur, quòd caro ſit tactiuum ſenſoriũ, peremptis, ſatis oſtẽdit carnem non eſſe ſenſorium, ſed id, quod intercedit. Quòd ſi ita eſt, & hic quoque ſeruatur tactus cum alijs concentus. Has itaque rationes, per quas aſtruere uidetur carnem eſſe tactiuum ſenſorium, & non id, quod intercedit, earum quidem primam, quæ ex tempore apprehenſionis, confirmat carnem eſſe ſenſorium, ſic refellit. Nõ eſt neceſſe, inquit, ad oſtendendum carnem eſſe ſenſorium, ut ſimul cum eius tactu fiat apprehenſio tangibilium. Iam enim ſi quis, inquit, circa digitum pelliculam extendat, ut oui, uel allij corticem, uel alicuius huiuſmodi, nihilo ſecius ſic quoq; fit cum tactu apprehenſio. Quòd ſi quis digito quoq; congenitum corticem cogitauerit, multo magis minimum impedimentum afferet. Si alieno itaq; corpore carni circumpoſito, nullum extitit impedimentum ad apprehendendum ſine tempore: multo magis carne ſenſorio congenita, impediri non oportere apprehenſionem ſenſilium. Non ergo apprehenſio, quæ fit ſine tempore, carnem eſſe ſenſorium oſtendit. Aduerſus ſecundam autem rationem, quæ dicit ne apparere quidem aliquod aliud ſenſorium præter carnem, illud dicit. Quemadmodum, inquit, ſi congenitus nobis eſſet aër, adeò condenſatus, ut & uiſiuum, & auditiuum, & odoratiuum ſenſorium tegeret: exiſtimaremus, eo quòd per unum & eundem, dico autem nobis congenitum aërem, & uideremus, & audiremus, & olfaceremus, quendam unum eſſe ſenſum horum omnium apprehenſiuum: quòd non uideant diſcretas partes, per quas horum apprehenſiones particulatim fiunt: nunc autem quoniam uidemus diuiſa ſenſoria, quia non eſt nobis aër congenitus: uel per unum diuerſa apprehendimus, dico autem aerem, qui ſua perſpicua, & perſonatrice, & odorum tranſuectrice facultate nobis ſenſilia adducit. Similiter & quòd diuerſæ ſunt facultates, ſicut & ſenſoria, ſic non oportet exiſtimare, quoniam per unum aliquod, nempe carnem, diuerſa tangibilia nobis fiunt apprehenſibilia, ita & unum aliquod eſſe ſenſorium. Sed quoniam diuerſæ ſunt tangibilium oppoſitiones, plura quoq; ſenſoria eſſe oportet, ea autem occultari, quòd caro ſit nobis congenita, quæ inter ſenſilia & ſenſoria media intercedit. Nam ſi caro nobis non eſſet congenita, ſed ſeparari ſuapte natura poſſet, ſicut aër: apparerent, quæ nunc per eam occultantur, tangibilium ſenſoria. Quemadmodum è contrario, ſi quis in dicto exemplo uiſibilium & odorabilium & audibilium differẽtiam neſciret, quòd eſſet, uerbi gratia, nobis congenitus aër, exiſtimaret eſſe horum omnium ſenſorium, nobis congenitum aërem. Non ergo propterea quòd non aliud uideatur tangibilium ſenſorium præter carnem, id ſatis eſt ad probandum carnem eſſe ſenſorium. Ego uerò ad hoc dixerim, quòd ſi plura eſſent tangibilium ſenſoria, à carne, quæ intercedit, occultata, quoniam neceſſe eſt in corpore eſſe ſenſoria, neceſſe eſt utiq; ea eſſe locis diuiſa: ſicut & nunc locis à ſe inuicem diuiſa ſunt ſenſoria. Quòd ſi ea locis diuiſa eſſe neceſſe eſt, oporteret non quodlibet tangibile cuilibet parti carnis admotum eſſe apprehenſibile. Quemadmodum, ſi aër eſſet nobis congenitus, & admotum eſſet uiſibile, non in illa aëris parte, quæ oculo directò obijcitur, ſed, quæ auditiuo meatui, non uideretur: ita ſcilicet & nunc omnino neceſſe eſſet, ſi plura eſſent tangibilium ſenſoria à carne occultata, quandoquidem ea ſunt locis diuiſa, non quacunque... non qualibet carnis parte quamlibet tangibilem ſpeciem admotam eſſe apprehenſibilem. nunc autem ita eſt. clarum eſt ergo, quòd non plura ſunt intus ſenſoria. Si quis autem dicat plura quidem eſſe: unumquodq; autem omnia apprehendere: ſuperuacaneum. unum enim ſufficeret. non ſunt ergo plura tangibilium ſenſoria, ſed unum. Quòd ſi unum eſt, omnino carnem eſſe neceſſe eſt. Cùm ſit enim ſimilarium partium, per uniuerſum animal ſecundum continuitatem peruadit caro. Sic itaq; ſecundam rationem & Ariſtoteles refellit, & nos aduerſus illum contradiximus. Tertiam autem rationem hoc modo. Ea autem erat, quæ inſtantiam diſſoluebat, quæ aduerſus eos opponebatur, qui carnem uolunt eſſe ſenſorium. Inſtantia autem erat, quòd non ſeruat caro eam, quæ eſt in alijs ſenſorijs, proportionem, & conuenientiam, dico autem apprehenſionem, quæ fit per id quod intercedit. Diſſoluitur autem, quòd ſit hic quoq; ſimiliter id, quod intercedit: ut in iis, quæ in aqua attinguntur, eſt adhærẽs humidũ: ſic & in aëre eſt rationi cõſentaneum eſſe breuem quendã inter ea, quæ tangũtur, aërem. Hanc ergo ſolutionem refellit Ariſtoteles. Et ſi enim, inquit, et in iis,*

quæ tanguntur, eſt aliquid, quod intercedit, ſed non quod cum alijs ſenſibus proportionem, & conuenientiam habeat: commune tamen eſt id paruũ, quod intercedit, in alijs quoq;. Incũbente enim oculo lema, eſt neceſſariò eiuſmodi, quod intercedit. Tangit enim lema uidelicet corneam. Si ergo, quæ tanguntur, per aliquid, quod intercedit, tanguntur: eſt, ſcilicet, inter oculum, & lemam, aliquid quod intercedit: ſed lemam tamen non uidemus: quia non oportet ſimpliciter eſſe, quod intercedit, ſed id quoq; interuallo cõmoderatum eſſe oportet. Neque enim ſi oculi, & uiſibilium proportionem magnitudine longè ſuperet, eo uiſibilia uidebimus: neq; ſi ualde paruum fuerit, ut in lema, quæ oculo incũbit. Oportet ergo in tactu quoque id, quod intercedit, cum alijs habere proportionem, & conuenientiam: nunc uerò non habet. Clarum eſt ergo, quòd & ſi quis eorum ſolutionem admictat, ne ſic quidem ſeruatam inueniet, quæ in alijs eſt ſenſibus, proportionem. Eſt autem & ad hæc, dico autem, quæ ab Ariſtotele dicta ſunt, contradicere. Oculus enim non aliquo ſimpliciter, quod intercedit, opus habet: ſed & perſpicuo: nec eo ſolũ, ſed et illuminato. Dicet ergo quiſpiam, nos non uidere per id, quod inter oculum, & lemam intercedit: non quòd ſit ipſum exiguum, ſed quòd lucem lema interſeplat, & impediat, ne, quod intercedit, fiat actu perſpicuum. Quare niſi lema lucem interſepiret, eam uideremus. Eandem autem omnino proportionem, ſecũdum eius, quod intercedit, quantitatẽ, in omnibus ſenſibus ſeruari, eſt à ratione alienum. Qui enim ſunt corporaliores ſenſus, minore opus habent eo quod intercedit. Neq; enim quanto uiſus uiſibilia apprehendit, tanto auditus quoq; audibilia, ut declarat, quod in remigatione accidit: Dico autem, quòd remum primum ſublatum uideamus: deinde ſonum ſentiamus. neq; uerò per quantum auditus, per tantũ & odoratus. Eſt itaq; rationi conſentaneũ tactũ quoq;, cùm ſit omnibus craßior, minore quam omnes egere eo, quod intercedit. Omnino autem, quòd opus habeat tactus eo, quod intercedit, non neceſſariò comprobatum eſt ex ea, quæ eſt cùm alijs ſenſibus, proportione, & conuenientia. Iam enim maximè neq; guſtus indiget. Neq; enim quæcunq; in uiſu accidunt, in alijs quoq; euenire neceſſe eſt. Neq; quæcunq; in auditu & odoratu, in alijs quoq;. Vt quòd uiſus quidem per emißionẽ ſentitur, reliqui autem per immißionem, etiamſi ipſe quoque per immißionem. In alijs itaq; ſenſibus oportet ipſum aërem materialiter affici, ut ſic afficiatur ſenſus, ueluti, redolentẽ fieri, uel ſonare. Non ſic autem in uiſu. Non enim coloratur aër. Et quòd uiſus quidem ſine luce non operatur: reliqui autem maximè nõ eſt ergo neceſſe eadem in omnibus ſenſibus euenire. Quare non eſt mirandum ſi cùm alij opus habeant eo quod intercedit: guſtus, & tactus non egent. Et ipſum quidem nomen hoc ſatis declarat, quòd tangendo tactus apprehenſionem habeat. Hæc ſunt ergo per quæ probare uiſus eſt Ariſtoteles, & quòd plures tactiui ſunt ſenſus, & non unus, & quòd caro non eſt tactiuum ſenſoriũ, ſed id, quod intercedit: & quomodo nos aduerſus ea, quæ dicta erant, oppoſuimus. Nunquid autem ne duo quidem, quæ dicta ſunt, confirmare propoſuit, ſed unum ſolum, quòd plures ſenſus ſunt tactus: ſecundum autem ad hoc referebatur. Syllogiſmũ enim oſtendentem, quòd unus eſt ſenſus, ex eo, quòd unum ſit ſenſorium, refellens, oſtendit, quòd neq; connexũ eius eſt rectum, neq; adſumptio. Adſumptio autem erat, quòd caro, cùm ſit una, eſt ſenſorium tangibilis. Vt ergo oſtendat, non unum eſſe ſenſorium, ſed id, quod intercedit, hoc per tria argumenta oſtendit, talibus Ariſtoteles, in duabus quæſtionibus ſi quidem duæ ſint, argumentationibus nos exercens, ut dixi, & aſſueſaciens, ne ſimpliciter, & temere probabiles orationes admittamus, ſed ueras. Eſt autem Ariſtotelis opinio, et quòd unus eſt tactiuus ſenſus, et quòd caro ſenſoriũ. Quòd enim unũ intellexit eſſe tactũ, in tertij libri proœmio declarauit. Quòd enim, inquit, non eſt ſenſus præter quinq;, iſq; enumeratis, unum ex quinq; tactum quoq; connumerauit. Quare ſi quinq; ſunt ſenſus: unus autem eorum eſt tactus: unus ergo eſt tactiuus ſenſus. Et carnem quidem ſenſorium eſſe uult, ubi dicit. Tactus autem eſt eo ipſo, quòd tangatur, & adhuc magis in his. Rurſus, inquit, & quæcunq; ipſa tangentes ſentimus, tactu ſunt ſenſilia, quem habemus. Si autem quòd tangatur ſentimus: tangitur autem caro: Senſorium ergo caro eſt. Magis autem ex iſs, quæ ſparſim, & diuerſis in locis ab eo dicta ſunt, Philoſophi mentem colligendo dici poteſt, quòd et unũ, & multos ſenſus nouit tactum: & non ſolum ipſum, ſed &. reliquos ſenſus: & carnem eſſe & ſenſorium, & quod eſt intermedium. Similiter & reliqua ſenſoria. Nã & noſtra anima & una eſt, & multiplex. Quemadmodum enim coloris quidem ratio eſt per ſe indiuiſibilis, & figuræ expers: cum ſubiecto autem corpore ſimul & diuiſionem, & figuram ſuſcipit. Sic autem & irrationalis anima, ſecũdum ſubſtantiam quidem habet, ut ſit carens partibus, & indiuiſibilis: Quomodo enim ſimul ſecũdum idem, & albũ, & nigrum apprehenderet? Fit autem diuiſibilis circa corpora in eis diuiſa: Quoniam ergo eſt ſecundum aliquid indiuiſibilis, & diuiſibilis: meritò una dici poßit, & multæ. Et propterea itaq; etiam unaquæq; eius facultatum & una fuerit, & multæ, ut & quæ ſimul cum ſubiecto diuidatur, & alia parte aliud ſenſile apprehẽdat. In tactu autem hoc meritò quæſiuit. Quoniam enim ipſe eſt longe materialior, & corporalior: partium multiplicitatem iure habet apertiorẽ. Et alij quidẽ magnis unũ, quã multi. ipſe autem magis multi, quàm unum. Et quid dico in anima irrationali, cum & rationalis, ut ad mẽtem collata, eſt quodãmodo diuiſibilis, ut quæ ipſa utatur propoſitionibus, & confirmationibus, & cõcluſionibus? Eſt autem rationi conſentaneũ ſenſorium quoq; carnem eſſe. Si ea enim eſſet id, quod intercedit: quoniã & aëre, & aqua eſt craßior: in illis autẽ, etſi ſint ſubtiliora, eſt aliquod tẽpus, ut per ea ſenſus ſenſilia apprehendant: Remum enim prius reuulſum uidemus: deinde poſtea ſonum audimus. et cùm ſit tonitru, primũ nobis fulgur apparet. et nõ ſimul atq; odoriferũ appropinquauerit, odorẽ ſentimus: ſed ad apprehenſionẽ aliquo tẽpore opus eſt. Si itaq; per aërẽ, qui eſt ſubtilis, tẽpore tamẽ opus eſt ad odorẽ, & ſonũ ſentiendum: multò magis in tactu, ſiquidẽ caro nõ eſſet ſenſoriũ, ſed id, quod intercedit, nobis tẽpore opus eſſet ad tangibiliũ apprehẽſionẽ, propter carnis craßitudinẽ: niſi quis in alijs interuallum cauſetur. Sed in odoratu, quãuis prope ſit ſuffitus, tempore tamen aliquo ad apprehẽſionẽ opus habemus. Sed tamẽ etiam ſi ſenſoriũ eſt caro: ſed et id etiã quod intercedit: ſicut et in alijs ſenſorijs. Senſoriũ enim ꝓpriè eſt ſpiritus. Atq; in oculo quidẽ cryſtallinus, & reliqui humores, & tunicæ, ut ad ſpiritũ quidẽ intercedũt: ut ad aërẽ autẽ, & alia, ſunt ſenſoriũ. Sed hic quidẽ hæc potius ſenſoriũ, q̃ id, quod intercedit. In tactu aũt caro eſt potius id quod intercedit, q̃ ſenſoriũ: propterea q. eſt materialior, & quæ terreni plus cõtinet. Spiritus enim eſt cõuenictius uiſiuum ſenſoriũ, q̃ caro. Et hæc eſt Ariſtotelis opinio. Sciendũ autẽ, q. Themiſtius aliã quoq; ꝓbationẽ ponit, cũ oſtẽdit carnẽ nõ eſſe ſenſoriũ. Senſoria enim, inquit, cõtraria dijudicant. Viſus enim albũ, & nigrũ dijudicat: guſtus dulce, et amarũ: auditus grauẽ, & acutũ ſonũ: tactus aũt lene, et graue oppoſitũ. Graue quidẽ, quòd eius ſit cõſtipatio, & protruſio: leue aũt nõ itidẽ, quoniã ab eo nõ afficitur. Dico ergo, quòd quemadmodum in alijs diximus, ea apprehendere non ſolum propria ſenſilia, ſed & priuationes: apprehẽdit enim uiſus quidẽ tenebras: ſilentiũ autem auditus: apprehẽdere autẽ ea dicimus nõ ſecundũ affirmationẽ, ſed negationẽ, quòd nihil patiantur: ſic & leuitatem tactũ apprehendere dicimus ſecundũ negationem. Nam eadem ratione

dicemus ne alia quidem oppoſita apprehendi poſſe. Non enim uiſus afficitur à tenebris. Neq; auditus à ſilentio. Lux autem tenebris opponitur. Sono autem ſeu uoci ſilentium. Sic & quando frigidum, & calidum apprehendit: ſiccum, & humidum: aſperum & leue, quæ ſunt cõtraria. Quòd autem & unum eſt tactiuum ſenſorium, idq; non aliud quam caro, licet hoc modo oſtendere. Et quòd unum eſt ſenſoriũ, oſtendemus hoc modo. Quodcunq; enim ex tangibilibus, ut calidum, in quacunq; parte corporis admoueris, eius omnino apprehenſionem retinet. Similiter & frigidum, & ſiccum, & humidum, & reliqua omnia. Quare ſi unũquodq; ſenſile in quacunq; parte caro apprehendit: clarũ eſt utiq;, quod non ſunt plura ſenſoria. eſſent enim locis ſeparata. Quòd ſi ita eſſet, non cuilibet parti carnis idem admotum ſenſile eſſet apprehenſibile. Clarum eſt enim, quòd in aliqua carnis parte poſitum, ſi non eſſet ſubiectum, quod id apprehenderet, ſenſorium, nullam ſuipſius apprehenſionem præberet. Sicut ergo uiſibile, quod eſt retro, non uidemus. Neque enim, ſi, ut ita fingamus, nos circumcirca ambiret aër, & uiſiuum, & auditiuum, & odoratiuum ſenſorium tegeret, in qualibet parte ambientis aëris poſitum uiſibile uideretur. Si enim ad eam partem poſitum eſſet, quæ eſt directò è regione auditiui meatus, non uideretur. Atqui ſi audibile in eodem loco poſitum eſſet, magis auditum eſſet. Sic & odorabile ſui magis ſenſum præberet, ſi ex odoratiui meatus regione ſitũ eſſet. Quare hac quoq; ratione etiam diſcreta tunc eſſent diuerſa ſenſoria: & propterea diuerſi ſenſus. Quare ſi nunc quoq; ambiens caro plura tegit ſenſoria: cur in qualibet parte quoduis tangibile ſentit? Quamobrem ſi in alijs quoque ambiente aëre omnia ſentirentur: in tactu quidem certè hoc euenire non deberet: quòd non ea, quæ longè ſunt, ſed quæ propè, tactus apprehendit. Quòd itaq; non ſunt plura tactiua ſenſoria, hinc clarum eſt. Quòd autem neq; aliquod aliud eſt præter carnem tactiuum ſenſorium, hinc manifeſtum eſt. Si enim aër intercederet: in quibus autem ſenſorijs eſt aliquid, quod intercedit, in iis, ſi ſupra ipſum ſenſorium ponatur ſenſile, ſui nullam apprehenſionem præbet: clarum eſt, quòd hic quoq; hoc ipſum eueniret. Nunc autem ſi quis de carne paululum quid detraxerit, deinde ſupra reliquum impoſuerit uel calidum, uel durum, uel aliquid eiuſmodi, ſentiet omnino. Et rurſus ſi ab illa aliquam aliam partem abſtuleris, idq; uſq; ad ipſum os. Quare ſi hoc uerum eſt, clarum, quòd caro eſt tactiuum ſenſorium. Si enim aliquod aliud intus eſſet, carne paulatim ablata oporteret ad ipſum aliquando peruenire ſenſorium. Quare ſuperpoſito ſenſili conſenſus non amplius fieret. Quòd autem una quoque eſt ſenſitiua facultas, & non multæ, hinc ratiocinatione collegeris, ſi quidem cuilibet ſenſitiuæ facultati proprium aliquod ſenſorium natura attribuit. Dicere enim linguã eſſe & guſtatiuum, & tactiuum ſenſorium, eſt ridiculum. Tactiuum enim ſenſum non ſola habet lingua, ſed totum per totum corpus. Et cauſa dicta eſt, quòd ex iis conſtamus, calido, frigido, ſicco, & humido. Cur ergo in lingua magis utrunq; contingit, quàm in oculo, & auditu, & odoratiuo meatu? Nam & hæc ſimul ſunt & talia, & tactiua. Quòd autem guſtatiuum tangens ſentiat, ſicut tactiuum, eximium quid uidetur habere præter alia. Nam, ut dixi, nihil habet, quod ſit proprium præter alia. Et clarum eſt, quòd neq; ualidũ eſt, quod dicitur, in tactu oportere eſſe, quod intercedat, ut cũ alijs ſenſibus conueniat. Nam cum ſint quinq; ſenſus: duo quidem, uiſus, & auditus, quæ ſunt longiſſimè apprehendũt: Duo autem, tactus, & guſtus, quæ ſunt proximè. Ipſum enim oportet attingere ſenſoriũ, ſi quidem oſtenſum eſt, quòd caro eſt ſenſorium. reliquus autem odoratus mediũ locum ſortitus eſt, ut qui neq;, quæ ualde longè ſunt, apprehendat, neque ipſum ſenſorium tangunt odorabilia. Quare cum ſic habet tactus & guſtus, magis cõſenſus quidam, & ordo ſeruatur in ſenſibus. Si enim quatuor ſimiliter externa apprehenderent, probabiliter dici poſſet, cur non reliquus quoq;? Si autẽ non ſic habeat: ſed lingua quidem tangens: olfactus autem, quæ ualde propè ſunt, & fere tangunt: quid neceſſe eſt, ut tactus per id, quod intercedit, apprehendat? Dicere enim quòd guſtus quoque tactus eſt, non eſt uerum. Cur enim non tactus guſtus? Apertè enim diſtincta ſunt & ſenſoria, & facultates. Si autem propterea quòd tangens guſtat, ideo tactus eſt: hac ratione dixerit quiſpiam auditum quoq; uiſum, & uiſum auditum: ambo enim, per id, quod intercedit. Tangibilia autẽ ſentire, ut dixi, totius eſt corporis commune. Reliquum eſt ergo ut quæramus, nunquid uerum eſt illud, quod dicitur, omnẽ ſenſum uerſari circa unam oppoſitionem ſenſilium: & circa unũ aliquod & commune genus propinquum. Viſus quidẽ circa album, & nigrum, &, quæ ſunt intermedia: & commune genus eorum eſt color. Auditus circa acutum & grauem: & commune genus, ſonorum. Guſtus circa dulce, & amarum, &, quæ intercedunt: & eorum commune genus, ſucci. Odoratus autem ut exilis, & euanidus, neque ſpecies diſcreuit, neq; genus, quia non diſcreuerit ſpecies. Apertè autem in tactu multæ ſunt oppoſitiones, ut dictum eſt, & quæ ſub commune aliquod, & propinquum genus non reducuntur. Oſtendimus autem, quòd nec in alijs quidem eſt ſimile. Magnum enim & paruum in ſono, & aſperum & leue in quolibet ſenſili ſecundum proportionem. Tale eſt enim in uiſibilibus quidem, quod eſt uehemens & nimium nigrum, & exilius: in guſtu autem ualde & minus dulce. Similiter & in odorabilibus. Aſperum autem & lene in auditu quidem id, quod delectat, & id, quod moleſtia afficit. Idipſum autem eſt in omni quoq; ſenſu. Clarum autem, quòd hæc non rectè accepta ſunt apud Ariſtotelem. Ea enim quoduis ſenſile conſequuntur, nec ſenſilium differentiam conſtituunt. Vt ipſe enim in quinto naturalis auſcultationis oſtendit: Quæ quodlibet genus conſequuntur, ea ſpecierum differentiam non faciunt. Sic autem habet dictionis contextus in naturali auſcultatione. Quare non ſunt ſpecies motus, uelocitas & tarditas, quoniam omnes ſecundum ſpeciem differentes motus conſequuntur. Quare neq; grauitas & leuitas, quæ eſt ad idem, ut terræ ad ipſam, & ignis ad ipſum. Alia enim dicitur alia terra uel grauior, uel leuior. Sed hoc non facit terræ differentiam. Quælibet enim terra alia quidem eſt grauior, alia uerò leuior. Similiter ignis igne grauior, & leuior. Quare non hac ratione ignis differt ab igne, uel terra à terra. Terra autem ab igne. Neq; enim, quæ in igne eſt leuitas, terram aliquam conſequitur. neq;, quæ in terra eſt grauitas, aliquem ignem. Atque omnis motus alio quidem eſt tardior: alio uelocior. Quare ſi omnia ſenſilia conſequitur, non dico ſola audibilia, ſed omnia ſimpliciter, ut alia alijs magis intenſam propriam habeant qualitatem, uel remiſſam, quod accepit Ariſtoteles magnum, & paruum: ſimiliter ut & delectet, uel moleſtia afficiat, ſicut accepit aſperum & lene in auditu: Non ergo ſenſilium differentiam eiuſmodi fecerint. Quandoquidem neq; uelocitas & tarditas motuum differentiam conſtituebat: quando etſi in uno ſolo ſenſu hoc contingeret, ne ſic quidem ſenſuum differentiam conſtitueret. Magnum enim & paruum omnem ſonum conſequitur: Similiter & aſperum & lene. Non ſunt ergo ſonorum differentiæ huiuſmodi. Non omnem autem tangibilem qualitatem conſequitur aſperitas & lenitas: friabilitas, & lentor. Sed neque ea, quæ ſunt corporum conſtitutiuæ qualitates, caliditas, & frigiditas, ſiccitas, & humiditas ſe inuicem conſequuntur, ut ſonum magnitudo, uel paruitas. Sed cum ſunt diuerſæ, & ſecundum ſpeciem ſeparatæ, ad conſtitutionem

*tionem corporum connectuntur. Illic autem quantum eſt magnum & paruum in uoce, quale autem aſperum, & lene: non autem quantitates. Et alioqui fatemur tactum hac ratione differre ab alijs. Si autem hoc facit ut non unus ſit ſenſus tactus, ſed plures: quærendum, nunquid, quemadmodum ſolus quidem uiſus ſecundum emiſsionem uiſibilia apprehēdere uiſus eſt, cùm nullis alius hoc facere exiſtimatus fuerit: ſic & tactus hoc habet eximium, & ab alijs ſeparatum, quòd plures oppoſitiones apprehendat. Omnino autem dicendo quòd plura apprehendit, ſtatuere quidem licet, quòd eximium quid habeat præter alios, non utique autem propterea neceſſe eſt eum nō unum eſſe, ſed plures. Si enim propterea plures, quòd aliquam habeat ab alijs differentiam: cur non una potius, ex eo, quòd unum habeat ſenſorium? De lingua enim reſpondimus, quòd non, tanquam lingua, tactiua eſt: ſed, quatenus totum corpus tale eſt. Itaq; & uiſorium ſenſorium, & reliqua ſimul etiam ſunt tactiua. Quare nullum apertum indicium, nec aliqua probabilis ratio oſtendit, tactum non unum eſſe ſenſum, ſed plures.*

De tangibili autem, & tactu eadē eſt ratio.

*Quænam? Quòd ab oppoſitis eſt incipiendum: quòd hic quoque per id, quod intercedit, eſt apprehenſio: quòd hic quoq; circa unum genus, & unam oppoſitionē tactus eſt operatio, quantum quidem ad eam, quæ eſt ex reliquis, conſequentiam.*

Si enim tactus non eſt vnus ſenſus, ſed plures: neceſſarium eſſe quoq; plura ſenſilia.

*Coniunctio, enim, cauſæ redditionem ſignificans, totū contextus intellectum talem facit. Quoniam de tactu & tangibili eadem eſt ratio. Vt enim ſe habet tangibile, ſic neceſſe eſt & tactum habere. & contra, neceſſe eſt utiq;, ſiue ſint plura tangibilia, multos quoq; eſſe tactus: ſiue plures tactus, multa quoque eſſe tangibilia, ſiquidem in utriſq; eadem eſt ratio. Poteſt autem & coniunctio, enim, non ad prædicta referri, ſed ad intelligentiam eorum, quæ ſubiunguntur. Erit autem apertus intellectus, ſi contextus ordinē ſic immutemus. Dubitatio autem eſt utrum ſint plures, an unus. Si enim tangibilia ſenſilia plura ſunt: neceſſe eſt tactum quoq; non unum eſſe ſenſum, ſed plures. Fortaſſe autem & tanquam oratione, quæ conuertitur, indifferenter uſus eſt. Oportebat enim, ut dixi, ita dicere. Si ſenſilia plura, & tactus plures, ut ex confeſsis incerta confirmaret. Nunc autem contrarium dixit. Si plures tactus, & tangibilia. Poteſt autem, ut dixi, & dictio tranſiliri. Hic ergo dubitatiuè proponitur duas, quæ mihi in præcedente contemplatione dictæ ſunt, quæſtiones oſtendere: Vtrum unus eſt tactiuus ſenſus, an plures. Et utrum caro eſt ſenſorium tangibilium, ut uiſus uiſibiliū etiam in alijs animalibus, quæ carnem quidem non habent, ſed aliquid, quod cum carne habet proportionem & conuenientiam: ſunt enim quædam animalia, quæ carnem quidem non habent, ſed aliquid, quod cum carne proportionem habeat, ut inſecta, formicæ, & muſcæ, & ſimilia. An non eſt quidem caro ſenſorium, neq; quod cum ea habet proportionem, & conuenientiam: ſed ipſa quidem eſt intermedia, per quam ſenſus: ſicut erat & in alijs ſenſibus, quod inter ſenſilia, & ſenſoria intercedit. Quod autem propriè, & primò tangibilia ſentit, eſt aliquid aliud intra carnem, quod cùm alijs ſenſorijs habet proportionem.*

Nam & omnis ſenſus vnius contrarietatis eſſe videtur, vt viſus albi, & nigri: & auditus acuti, & grauis: & guſtus amari, & dulcis: in tangibili autem multæ ſunt contrarietates: calidum, frigidum: ſiccum, humidū: durū, molle: & aliorum quæcunq; eiuſmodi.

*Hic eſt primum argumentum, quòd non unus eſt ſenſus tactus. Si quilibet enim ſenſus unam contrarietatem iudicat: tactus autem plures: neceſſe eſt utiq;, quot ſunt, contrarietates, quas tactus apprehendit, tot eſſe tactiuos quoq; ſenſus.*

Habet autem aliquam ſolutionē ad hanc 105
dubitationem, quòd in alijs quoq; ſenſibus ſunt plures contrarietates. Vt in voce non ſolum acumen, & grauitas, ſed & magnitudo, & paruitas, & lenitas, & aſperitas vocis: & eiuſmodi alia. Sunt autem & circa colorem tales aliæ differentiæ.

*Labefactat per hæc prius argumentum: quòd non ſolum tactus circa plures oppoſitiones uerſatur: ſed & reliqui. Iam enim prædiximus, quòd aſperum & lene in uoce, & candidum & fuſcum ſecundum proportionem dicitur: & quòd magnum & paruum, quod eſt in ſonis, non eſt idem cum eo, quod eſt in magnitudinibus. Vt dicimus magnam lineam, uel magnum corpus. In coloribus autem, magnum quidem, & paruum non dicimus: aſperum autem & lene, & uehemens & exile. Similiter neq; odor magnus & paruus dicitur: ſed dulcis, & amarus, & acris, & grauis. Clarum eſt ergo, quòd hic quoq; non ſecundum proportionem magnum & paruum dicitur: ſed in ſonis tantum, eo quòd magnum & paruum eſt quantitatis continuæ, & longum & breue. Sicut ergo longum & grauem ſonum dicimus, qui fit in maiore uel minore extenſione temporis: eo quòd tempus eſt quantum continuum, ſonum, qui magno, uel paruo motu factus eſt, uel magnum, uel paruum dicimus. Quoniam ergo ſonus fit omnino cum motu, dico autem eo, qui eſt ſecundum locum: ipſe autem eſt quantitatis: nullum autem aliorum opus habet ſubiecto motu, qui eſt ſecundum locum: meritò in illis non ſeruatur magni & parui proportio.*

Sed quidnam eſt ſubiectum, ſicut auditui ſonus, ſic tactui, non eſt clarum.

*Secundum argumentum, quòd non eſt unus ſenſus. Quilibet enim ſenſus circa unum aliquod genus uerſatur: uiſus colores: auditus ſonos: guſtus ſuccos: olfactus odores. Quæ autem tactui ſubiecta ſunt, non habent unum commune genus. Videatur autem neq; uiſus circa unum aliquod uerſari genus, ſi quidem ipſe prius dixit, quòd uiſibile quidem eſt & color, &, quod oratione quidem licet dicere, caret autem nomine. Dico autem quòd hoc quoq; ſub colorem eſt reducendum. Eſt enim hoc totum ſplendidus color.*

Vtrum autem eſt ſenſorium intus vel non, 109
ſed ſtatim caro, nullum videtur eſſe ſignum, quòd ſenſus fiat ſimul eorum, quæ tangūtur. Nam & ſi quis circa carnē veluti factam pelliculam extenderit, ſimiliter ſenſum, ſimul ac attigerit, ſignificat. Atqui clarū eſt, quòd non eſt in ea ſenſorium. Si autem congenitū quoque fuerit, adhuc celerius ſenſus permeauerit.

*Eum, qui à uobis in præcedēte cōtemplatione dictus eſt, hypotheticum ſyllogiſmum non eſt apertè in uerbis contextus inuenire: ſed eo quòd & eius aſſumptionem, & cōnexum potētia refellit: ſyllogiſmus quoq; in ijs cōprehenditur. Quis erat autem ſyllogiſmus? Si ſenſoriū tactus unum: id autem eſt caro: neceſſe eſt ſenſum quoq; unū eſſe. Atqui ſenſoriū caro. Et tactus ergo unus eſt ſenſus. Probat ergo, quòd neq; ſi ſenſoriū unū ſit, unū neceſſe eſt eſſe ſenſum: ſicut habet in lingua: Cùm enim unum ſit ſenſoriū, duo ſenſus: tactus, & guſtus: et quòd omnino caro non eſt ſenſoriū. Sed nos quidem in præcedente contemplatione*

*priorem connexi confutationem expoſuimus: ſecũdam autem aſſumptionis, ut continentem redderemus orationem, quę adſtruit, carnem non eſſe ſenſorium, ſed id, quod intercedit: Ipſe autem non eſt uſus eo ordine. Sed quoniam, ut dixi, & ſecunda propoſitio, & aſſumptionis hypothetici ſyllogiſmi confutatio erat unum & idem: prius duo argumenta, per quę oſtendit nõ eſſe carnem ſenſorium, ponit: & deinde ſyllogiſmi connexum redarguit, & aſſumptionem in hac ſecundę propoſitionis confirmatione. Potentia autem utiq; & dictum à nobis hypotheticum ſyllogiſmum poſuit. Cùm hic enim ſitus non eſſet ſyllogiſmus apud Ariſtotelem: ex dictis collegerunt interpretes, quòd quendam eiuſmodi ſyllogiſmum confutaret. Vtrum autem eſt ſenſorium intus uel non, ſed ſtatim caro, nullum uidetur ſignum, quòd fiat ſimul ſenſus eorum quę tanguntur. Trium argumentorum, per quę oſtendit, non eſſe carnem ſenſorium, unum per hęc ponit. Id autem eſt, quod refellit argumentum, quo oſtendere uidebatur carnem eſſe ſenſorium: quando etiam ſi per pelliculam tangibilia attingamus, ſine tempore ea apprehendimus: etiam ſi non ſit illa pellicula ſenſorium: intercedit autem inter carnẽ, & ſenſilia. Quid ergo prohibet carnem eiuſmodi quid eſſe?*

110 Quare & talis pars corporis ſic habere videtur, quemadmodum ſi circulo nos congenitus ambiret aër. Videremur enim vno aliquo ſentire, & ſonũ, & colorem, & odorem: & vnus eſſe ſenſus, viſus, & auditus, & odoratus. Nunc autem quia definitum eſt, per quid fiunt motus: manifeſtum eſt dicta ſenſoria

111 eſſe alia. In tactu autem hoc nunc incertũ eſt.

*Secunda ratio, quę confirmat carnem ſenſorium, ex eo, quòd nihil aliud prӕter hanc appareat, per quod tangibilia apprehendimus. Hanc itaq; refellit, quòd hoc uidetur eſſe caro, quale contingeret, ſi nos aër circulo ambiret, & congenitus nobis eſſet, ueluti condenſatus. Quemadmodum ergo ſi hoc contingeret, propterea quòd tegerentur ſenſoria, per unum autem, & eundem aërem & audiremus, et uideremus, & olfaceremus, exiſtimaremus unum eſſe ſenſorium omnium dictorum uiſibilium, audibilium, & odorabilium, congenitum nobis aërem: & ne eſſe quidem omnino aliquod aliud ſenſorium prӕter ipſum: neq; enim apparet nobis aliquod aliud: quod nunc redarguitur: quoniam apertè ſenſoria diſcernantur: hoc nunc exiſtimandum contingere in carne nobis cõgenita, et ambiente, & tactiua ſenſoria tegente. Quare, non ideo, quòd nõ appareat aliquid aliud prӕter carnem, per quod ſenſilia apprehendimus, hoc iam ſatis eſſe ad probandum exiſtimandum eſt, quòd caro ſit ſenſorium. Poteſt autem hoc argumentum & connexi ſyllogiſmi eſſe confutatio. Hoc itaq; deinceps, & dictam à nobis connexi confutationem ponit Ariſtoteles, & huic noſtro argumẽto cohӕrere, & ab eo dependere facit. Vt autẽ hoc oſtendamus, dico autem, quòd per prӕdicta ſyllogiſmi connexũ refellitur, ſuperius propoſitũ dictionis contextũ & exponemus, & interpretabimur.*

Quare & talis pars corporis ſic habere videtur, quemadmodum ſi circulo nos congenitus ambiret aër, videremur vno aliquo ſentire & ſonum, & colorem, & odorẽ: & vnus quidam eſſe ſenſus, viſus, auditus, odoratus.

*Poſtquam oſtendit carnem non eſſe ſenſorium: eo confutato, per quod eſſe probabilis coniectura uidebatur carnem eſſe ſenſorium, dico autem apprehenſionem, quę fit ſine tempore: Cùm itaq; relinquatur, ut ea quidem ſit, quod intercedit congenitum corpus, & intus eſſe tactiuum ſenſorium: hac opinione utens, hypothetici ſyllogiſmi connexum redarguit, oſtendens non eſſe neceſſe unam eſſe tactiuam facultatem: quia per unum & idem, nempe carnem, fit tangibilium apprehenſio. Si enim, inquit, circunfuſus nobis aër congenitus eſſet, & condenſatus, ut ſenſoria tegeret: quia per idem uidemus, & audimus, & olfacimus: nobis uiderentur hi tres ſenſus unus eſſe: eo quòd per unum quidem aërem, uiſibilia, audibilia, & odorabilia apprehendimus: tecta ſunt autem, quę illa diiudicant, ſenſoria. Quemadmodum ergo etiamſi per unum nobis congenitum fieret apprehenſio, non propterea unus eſſet & uiſus, & auditus, et olfactus, ſed plures, eo quòd ſint plura quoq; ſenſilia: colores: ſoni: & odores: Sic neq; quoniam nobis congenita caro cohӕret, unaq; eſt, per quam omnes tangibiles, quę plures ſunt, contrarietates apprehendimus, unus fuerit tactiuus ſenſus, ſed multi, propter ſenſiliũ diuerſitatem. In aliis enim ſenſibus, quòd ſeparatum ſit id, quod intercedit, per quod fit ſenſilium apprehenſio, dico autem aërem, & eorum inſtrumenta ſint à ſe muicem diſtincta, manifeſta eſt eorũ diuerſitas: in carne uerò, quòd ea nobis congenita cohӕreat, cùm ſit intermedia, incertum eſt, an ſint multi tactus. Sed tangibilium diuerſitate diſcernimus ſenſuum tactiuorum multitudinem. Nunquid autem & propoſitũ argumentum eſt etiam ſyllogiſmi aſſumptionis refutatorium? quod etiam magis uerum eſt. Vult enim etiam per hoc oſtẽdere, quòd non, quoniam per unum, ſcilicet carnem, ſenſilium eſt apprehenſio, iam & unum eſt tactiuum ſenſorium. Nunquid enim congenita quidem caro eſt, quę intercedit, intus autẽ ſunt plura ſenſoria, ut in exemplo?*

Ex aëre enim, vel aqua, fieri non poteſt, vt conſtet corpus animatum. Oportet enim eſſe aliquid ſolidum. Reſtat vt ſit mixtum ex terra, & his, cuiuſmodi vult eſſe caro, &, quod cũ ea habet proportionem. Si enim omnis ſenſus per id, quod intercedit: & tactus.

*Vult cauſam dicere, quamobrẽ id, per quod tactus fit, nobis congenitũ adhӕret, caro, inquã: non ita autem & aër, & aqua, per quę dicti ſenſus apprehendunt, nobis cõgeniti cohӕrẽt, ſed ſunt exterius. Quia enim, inqt, fieri nõ poteſt, ut corpus animatum, & in terra uicturũ ex uno ex ſimplicibus cõſtet, uel aëre, uel aqua: Oportet enim unumquodq; iis maximè adſimilari, in quibus eſt uerſaturum: Per hęc autem prӕdictorũ ſenſuum fit apprehenſio, aërem, dico, & aquam: meritò hęc non ſunt nobis congenita, & cohӕrẽtia. Nam & qui in auribus incluſus & inӕdificatus eſt aër, nõ cohӕret quidẽ congenitus, ſed eſt inſeparabilis. Quoniam autem tactus per carnem habet apprehenſionem: eaq; eſt illi id, quod intercedit: tale autem eſt & animalis corpus ſolidum, & mixtum: iure ergo nobis cõgenita cohӕret. Et propter hanc cauſam, per congenitum nobis cohӕrens corpus, quod intercedit, tactus fit apprehenſio.*

Quare neceſſe eſt corpus quoq; eſſe congenitum, & cohærens, tactiui intermedium, per quod fiunt ſenſus, qui plures ſunt.

*Neq; enim amplius prohibeãtur, quominus congenita cohӕrerent, ut alia, quòd nõ poßit tale eſſe animalis corpus. Nam ſi poſſent, illa quoq; neceſſe eſſet congenita cohӕrere. Si enim & ex tali cõſtaremus, & per tale ſenſiliũ fieret apprehenſio: quid uetaret per propriũ, & familiare uidere, alieno autẽ nõ egere? Quoniam ergo tangibiliũ eſt apprehenſio per carnẽ: id eſt, ut intermediũ, per quod fit ſenſiliũ apprehenſio. Eius enim, quod eſt neceſſariũ, & quod fit compẽdio, eſt natura. Propterea ergo, quòd in partibus animalis carnem inuenit, per quam tangibilia ſunt apprehẽſibilia, natura ea uſa eſt, nec aliquo alio opus habuit, quod intercederet exterius.*

Declarat

112 Declarat autem, quòd plures, qui in lingua tactus eſt. Omnia enim tangibilia ſentit ſecundum eandem partem, & ſuccum. Si itaq; alia caro ſuccum ſentiret: videretur idem & vnus eſſe ſenſus, guſtus, & tactus. Nũc autem duo, quia non conuertuntur.

*Vides, quomodo, ut dicebam, priora quoque erant refutatio connexi ſyllogiſmi hypothetici. Dico autem, quòd non neceſſe eſt, ſi per unum aliquod ſentimus, etiam unum eſſe ſenſum. Vt qui enim per præcedentia oſtendiſſet, quòd contingit, etiamſi unum ſit ſenſorium caro, plures eſſe ſenſus, ex eo quòd ſupponat hoc circa carnem contingere, quod contingeret, ſi nobis cõgenitus, & cohærens eſſet aër, per quẽ uidemus, & audimus, & odoramur, ſic ſubiunxit, Declarat autẽ, quòd plures, qui eſt in lingua tactus. Quoniam enim non ex ipſis rebus oſtenſio proceßit: ſed per ſuppoſitionem collegit, contingere per unũ quidem fieri ſenſilium apprehenſionem, non eſſe autem unam ſenſitiuam facultatem: & quòd non eſt eiuſmodi ſuppoſitio, ut fieri non poßit, in ipſis rebus hoc confirmat, dico autem in tactu, qui eſt in lingua. Ecce ergo lingua, & guſtabilium, & tangibilium eſt ſenſorium. Sed tamen alia eſt guſtatiua facultas, quàm tactiua. Non eſt ergo uera oratio, quæ dicit, ſi unum ſit ſenſorium, neceſſe eſt unum quoq; eſſe ſenſum. Quòd enim alius eſt tactus à guſtu, apertum eſt: quoniam in reliquo quidem corpore tactus eſt, guſtus non: lingua autem & omnia tangibilia apprehendit, & præterea ſuccos.*

115 Dubitauerit autem quiſpiam: ſi omne corpus habet profunditatem: id autem eſt tertia magnitudo: quorum autem eſt inter duo corpora corpus aliquod, non contingit ea ſe inuicem attingere: Humidũ autẽ non eſt ſine corpore: neq; madefactum: ſed neceſſe eſt eſſe aquam, vel aquæ cohærere: Quæ autem ſe inuicem in aqua tangunt, ſi non ſint ſicca extrema, neceſſe eſt aquam habere intermediã, qua plena ſunt extrema: Si autem hoc verum eſt, fieri non poteſt, vt aliud in aqua aliud tangat. Eodem autẽ modo & in aëre. Similiter enim habet aër ad ea, quæ ſunt in ipſa aqua. magis autem nos latet, vt &, quæ ſunt in aqua animalia, ſi madefactum attingit madefactum.

*Hic eſt tertium argumentum eorum, qui oſtẽdunt, carnem non eſſe ſenſorium, ſed id, quod intercedit. Eſt autem eiuſmodi. Inſtantiam, ut dixi, proponit ijs, qui carnem ſenſorium eſſe uolunt, & eam ſoluit, & rurſus ſolutionem refellit. Inſtantia autem eſt, quòd ſi in alijs ſenſorijs per aliquid, quod intercedit, eſt apprehenſio: caro autem, quòd tangat, tangibilia apprehendit: uidetur nõ eſſe ſenſoriũ. Oſtẽdit ergo quid eſt quod intercedit. Si enim omne corpus, inquit, habet profunditatem: id eſt autem tertia magnitudo, pro eo quod eſt, tertia dimenſio. Prima enim dimenſio eſt longitudo: ſecunda latitudo; tertia profunditas. Inter quæ autem intercedit aliquod corpus, neceſſe eſt eorum profunditatem eſſe alienam, quæ intercedit, quantacunq;, & qualiſcunq; ſit. Quorũ autem eſt profunditas aliena, fieri non poteſt, ut hæc ſe inuicem tangant. Quæcunq; autem alienam habent humiditatem in ſuperficie, circumfuſum aliquod corpus habent. Quæcunque ergo in aqua ſe inuicem attingunt, ut quæ ſunt madefacta, habent aliquod corpus quod intercedit, & ſe inuicem non tangunt. Sicut autem, quæ ſunt in aqua, ſe inuicẽ tangunt: ſic & quæ in aëre. Et in ijs ergo, quæ in aëre tanguntur, eſt aliquid, quod intercedit, aër: ſed id nos latet propter paruitatem. Nam & in ijs, quæ in aqua ſe inuicem tangunt, ignoratur eſſe aliquid aquæ, quod intercedit. Sed non propterea dixerimus non eſſe inter ea aliquid. Dubitauerit autem quiſpiam: ſi omne corpus habet profunditatem. Inordinatus uidetur locus. Poſtquam enim dixit, Dubitauerit autem quiſpiam, non ſubiunxit quid dubitauerit. Eſt autem eius dubitatio inferius. Oportet enim ſubiungere, Madefactum attingit madefactum. Hoc enim, inquit, dubitatur, an madefacta ſe inuicem attingunt, & non intercedit aliquod alienum corpus. Et oſtendit, quòd eſt humidum: id autem corpus: humidum autem non eſt ſine corpore: neq; quod eſt madefactum. Humidum quidem eſt, quod congenitam habet humiditatem, ut aqua: madefactum autem, quod alienam, ut lutum. Humidum autem in corpore habet eſſe. Eſt ergo neceſſe humidum quidem eſſe aquam: madefactum autem eſſe aquæ particeps. Quoniam ergo, quæ ſe in aqua inuicem tangunt, non habent ſiccas ſuperficies: omne autem humidum eſt cum corpore: inter ea ergo corpus aliquod intercedit, & ſe non inuicem tangunt. Sic ergo &, quæ in aëre, etiam ſi aër, pluſquàm aqua, ignoretur intercedere. Quando & in ijs, quæ ſe in aqua attingunt, neſciatur, an ſit aliquid, quod intercedit. Magis autem nos latent, quæ ſunt in aëre & aqua animalia, ſi madefactum attingit madefactum. Et ad id, quòd cohæret, quòd quæ in aqua ſunt animalia, & quæ in aëre, nos latent, an ſe inuicem tangant, cùm madefacta ſint, quæ tangunt, hoc eſt ſuperficies. Propter continuitatem enim, quæ eſt ad aërem uel aquam, non eſt apertum. Hoc autem oſtendit, quòd ſi madefactos in aqua digitos tetigerimus, poſtquam ſeparati fuerint, adhuc ſeruant humiditatem. Sed etſi nos latet, ipſa tamen ratio conuincit ex eo, quod contingit in madefactam carnem habentibus, & ſic tactis. Videtur enim poſt ſeparationem caro adhuc eſſe humida. Et ſi aqua, cùm ſit craßior, propter humiditatem tamen non exprimitur, ſed carni inſidet, multò magis fieri non poteſt, ut aër, qui eſt ſubtilior, omnino exprimatur ab ijs, quæ ſe attingunt. Quid ergo? ſi hæc ita habent, & uera eſt hæc oratio, eueniet, ut nullum ſolidum corpus tangatur: ſi quidem omnia, quæ ſe inuicem tangunt, uel in aëre, uel in aqua tanguntur: euenit ergo ut ſolida quidem corpora ſola humida tangant. Solidum autem à ſolido nunquam tangitur. Ad hæc autem dici poteſt, quòd quando, madefacto digito, uel aliqua alia parte corporis, aliquod aliud ſolidum tetigerimus: caro, quæ eſt rara, & mollis, in compreßione admittit in eos, qui in ipſa ſunt meatus, ſeu concauitates, humidum, & in ſeipſam propter raritatem: & ſic poſtquam ſeparata fuerit, humiditatem rurſus apparere contingit. Contingit ergo totum exactè carnem tangi, ſed in illis concauitatibus, in quas confluxerat humidum, non aliquid aliud tangere. Poſtquam ergo ſeparata fuerit, diffunditur rurſus, quod in illis eſt humidum, & replet ſuperficiem. Contingit autem & in obſcuris meatibus protruſum eſſe humidum, quod rurſus poſt uim factam diffunditur circa ſuperficiem. Nam & ſi ualde dura, & leuia corpora acceperis, ut uitrea, uel ærea exactè ſplendentia, & ſic figurata, ut ſi alia alijs inter ſe admoueantur, exactè quadrent ſuperficies, ut ne ullam quidem uacuam regionem, quæ intercedat, relinquant: deinde ea madefacta inter ſe admoueris, & compreſſeris, ut ſe exactè tangant: deinde ſeparaueris: nullam, puto, in eis inueneris humiditatem. Neque enim aqua ſua natura apta eſt, ut ſolidis corporibus reſiſtat. Eſt ergo rationi conſentaneum, illis compreßis, cum aqua ſuapte natura ſolidis corporibus reſiſtere nequeat, neque ullus intercedat locus, nec apertus, nec obſcurus, in quo aquam ſeparare oporteat, ipſam elidi, & cedere: & multò magis*

aërem

*aërem,qui eſt & motu facilis,& minimè reſiſtens, & qui cuilibet corpori cedere ſua natura aptus ſit.Et alioqui non omnino neceſſe eſt, quæ tanguntur, per aliquid tangi quod intercedit.Si enim neceſſe eſt, quæ tanguntur, per aliquid ſe inuicem tangere:in infinitũ neceſſe eſt hoc contingere.Si enim aër, & aqua tangibilis:ipſa utique ſentimus,quæ ſunt frigida,uel calida,quando aquam uel aërem tangimus. Vtrum autem eſt aliquid inter nos,& aërem,uel aquam, uel non? Si ergo non eſt, de illo rurſus eadem dicenda ſunt: ſiue aliquid eſt inter ipſum, & nos,ſiue non,idq; uſque ad infinitum.Non eſt ergo neceſſe, quæ tanguntur,per aliquod medium ſe inuicem tangere.Omnino autem,quæ propriè ſe tangunt,neceſſe eſt ut non habeant aliquid,quod intercedit:quandoquidem ne ſe inuicem quidem tangere dicantur:quoniam ea ſe tangere dicuntur,ut ipſe in quinto Phyſicæ definijt, quorum ſunt ſimul extrema. Simul autem non ſunt,inter quæ eſt aliquid intermedium, quod prohibet.Quòd autem non neceſſe eſt,quæ in aëre tanguntur,aliquid habere aëris intermedium, hinc quoq; didiceris. Mollia enim corpora,ut caro,uel quid eiuſmodi, ſi quis ea digito uiolentius protruſerit:cedunt ita ut à proprio ſitu recedant. & quid dico mollia? contingit ut,qui madefactas manus habeat,lapidem trudat, uel quid eiuſmodi. Si ergo non citra medium manus tangens ſic trudit,ſed per corpus intermedium,dico autem humidum: continget ſic per ipſum trudi, ut per baculum ianuã. Quomodo ergo non eſt abſurdum, dicere ſolidum corpus à fluido,& cedente cuilibet protrudi? Dicet autem fortaſſe quiſpiam.Sic per mediam humiditatem,quæ eſt in manu, trudit, ut ſi quis manui pelliculam, uel ueſtem obtendens ſic truſerit.Et quid dico? Ipſa caro eſt mollis: ſed tamen quia non ipſa per ſeipſam trudit,ſed cum oſsibus,quæ per ipſam intermediam trudunt,poteſt etiã duriſsima protrudere.Ad hæc ergo dico, quòd caro,cùm ſit ſibi ipſi cohærens,nec diſpergi poſsit,non diffluit: neq; in protruſione,decidit: etiam ſi re uera uideatur utrinq; in protruſione cedere. Quare & ſi quis ualde uinſus fuerit, diſrumpatur quoque.At non ſimiliter quòd & ipſa diſpergi non poſsit,& ſit circumcirca extenſa, & ueluti cohærens, & congenita, eadem, quæ caro, ſuſtinet. Aqua autem & aër diſpergi poſſunt,& ſunt friabilia,& cuilibet ui cedunt,& locum dant trudentibus.Hinc autem didiceris.Clarum eſt utique, quòd uacua amphora aëre plena eſt. Quando ergo eam aqua impleuero,omnis aër recedit,ut ne eius quidem aliquid uel minimum relinquatur.Certe ſi quid relictum ſit, quòd aquæ non ceſſerit,bullas facit:iiſq; ruptis,ſe propriæ uniuerſitati ſeu, ut ita dicam,totitati adiungit. Si ergo aquæ,quæ eſt adeò mollis, & fluida,& ei propemodum ſimilis,ſubeſſe non poteſt,neque eius compreſsionem ſuſtinere:quanto magis ſolidis quibuſdam, & duris inter ſe occurrentibus corporibus, intermedius relinqui non poterit,qui ne culicis quidem uim ſuſtinet, ſed qui omnibus cedit? Quare fieri non poteſt,ut inter ea, quæ ſe tangunt,aliquid aëris uel aquæ relinquatur: niſi intercedant loca aliqua aperta,uel obſcura, ſecundum quæ non quadrant inter ſe,quæ ſe attingunt.Neq; enim ſic ſunt corporum figuratæ ſuperficies,ut tota exactè totis quadrent. Humiditas itaq; in iis locis,in quibus defectus eſt, reſidet Quæ, poſtquam diſiuncta ſunt à ſe inuicem,quæ ſe prius tangebant,rurſus diffuſa implet ſuperficiem: & maximè ſi ſint mollia, quæ ſe attingunt,& trudunt,uel ambo,uel alterum.Compreſſa enim carne,quàm maximè comprimi poteſt,in concauitates confluit humiditas. Poſtquam ergo ſeiuncta fuerint,quæ ſe tangebant:in proprium ſitum caro reuertitur:& ſic,cùm in una planicie fuerit humiditas,ad reliquas quoq; partes circumfunditur.*

114 Vtrum ergo omnium ſimiliter eſt ſenſus, vel aliorum aliter,quemadmodum nunc videtur? Guſtus enim, & tactus,quòd tangãt:alij autem procul. Hoc autem non ita eſt. Sed & durum,& molle per alia ſentimus:ſicut & ſonatiuũ,& viſibile,& odorabile.Sed hæc quidem eminus:illa verò cominus. Quare latẽt. Quandoquidem omnia per mediũ ſentimus: Sed in his latet.Atqui quemadmodum prius quoq; diximus,etiam ſi per pelliculam omnia tangibilia ſentiamus,quæ neſciatur quòd prohibeat,ſimiliter quidem haberet,vt & nũc, in aqua,& aëre:Putaremus enim ea tangere, & nihil eſſe intermedium.

*Poſtquam oſtẽdit,quòd neq; in aqua, nec in aëre ſe inuicem attingunt,quæ in eis ſe tangere uidentur:eo quòd intercedat, uel aër,uel aqua:hoc ueluti compendio utens,tranſit ad propoſitum.Id autem erat oſtendere, quòd in tactu quoque ſeruatur eadem proportio,quæ in aliis ſenſibus. Dico autem, quòd per id quoq;,quod intercedit,in tactu fiat apprehenſio. Hac enim ratione uidebantur oſtendere carnem non eſſe ſenſorium,quòd non eandem ſeruaret proportionem,quæ erat in aliis ſenſibus. Non eſt ergo,inquit,diuerſa ſenſoriorum apprehenſio,ut nunc uidetur.Videtur enim guſtus,& tactus, ipſis ſenſoriis ſenſilia tangentibus,ſic ea apprehendere: reliqui autẽ non ſic: ſed cùm procul ſunt à ſe inuicem & ſenſilia & ſenſoria,ſic per id,quod intercedit,ea apprehendere. Hoc ergo,inquit, non eſt uerum, ſed & in tactu eſt aliquid, quod intercedit,ſicut & aliis. Sed in auditu,& uiſu,& olfactu multum eſt, quod intercedit. & ideo manifeſtum eſt,& non latet.In guſtu autem,& tactu paruum,itaq; latet.Si enim ita habent,quæ in aëre ſe tangunt,ſicut &,quæ in aqua:illa autem ſic ſe tangunt, ut ſint extrema humida: ergo &,quæ ſunt in aëre,non citra medium ſe inuicem attingunt.Sed quoniã eſt exiguus,qui in medio intercipitur,aër meritò latet,& nec eſſe uidetur.Nec eſt mirandũ,ſi latet:quando,ſi nobis tangentibus eſſet circumcirca extenſa pellicula,citra medium tangeret,illa propter paruitatem latente,nec aperiente,quòd per ſeipſam intermediam arcet ea,quæ tanguntur. Sic ergo & nunc nos latet propter paruitatem aër prohibens, nec ſinens,ut citra medium tangat tangibilia.Sed et ſi latet ſenſum:ratio tamen cõuincit ex eo,quod in iis accidit,quæ in aqua ſe tangunt, & madefactam carnem habent.*

Sed differt tãgibile à viſibilibus, & ſonatiuis,quòd illa quidem ſentimus, eo quòd id, quod intercedit,nobis aliquid faciat:tangibilia autem,non ab eo, quod intercedit, ſed cũ eo,quod intercedit,ſicut qui eſt per clypeum percuſſus.Non enim clypeus percuſſus percutit: ſed vtrunq; percuſſum eſſe euenit. 115

*Poſtquam dixit commune eſſe in omnibus ſenſibus,ut per aliquid,quod intercedat, fiat apprehenſio:nunc dicit in quonam differt guſtus,& tactus à reliquis.Alij enim ſenſus,inquit,non ab ipſis primo ſenſilibus patiuntur,ſed eo,quod intercedit,primò à ſenſilibus affecto,ſenſorium ab eo,quod intercedit, patitur.Nã & colores motores eſſe dicti ſunt eius, quod eſt perſpicuum ſecundum actum,& ſonus perſonatiui motor: ſimiliter autem & odores eius,quod ſonos tranſuehit. In tactu autem & guſtu,non eo,quod intercedit, primò patiente à ſenſilibus, ſic ad nos per id,quod intercedit, tranſmittitur affectio, eo in nos agente:ſed ſimul cum eo, quod intercedit, afficimur à ſenſili. Tangibilia enim ſimul &, quod intercedit, & ſenſorium afficiunt*

*efficiunt. Aperto autem ad probandũ hoc exemplo utitur. Qui enim à lancea, uel lapide, uel aliquo alio, per clypeũ percuſſus eſt, ſimul cũ clypeo ipſe quoq; à lãcea, uel lapide uulneratus eſt: ſed non ipſe à clypeo: clypeus autem à lancea: ſed cum ea ipſe quoq;. Hoc enim illud, Simul, declarat. Sicut enim humidũ, ſuccis ſuſceptis, fit ipſum ſenſile, quòd ſuccũ in ſeipſo ſuſcipiat: nõ itaq; per ipſum ſuccum ſentimus: ſed cum ipſo ab humido patimur: Sic & tangibilium, qui per ea, quæ intercedũt, ſunt ſenſus, fiunt ipſis patientibus ſimiliter ac ſenſorium. Nõ ſic autem & uiſus colores apprehendit, quòd coloretur aẽr, ſed per eum intermedium. Sed differt tangibile à uiſibilibus & ſonatiuis. Quoniam oſtendebat ſententia, quæ carnẽ uult eſſe ſenſorium, refellitur autem, quòd in tactu non ſeruetur ſimilitudo ad alios ſenſus, eſſe in tactu quoque, quod intercedit, ſicut & in alijs, & non citra medium carnem ad tangibilia accedi: In idipſum quod dixerat rurſus incidit, quòd non amplius ſeruetur tactus proprietas, & ſignificatio. Non enim ſe mutuò tangunt, quæ per aliquid, quod intercedit, arcentur. Ea itaq; ratione & tactus appellatus eſt, quòd alij quidem non citra medium à ſenſilibus afficiũtur: ſed à ſenſilibus quidem id quod intercedit: ab eo autem ſenſus. Tactus autem ab ipſis tangibilibus citra medium afficitur. Hoc autem quod contra opponitur ueluti diſſoluens, hæc ſubiunxit, quòd etſi eſt, quod intercedit, in tactu quoque ut in alijs, non tamen propterea pereunt, quæ ſunt tactiuæ facultatis propria. Afficitur enim ſenſus non ab eo, quod intercedit, ut alij: ſed ab ipſis ſenſilibus cum eo, quod intercedit. Quare & ſimilitudo, quæ eſt ad alia ſenſilia, ſeruatur in tactu quoq;, ut ſit in eo quoque, quod intercedit: &, quod tactus eſt proprium, non perit. Ipſum enim, quod intercedit, præditum qualitate redditur, & fit materia calidi, uel frigidi, uel ſicci, uel humidi: & cum ipſo ſenſoriũ, quod nõ fiebat in alijs: ſenſilium enim operationes ſolum ſuſcipiebant ſenſus. Sciendum autem, quòd neque tactiuum ſenſorium ab omni ſenſu qualitatem ſuſcipit. Neq; enim, quando graue & leue apprehendit, lentum & friabile, aſperum & lene, talis fit caro: ſed ſolum cognitiuè eius ſpecies ſuſcipit. Quoniam autem, ut ſæpe dictum eſt, omne corpus ex contemperatura humidi, & ſicci, calidi, & frigidi cõſtat: propterea & quando ab eis afficitur, ut ſenſus quidem ea apprehendit. Et eſt quidem hinc colligere, quòd hæ ſolæ ſunt duæ oppoſitiones, ex quibus conſtat omne corpus naturale, & ſolæ qualitatem tribuunt ijs, quæ ab illis afficiuntur, ſenſorijs, & in eis ſubſtantialiter inſunt. Grauitas autem & leuitas etſi omne corpus conſequãtur: omne enim corpus quod generari poteſt, eſt uel graue uel leue: tamen quando in tactum agunt, non mutant carnem in ſuam proprietatem, ſicut caliditas, & humiditas, & frigiditas & ſiccitas.*

116 Omnino autem videtur caro, & lingua, vt aẽr, & aqua ad viſum, & auditũ, & odoratum habent, ſic habere ad ſenſorium, ut eorũ vnũquodq;. Cùm ipſum autem tangitur ſenſorium: neque hic, neq; illic fit ſenſus. Vt ſi quis corpus, hoc, uerbi gratia, album, ſuper oculi extremum poſuerit, certè vel manifeſtũ eſt, quòd id, quod eſt intus, eſt tangibilis ſenſorium: ſic enim contingat ſicut & in alijs. Impoſita enim ſuper ſenſorium non ſentit: impoſita autem ſnper carnem ſentit. Quare, quod inter tactiuum intercedit, caro eſt.

*Poſtquam dubitauit, nunquid in tactu, & guſtu eſt aliquid, quod inter carnem, & tangibilia intercedit, ſicut & in alijs ſenſibus, ut ex eo in tactu quoq;, eadem proportione ſeruata, ſit caro ſenſorium: hic rurſus contra argumentatur, quòd nõ eſt ſenſorium, neq; lingua, neq; caro. Hoc autem confirmat, ut iam dixi, ex conuenientia, & proportione, quæ eſt ad alia ſenſilia. Sic autem format ſyllogiſmũ in ſecunda figura. Super ſenſoria impoſita ſenſilia non faciunt ſenſum. Super linguam autem & carnem impoſita faciunt ſenſum. Non eſt ergo caro, & lingua ſenſorium. Atqui albo corpore ſuper oculum impoſito, omnino neceſſe eſt eſſe aliquid, quod intercedit, ſicut erat & in tactu Sed tamen non apprehendit, eo quòd certa quantitate prædito opus eſt eo, quod intercedit. Si ergo oportet eandem proportionem in omnibus ſenſibus ſeruare: In alijs autem, ſuper ſenſoria poſitis ſenſilibus, non fit eorum apprehenſio: fit autem poſitis ſuper carnem tangibilibus: Videtur non eſſe ſenſorium tactus, & guſtus: ſicut in alijs oculus, auris et naris. Eſt enim auditiuæ quidem facultatis ſenſorium membrana: Odoratiuæ, mamillæ formam præ ſe ferens cerebri proceſſus, qui græcè ἀπόφυσις. Neceſſe eſt ergo intra carnẽ eſſe guſtatiuum, & tactiuum ſenſorium. Spiritus enim commune omnium omnium ſenſorium. Eſt enim communis in eo ſenſus. Hucuſq; ergo Ariſtotelis argumentatio in utranq; partem proceßit. Vt autem iam dixi, tota eius ſententia ex prædictis excerpta, dicet quiſpiam, quòd, & id, quod intercedit, & ſenſorium, uult eſſe carnem, propter prædictas rationes. Non neceſſe eſt autem omnino eandem proportionẽ in omnibus ſenſibus ſeruare. Nam ſi caro eſt id, quod intercedit, oporteret proportionem ſeruari in omnibus ſenſibus: & ſicut in alijs, id, quod intercedit, per quod ſenſus eſt, non ſentit: ſic oporteret nec carnem quidem ſentire, ſi per eam intermediam fit tactus. Non eſt ergo neceſſe eandem proportionem in omnibus ſeruare.*

Tangibilia ergo ſunt differentiæ corporis, quatenus corpus: Dico autem differentias, quæ elementa definiunt, calidum, frigidum, humidum, ſiccum: De quibus prius diximus, vbi de elementis egimus. Senſorium autem eorum tactiuum, in quo, qui tactus dicitur, primò ineſt: pars quæ potentia talis eſt, qualia ſunt tangibilia actu. 117

*Poſtquam dubitauit de tactu, orationem reſumit, & quærit quænam ſint tangibilia: & eorum ſpecies enumerat, ſicut in alijs fecit. Dicit ergo, quòd tangibilia ſunt differentiæ corporis, quatenus corpus: differentiæ, ſcilicet, conſtitutiuæ. Quæſiuit autem & in libro de generatione et corruptione (ita enim librum uocat qui tractat de elementis) quænam ſint communiter omnium corporum conſtitutiuæ qualitates? & dixit, quòd neq; colores, neq; ſucci, neq; quicquam eiuſmodi: eo quòd maximè communia principia quærimus. Hæc autem non ad omnia pertingunt. Sunt enim nõ colorata corpora, ut aẽr, & ipſe ſuccus, & ſic alia plura. Secundum medicos autẽ & aqua. maximè autẽ cõmunia corporũ principia, tactiuæ qualitates: eo quòd omne corpus eſt protinus quoq; tangibile. Sed tangibilium pluribus enumeratis oppoſitionibus, omnes reduxit ſub oppoſitionem calidi, & frigidi: humidi, & ſicci: & oſtendit ea eſſe maximè communia corporum principia, ſecundũ quæ formam elementa quoq; accipiunt. Meritò autem addidit & illud, Quatenus corpus. Nõ enim, quatenus ſunt corpora, colorata colorata ſunt. Si enim ita eſſet, omne corpus ſtatim quoq; oporteret has habere qualitates. Nunc autem non ita eſt. Calidi autem, & frigidi, & ſicci, & humidi oppoſitio in omnia corpora peruadit. Omne enim corpus ſtatim eſt uel ſiccum, uel humidum, uel calidum, uel frigidum. Rectè itaq; dictum eſt has ſolas qualitatum oppoſitiones eſſe conſtitutiuas corporum differentias. Quid igitur, nunquid & graue & leue in omnibus corporibus conſideratur?*

ſideratur?in corporibus autem nunc dico,quæ ſunt,ſcilicet,generabilia. Sed dico, quòd maximè quidem graue & leue ſunt tangibiles qualitates,& ad prædictas reducũtur: ut in libro de generatione oſtendit: Deinde omne corpus, quod eſt in propria uniuerſitate, ſeu, ut ita dicam,totitate,neq; eſt graue,neq; leue.Graue autem uel leue tunc fit, quando à propria uniuerſitate receßit. Quoniam ergo nihil eſt ſemper in eo, quod eſt præter naturam: quando ignis præter naturam inferius fuerit, feſtinat ad eum occupandum locum,qui eſt ſecundum naturam: & propterea ſurſum mouetur.Quod autem ſurſum mouetur, leue dicimus. Similiter & gleba,ſi præter naturã ſuperius fuerit,feſtinans ad proprium locum,deorſum mouetur. Quod autem deorſum mouetur,graue dicimus. Si autem corpora, quæ ſunt in loco,qui eſt ſecundum naturam,neq; ſurſum,neq; deorſum mouentur:neq; grauia fuerint,neq; leuia.Et alioqui caliditas & frigiditas,ſiccitas,& humiditas,ſunt actiuæ, & paßiuæ differentiæ.Leuitas autem,& grauitas non ita.Illis autem opus eſt ad elementorum generationem, & conſtitutionem.

118 Sentire enim eſt aliquid pati. Quare,quod facit quale ipſum actu,tale illud facit potentia exiſtens.

Poſtquam dixit tactiuum potentia eſſe,quod tangibile, hoc ipſum confirmat.Quatenus enim,inquit,ſentire eſt aliquid pati,ut dictum eſt: à nobis autem poſitum erat,quòd id,quod patitur,partim quidem idem eſt, quòd id, quod agit: partim autem non eſt idem: potentia quidem idem: actu autem nõ idem: patiens enim non idem: paſſum autem idem: Si autem patiens à ſenſili fit ei ſimile: potentia ergo erat, priuſquàm pateretur,quod ſenſile,

Quare,quod eſt ſimiliter calidum, vel frigidum,& durum,& molle,non ſentimus,ſed exceſſus. Vt pote quòd ſit ſenſus quædam veluti medietas eius quæ in ſenſitiuis eſt,contrarietatis: & propterea iudicat ſenſilia. Mediũ enim eſt quod iudicat:fit enim ad vtrunq;
119 eorum alterum extremorũ.|& oportet ſicut, quod eſt ſenſurum album,& nigrum, neutrũ eſſe actu,ſed vtrunq; potentia: ſic & in alijs, & in tactu,nec frigidum,nec calidum.

Quandoquidem enim ſenſorium corpus: omne autem corpus tangibile: tactiuũ autem à tangibili patiens,fit ei actu ſimile: nihil autem patitur à ſimili: neq; enim quicquam ſentit ſimiliter temperatum tangibile:Quare ſi ſimilia non apprehendit,exceſſuum & defectuum fuerit apprehenſio: Vt pote quòd ſit ſenſus medietas quædam eius, quæ in ſenſitiuis eſt,contrarietatis,& propterea indicat ſenſilia.Senſum nunc ſenſorium dicit. Medietatem autem ſenſum ſiue tactum: de eo enim nunc agitur: uel etiam de omni. Omnes enim ſunt in medio contrarietatis,cuius eſt unuſquiſq; iudex.Sic enim eſt in medio utriuſque contrariorum rationem ſuſcipere. Non enim ſimpliciter, quod eſt in neutra contrarietatum,in medio eſſe propriè oportebat.Quod eſt enim coloris expers, quomodo dicatur eſſe nigri & albi medium? Niſi,ut dixi, quatenus poteſt utriuſq; contrariorum rationem ſuſcipere. Similiter autem &,quod eſt ſoni expers,&,quod ſucco,& odore caret.Non enim,ſicut in tactu neceſſe eſt ſenſorium ita eſſe temperatum, ut ſit mediũ inter contrarietates tangibilium: ſic & in alijs ſenſorijs, quòd in medietate contrarietatis qualitatem habeant, ſunt eorum ſenſitiua.Non enim corporibus naturalibus ſecundum illas qualitates eſt eſſe,ſed ſecundum tangibiles.Itaq; reuera quidem tactus eſt medietas.Habet enim intercedentem aliquam extremorum qualitatem.Quæ uerò non in mixtione extremorum, ſed in abſentia,eorum quonammodo media fuerint: niſi ſecundum prædictam rationem,quòd poßint extremorum rationem ſuſcipere? Fit enim ad utrunque eorum alterum extremorum.Quomodo mediũ exceſſus iudicet oſtendit. Quod eſt enim in medietate aliquorum, ad utrunq; extremorũ eſt quodammodo alterum.Ad id enim,quòd eius propriam qualitatem ſuperat, frigidum: ad id autem,quòd ſuperat frigiditatem,calidum.Sic autem erit potentia ſimile contrarijs, & non actu.Et patitur ab ipſis,non ut à ſimilibus, ſed à dißimilibus A` calidiore enim,ut frigidum. A` frigidiore,ut calidum. Hoc autem propriè fuerit de tactu dictum.

Præterea autem ſicut eius, quod eſt viſibile,& quod inuiſibile,erat quodãmodo viſus: 120
Similiter autem,& reliqui oppoſitorum: Sic & tactus eius quod tangibile, & eius quod non tangibile. Nõ tangibile autem eſt,quod & paruam omnino habet differentiam tangibilium:quale paſſus eſt aër: & tangibiliũ exceſſus,vt quæ poſsint corrumpere. De vno quoque ergo ſenſu typicè dictum eſt.

Quemadmodum dixi & in alijs ſenſibus, quòd indicant non ſolum propria ſenſilia,ſed & priuationes: ſic & tactum dicit indicare non ſolum tangibilia, ſed & non tangibilia.Sed in illis quidem erat propriè priuatio,ut in uiſu tenebræ: & in auditu ſilentium,& in odoratu,& guſtu,quod odorem,& quod ſuccum non habet: In tangibilibus autem non eſt omnino corpus non tangibile:quoniam,ut dictũ eſt,tactiuæ qualitates ſunt conſtitutiuæ corporum.Sed non tangibilia dicit eſſe,uel, quæ poſſunt per exceſſum corrumpere,uel,quæ ſunt ſenſim tangibilia. Eiuſmodi autem fuerint,quæ non multum diſtant à ſenſorijs ſecundum tactiuas qualitates: ſed ferè ſunt ſimilia: & ea ſunt ratione ſenſim tangibilia,eo quòd ſimile à ſimili pati non poßit. Tale autem eſt aër: & ideo eius exceſſus ſentimus: Dico autem quando frigefactus fuerit,uel quando calefactus. Excedit enim deinceps ſimilitudinem,quæ eſt ad ſenſoria: Et deinceps ut contrarium à contrario patitur.Quando autem eſt in commoderatione,ferè ne ſentimus quidem eam,quæ eſt in ipſo,qualitatem. Poteſt autem hic ἀνάπτον, id eſt,nõ tangibile,audiri, uel quod natura non eſt aptum ut ſubijciatur tactui, uelut color, & ſonus:uel quod eſt exile: uel quod nociuum. Cap 8

In vniuerſum autem de omni ſenſu hoc accipere oportet:quòd ſenſus quidem eſt,quod eſt ſuſceptiuum formarum ſenſilium ſine materia. Vt cera quidem annuli ſine ferro,& auro ſignum ſuſcipit. Accipit autẽ aureum, vel æreum ſignum,ſed non quatenus æs, vel aurum,Similiter & ſenſus vniuſcuiuſq; patitur ab eo,quod habet colorẽ,vel ſuccum, vel ſonum: Sed non quatenus vnumquodq; illorum dicitur: ſed quatenus tale, & ſecundum rationem. 121

Poſtquam ſeorſum dixit de unoquoque ſenſu,& proprijs uniuſcuiuſq; ſenſilibus: uult nunc de omnibus communiter dicere:& de ijs definire,de quibus obſcure dixit, cũ de unoquoque ageret. Vt in unoquoq; dixit,ſenſum,qui eſt potẽtia quod ſenſile, ab eo in actum duci, & eſſe id,quod illud. Quomodo ergo ſenſus à ſenſilibus patitur,& eis aßimilatur nũc dicit. Sic enim,inquit,fit id quod ſenſile,non albus factus uel dulcis: ſed ſenſilis formam ſine materia ſuſcipiens,id eſt, puras eorum

rationes

*rationes cognitiuè impreſſas & inſculptas habẽs. Nihil enim, ut ſemel dicam, ab aliquo patiens, agẽtis materiam ſuſcipit, ſed formam, quæ in ipſo eſt. ſicut & cera id, quod in auro eſt, ſignaculum, non aurum. Non enim, quatenus eſt argenteum, uel aureum, ſigillum ei aſsimilatur: ſed quatenus talem formam habet. Si enim, quatenus aureum uel argenteum ſigillum, cera ei aſsimilaretur: generatio eſſet, & corruptio: Generatio quidem auri, uel argenti: ceræ autem corruptio. Sic ergo ſuſcipit quoque ſenſus eam, quæ in melle eſt, dulcedinis formã, non quatenus eſt mel, ſed quatenus habet talem formam dulcedinis. Differũt autẽ, quæ ſentiũt, ab iis, quæ ſimpliciter patiũtur, nõ autẽ ſentiunt: quòd ea quidẽ, quæ ſentiũt, ſic id ſuſcipiunt, quòd cognoſcãt, & indicẽt eam, quæ in ipſis fit, formã, cùm altera patiãtur quidem. ſed non cognoſcãt: Cuiuſmodi ſunt ſpecula, & effigies, quæ differunt à ſenſibus, quòd non poſsint iudicare affectum, qui in ipſis fuerit. Differunt autem hæc ipſa, & reliqua à ſenſibus (nam patiuntur naturalia corpora: patiũtur enim à caliditate, & frigiditate, albedine, & ſimilibus) quòd hæc quidem ab agentibus, ſecundum utrunq; ſimul agentibus, ſic patiuntur. Ignis enim non ſecundum formam tantum agit in aërem, & ipſum calefacit. ſed ſecundum utrunq; ſimul. Tanquam corpus enim agit in ipſum. Eſt autem apertum ſignum in bono & malo odore. Cum ſubiecto enim agit in aërẽm & ueſtes bonus odor, immixta quadam in eis ſubſtantia, quæ exiſtit ex bene olente corpore. Similiter & ueſtes, quæ colorantur, patiuntur. Atq; etiam ſucci agunt in corpora. Aliter enim ab aquis dulcibus afficiuntur eorum, quæ lauantur, corpora: & aliter à ſalſis, ſubſtantia quadam una cum ſucco immixta. Ac domorum quidem ædificatores, lapides, quos firmos, & ualidos eſſe uolunt, dulcibus aquis diu præmadefactos, ſic ad ædificationem aſſumunt. Cernitur autem maris ſalſugo rupes, & petras excedens. Inanimata ergo, & omne, ut ſemel dicam, corpus, quatenus eſt corpus, à ſenſilibus qualitatibus patitur: & agente ſecundũ utrunque ſimul patiente. Senſus autem neq; ab utroq; ſimul patitur: ſed à ſola forma: ſicut & cera à ſigillo: nec ipſe, ſecundũ utrũque ſimul agente, & patiente ſecundum utrunque ſimul, patitur. Neque enim coloratur ſenſorium, uel fit bene olens, niſi ſecundum ſolam formam: Dico autem ipſam ſenſitiuam facultatem. Nam & corpus à caliditate patitur: patitur autem & tactiuus ſenſus, ſed non eodem modo. Sed ſenſus quidem à ſola calidi forma cognitiuè patitur: ſenſorium uerò, caro, ut materia, ſecũdum utrunq; ſimul, ipſa ſubiectum caliditati effecta, & à calefaciẽte toto, ut toto, affecta. Et non eſt certe mirandum, ſi à ſenſilibus quidem aliter patitur ſenſus: aliter uerò ſenſoriũ, & omnino corpus. aliud eſt enim eis eſſe colores, uel ſuccos, uel ſonos, uel frigida, uel calida: & aliud ſenſilia. Quare color quidem eſt, & ſucci, & ſoni, & reliqua, etiam ſi non ſit ſenſus: ſenſilia autem non ſunt, niſi ſit ſenſus, qui ea apprehendit. In ſenſus ergo agunt ut ſenſilia. in corpora autem non itidem, ut ſenſilia: ſed ut colores, ut ſucci. Et ſecundum unãquamq; formam habet & ſubſtantiam, et totum in totum agit, & patiens totum à toto patitur.*

122 Senſorium autem primum, in quo talis facultas, eſt quidem certè idem: eſſe autem alterum. Magnitudo enim quædam fuerit id quod ſentit, non autem eo quòd ſit ſenſitiuũ. Neq; ſenſus eſt magnitudo, ſed ratio quædam, & facultas illius.

*Poſtquam dixit de ſenſu, dicit & de ſenſorio. Primũ autem dixit ſenſorium, in quo ſenſitiua facultas, qui eſt irrationali animæ ſubiectum, ſpiritum. In eo enim primo ſenſus habet ſuum eſſe. Nam ſenſoria quidem, & oculi, & aures, & nares: ſed nõ prima. Non eſt enim in iis ſenſitiua facultas: ſed per ea affectus ad illum tranſmittitur. Eſt ergo idem: eſſe autẽ alterũ. Senſus, inquit, id eſt ſenſitiua facultas, & ſenſorium, in quo primo facultas collocatur, ſunt eadem numero. Non eſt enim ipſe per ſe ſenſus ſine ſubiecto, hoc eſt ſpiritu, qui eſt primum ſenſorium. Vnum ergo hæc ſubiecto. Vt unum hominem dicimus, & unam nauem, materiam cum propria forma, totum compoſitum unum dicentes. Atqui ſubſtantia certè duo ſunt. Aliud enim ſenſus: & aliud, quod eſt ei ſubiectum. Ille enim eſt incorporeus, & expers magnitudinis. Quod eſt autem ei ſubiectum, corpus, & magnitudo. Et ſenſitiuum dicitur, non, quatenus habet magnitudinem, ſed, quatenus habet ſenſum.*

Ex his autem apertum eſt, & quam ob cauſam ſenſilium exceſſus ſenſoria corrumpunt. 123
Si enim ſenſorio fuerit validior motus, ſoluitur ratio. Id autem erat ſenſus, ſicut & concentus, & tonus, valde pulſatis fidibus.

*Cùm oſtendiſſet ſenſoria, quatenus ſenſoria, in aliqua eſſe ratione & commoderatione, quatenus quidem habent ſenſitiuam facultatem, quæ eſt eorum ratio, & forma, per quæ ipſum habet ſenſorium ſuum eſſe: ex iis claram eſſe dicit cauſam, cur ſenſilium exceſſus corrumpant ſenſoria. Si enim, quatenus ſunt ſenſoria, in quadam commoderatione ſunt, & mediocritate, ut iam dixit: Taliter enim contemperatum ſenſorium fit aptum ad ſenſus ſuſceptionem. Præterea ſenſoriis à ſenſilibus motis, ſic fit ſenſiliũ ſenſus: meritò ergo & immoderatus ſenſoriorum à ſenſilibus motus commoderationẽ corrumpit. Corrupta autem commoderatione, fiunt inepta, nec ſatis accommodata ad continendam ſenſitiuam facultatem. Duos enim affectus patitur ſenſorium: Vnum quidem ut ſimpliciter corpus: aliud uerò, ut à ſenſorium. Vt corpus ergo, à corpore patitur: Vt ſenſorium autem, à ſenſilium operatione. Sicut oculus, ut ſenſorium quidem, patitur, congregatus, uel diſgregatus à colorum operatione: Vt corpus autem, patitur ab igne, uerbi gratia, calefaciente. Et auris ſimiliter, ut ſenſorium quidem, à ſonis patitur: Vt corpus autem, à uehementi aëris motu. Nõ eſt enim idem ſonus, & aëris motus. Non tamen ſine aëris motu ſonus. In magnis ergo ſonis magno facto ſono, compreſsione, & conſtipatione lædit motus auditiuum ſenſorium, ut corpus. Quomodo autem à uiolentiore ictu ſoluitur ſenſoriorũ ratio à ſenſilibus, oſtendit collatione eorum, quæ ad Harmoniam compoſita, & concinnata ſunt. Nam in his, qui eſt in fidibus concentus, quæ eſt mediocritas, & forma quædam talis chordarum appoſitionis ex qualitate quadã prædita intẽtione, & remiſsione, ſoluitur, & corrumpitur, etiamſi chordæ nõ corrũpuntur. Similiter etſi chordæ uehementius pulſentur. Exceſſus enim ea corrumpunt, quæ in commoderatione, & mediocritate eſſe habent. Rationem autem non Harmoniam compoſitorum dico: Sic enim animam diceret Harmoniam: Hoc autem in primo libro ſuſtulit: ſed formam dicit, quæ accedit tali compoſitioni, & commoderationi: qua ſoluta, forma quoq; neceſſario corrumpitur. Differt autem fidium Harmonia, & ſenſitiua facultas in ſenſoriorum commoderatione: quòd harmonia quidem ſit ipſa commoderatio, quæ ab exceſſu, & intentione chordarum ſoluitur: Senſus autem, ea, quæ in tali eſt commoderatione, facultas: illius enim eſt aliquid & illa: eſt enim huius forma.*

Et quamnam ob cauſam plantæ non ſen- 124
tiunt, cùm aliquã animalem partem habeãt, et à tangibilibus aliquid patiantur: nam & refrigerantur, & caleſiunt. Cauſa enim eſt, quód medietatem non habeãt. neq; eiuſmodi prin-

cipium, quod poſsit ſuſcipere formas ſenſiliũ: ſed patiuntur cum materia.

*Poſtquam dixit, quòd ex iis, quæ dicta ſunt de ſenſu, & ſenſorijs, fit manifeſta cauſa, cur exceſſus corrumpant ſenſoria, quòd ſint in mediocritate: mediocritates autem ab exceſsibus corrũpuntur: ex his ipſis dicit eſſe apertum, & quamnam ob cauſam plantæ non ſentiunt: cùm aliquam partem animalem habeant: aluntur itaq; & augentur, & ſibi ſimilia generant: et à tangibilibus aliquid patiantur: nam & refrigerantur, & caleſiunt. Huius autem cauſa eſt, quòd non habeant ipſa partem, quæ eſt in mediocritate tangibilium, & præterea facultatem, & principium in ea ſuſceptiuum formarum, quæ ſunt in ſenſilibus, ſine materia. Neq; enim quomodocunq; animatũ erat ſentiens, ſed quod talem habebat facultatem. Medietatem autem dicit ſenſoria, uel quòd ſenſilium medietatem apprehendunt, & ab exceſſu & defectu læduntur: uel medietatẽ, quòd ſint in medio ſenſiliũ, & ſenſuũ. Sed patiuntur cũ materia: id eſt, etiam ſi à ſenſilibus patiuntur, non ſic patiuntur, ut ſenſitiua ſecundũ formam patientia, & non ſecundum materiam: ſed patiuntur cum materia, hoc eſt, materialiter, & corporaliter. Quæ eſt enim eis ſubiecta materia à ſenſilibus patiens, in ſeipſam recipit ſenſilium affectus, ipſorum effecta materia, & tanquam materia, ipſa in ſeipſam ſuſcipiens, erat ueluti inanimata. Illud enim, Cum materia, ſignificat, quòd ipſa, ut materia, patiuntur. Patitur autem ut materia, quod formam affectus accipit, quem patitur. Nonnulli ergo ſic acceperunt illud, Pati cum materia, pro eo, quod eſt, ſecundum propriam materiam pati, quæ conuertitur, & mutatur. Quid autem pati cum materia ſenſilis, dicit, quòd ſenſus quidem, ut iam ante diximus, patiuntur ſolum à formis ſenſilibus: uiſus quidem à colore: non autem à ceruſſa uel lana, uel quodcunq; fuerit colori ſubiectum: ſimiliter & in alijs: Inanimata autem à ſenſilibus patientia, non ab ipſis ſolum formis patiuntur, ſed ab utroq; ſimul. Quòd enim hoc admixtum ſit, uerbi gratia, aquæ, ſic fit dulce. Similiter uapor, ſi ueſti inſideat, eam bene olentem reddit. Similiter & colores agunt in corpora, ut ea, quæ tinguntur. Cum propria enim materia ueſtibus immiſcentur. Sic & ſonus, qui lignum rumpit, ſubiecti aëris protruſione hoc facit. Videtur autem in calido, et frigido ſolum hoc nõ euenire. Sola enim caliditas appoſito igne alterat ſubiecta, ut aërem Et in frigiditate ſimiliter. Appoſita enim glacies frigefacit, nõ immixta eius ſubſtãtia frigefacto, ſed qualitate tantũ alterans. Id autem propterea, quòd hæ ſolæ qualitates generationis, & corruptionis effectiuam cauſam habẽt. Generatio autem, & corruptio ſubiectæ ſubſtantiæ mutatione ex ſua natura fit.*

125 Dubitauerit autem quiſpiam, an ab odore patiatur aliquid, quod odorari nõ poteſt: vel à colore, quod non poteſt videre. Similiter autem & in alijs.

*Poſtquam dixit, quòd inanimata, licet ſenſum non habentia, à tangibilibus patiuntur qualitatibus: patiuntur autem corporaliter, & materialiter: meritò poſtea quærit, an fieri poſsit, ut et ab alijs qualitatibus quid patiatur eorũ, quæ ſenſu carent.*

Si autem odorabile, odor: ſi quid facit odoratui, quatenus odor facit. Quare eorum, quæ olfieri non poſſunt, fieri non poteſt, vt quidquam ab odore patiatur. Eadem autẽ ratio in alijs: neq; eorum, quæ poſſunt, niſi quatenus vnum quodq; ſenſitiuum.

*Hinc dubitationem ſoluit: & oſtendit quòd nihil eorum, quæ ſenſum non habent, patitur à ſenſilibus. Si enim odorabile, inquit, non eſt aliud, quàm odor: & guſtabile nihil eſt aliud, quàm ſuccus: Si quid enim guſtum facit, ſuccus eſt: & ſi quid olfactum, odor: ſimiliter & in alijs: odor autem nulli eſt alij, quàm odoratui: ad eum enim & eſt & dicitur: ſimiliter autem & guſtabile ad guſtum: & uiſibile ad uiſum: & in reliquis ſimiliter: à ſenſilibus qualitatibus, ut ſenſilibus, nihil pati poſsit eorum, quæ ſenſum non habent. Neq; eorũ, quæ poſſunt, niſi quatenus unumquodq; ſenſitiuum. et ipſa, inquit, quæ à ſenſilibus pati poſſunt, non ſecundum aliquid aliud ab eis patiuntur, quã, quatenus ſunt ſenſitiua. Vt oculus alio quoq; modo eſt paſsiuus: ſed à uiſibili non aliter patiatur, quàm quatenus eſt uiſiuus. Quare ſi affectus, qui fit à ſenſilibus qualitatibus, non ſecundum aliud fit ab ipſis, quàm quatenus ſenſitiua ſunt ea, quæ patiuntur: Quod non eſt itaque ſenſitiuum, non patietur ab ipſis. Poteſt autem & ſic hoc dictum intelligi, quòd ne ea quidem quæ à ſenſilibus aliquid patiuntur, ab eis ſecundum aliquid aliud patiuntur, quàm ſecundum illud, ſecundum quod eſt ſenſitiuum. Vt oculus à ſenſili quidem pati poteſt, ſed non ab alio ſenſili, quàm ſecundum id, à quo pati ſua natura aptus eſt. Non enim pati poſsit oculus ab audibili, ſed tantum à uiſibili. neq; auris ab odorabili, ſed ab audibili tantum. Multo magis, quæ ne à ſenſilibus quidem pati ſua natura apta ſunt, ab ipſis quicquam pati non poſſunt.*

Simul autem ſic quoq; manifeſtũ eſt. Neq; enim lux, & tenebræ, neq; ſonus, neque odor quidquam faciunt corporibus: ſed ea, in quibus ſunt: vt aër, qui eſt cum tonitru, lignum diuidit.

*Non ſolum, inquit, hoc eſt ex conſequenti apertum, quòd nihil eorum, quæ ſenſum non habent, patitur à ſenſilibus, quatenus ſenſilia: ſenſus enim ad ſenſile: & ſenſile ad ſenſum: ſed & ex ipſa operatione hoc apertũ eſt. Neq; enim, inquit, lux, et tenebræ, id eſt uiſibile, per quod uiſibilia uidemus, quatenus ſunt uiſibilia, quicquam agit in corpus, quod non habet uiſum. Neq; enim apprehendit ipſum, ut uiſibile, id, quod uiſum non habet. Sed neq; audibile, neq; odorabile quicquam agit, quatenus talia ſunt, in ea, quæ neq; auditiua ſunt, neq; olfactiua. Deinde quoniam uidentur quædam corpora eorum, quæ non ſunt ſenſitiua, pati à ſonis: à tonitru enim quædam diuiduntur corpora, ut ligna, & lapides, & eiuſmodi: patiuntur autẽ & ab illuminato aëre ab ipſo calefacta: ab odoribus quoq; bene olens fit aër: ad hoc dicit, q non à tonitru, quatenus eſt audibile, patiuntur, quæ ab eo rumpuntur corpora: ſed ab aëre ſonante uiolenter moto percuſſa diuiduntur, quatenus percutiuntur, non à ſono, quatenus ſonus eſt, & audibilis. Hoc enim ſignificat, dum dicit, Sed ea, in quibus ſunt, id eſt, à ſubiectis ſono: eius autem ſubiectum eſt aër: ab eo patiuntur, quæ à tonitru diuiduntur. Similiter habet & in alijs. Caleſiũt enim inanimata ab illuminato aëre, nõ quatenus eſt illuminatus, neq; à lumine: ſed ab ipſo aëre, quatenus eſt calidus, ab ipſo diſgregata. Patiuntur autem ab odoribus & aër: & reliqua, non quatenus odorabilia odores: ſed ſecundum id, quod eſt ipſis ſubiectum, una cum ipſorum uaporum ſubſtantia commixta, in quibus ſunt odores, ut in mulſo.*

Sed tangibilia, & ſucci agunt. Sin minus, à quonam patiantur inanimata, & alterentur?

*Poſtquam dixit, non pati, quæ ſenſum non habent, à ſenſilibus: idq; oſtendit in colore, & ſono, & odore: Hic dicit, quòd etſi alia ſenſilia in ea, quæ non ſunt, ſenſu prædita, non agunt: tangibilia quidem certè, & guſtabilia agunt. Caleſiunt enim corpora, & frigeſiunt: exiccantur, & humectantur à tangibilibus qualitatibus omnia corpora: Sed non quatenus ſunt ſenſitiua, ſed quatenus corpora ſimpliciter. Si enim, inquit, non*

patiantur

*patiantur à tangibilibus, & guſtabilibus qualitatibus, à quonã patiantur? Eo ergo res deducetur, ut ſint impaßibilia, & inalrabilia: quod eſt abſurdum. Si enim neq; ab alijs patiuntur, neque à tangibilibus & guſtabilibus: non habebunt aliquid aliud, à quo patientur. Erunt ergo impaßibilia omnino.*

127 Nunquid ergo & illa agent? vel non omne corpus paſsiuum ab odore, & ſono. & quæ patiuntur, indefinita, & non manent, vt aër: olet enim, vt quid paſſus.

*Poſtquam dixit, quòd à tangibilibus qualitatibus patiuntur corpora, & à guſtabilibus: quærit an & ab alijs ſenſilibus patiuntur corpora, non autem ſenſitiuè: ſicut neq; à tangibilibus, & guſtabilibus: & dicit quid non omnia ſunt paßiua ab odore uel ſono corpora, pro eo quod eſt, paßibilia. Quare non omnia patiuntur. Sed ſunt, quæ ſub eis ſunt, ſicut, quæ ſub tangibilibus. Neq; enim omne corpus ab eis pati poteſt: ſed ſunt, quæ ab eis patiuntur, humida, ut aër, & aqua: Talia enim ſunt, quæ à coloribus, & ſonis, & odoribus patiuntur, & mouētur. Non uidentur autem, inquit, pati, quòd cùm ſint indefinita, & humida, affectus ſoni, uel odoris, uel coloris non ſeruant. Eſt enim indefinitorum propriũ & in ſeipſis non manere, quòd propriam figuram non habeant, & quòd facile conuertibilem. A` coloribus ergo & ſonis humila & indefinita patiuntur: ab odore autem non hæc ſolum: ſed & quædam ſolida paſſa fiunt bene olentia. Sed eſt aëris proprium & celeriter affici, & affectum abijcere. & alioqui odoris ſubiectum, dico autē uapor, quando fuerit corporibus immixtus, ſicut ſucculentum humidum, quale eſt mel, cùm ſit ſubtilis, & qui facile differri, & exhalari poßit, diſſoluitur, & relinquit ea quibus erat: eo autem diſperſo et exhalato, una quoq; odor perit. Quare etiamſi id, quod odorē ſuſcepit, non ſit facile alterabile, ut ueſtis: ſed tamen propter imbecillitatem uaporis non diu manet affectus. In hoc autē differt ab affectu, qui fit in ſenſu. Seruat enim ſenſus eum, qui fit, affectum: Neq; enim formæ effluit cognitio. Poteſt autem & in omnibus ſenſilibus extendi oratio, & indefinitũ ſic audiri, ut eo diſcernat affectum, qui fit à ſenſilibus, & in ſenſum & in corpora. Qui enim in corpora fit affectus, eſt indefinitus, ut qui neq; ſimul & coacernatim fiat, neq; diu maneat. Quandiu enim propè calidum corpus eſt, tandiu caleſcit. Senſus autem, cùm primum ſe ad ſenſile applicauerit, quam habuit cognitionem, & affectum eundem ſemper retinet: ut neq; intendi, neq; remitti poßit. Ex quo enim tactiuus ſenſus calidum cognouerit, etiam ſi permanſerit, non amplius cognoſcet. Corpus autem non eundem affectum ſuſcipit à calido, ſed alias alium, ſecundũ id, quod eſt magis & minus intenſum uel remiſſum. Nũquid autem hoc quoq; illi ſignificat indefinitum?*

Quid eſt ergo odorari, niſi aliquid pati? an odorari quidem ſentire: aër autem paſſus fit celeriter ſenſilis.

*Poſtquam oſtendit, quòd à ſenſilibus patiuntur, quæ ſenſum non habent: à coloribus enim, quod eſt actu perſpicuum, & à ſonis & odoribus aër: meritò quærit, quoniã ſentiua quoq; ab eis patiantur: in quo differunt ſenſitiua à nõ ſenſitiuis, quæ patiuntur à ſenſilibus: Vtraq; enim ab ipſis uidentur ſimiliter pati. Hanc ergo diſſoluens dubitationem dicit, An odorari quidem ſentire: aër autem paſſus fit celeriter ſenſilis? Non eſt enim ſatis ad ſentiendum poſſe formam ſine materia ſuſcipere: ſed & animali facultate opus eſt, quæ nõ eſt in omnibus, quæ ſenſilium formas ſine materia ſuſcipiunt. Non enim ſi quid ab aliquo patitur, iam & ſentit: Nam & aër, & aqua, & ſpecula ſentirēt: ſed & eiuſmodi facultate opus eſt, quæ poßit iudicare affectus, qui fiunt à ſenſilibus. quæ non eſt in quolibet corpore, ſed in naturali inſtrumentario, ut oſtendit. & neq; hunc uniuerſo, ſed in ea huius parte, quæ propter certa qualitate præditam commoderationem, & bonam temperaturam hanc poßit ſuſcipere facultatem. Quomodo ergo ſoluitur ſenſilia eſſe ad ſenſus, & ſenſum ad ſenſilia, ſi quidem non ſolum, quæ ſunt ſenſu prædita, ſed &, quæ non ſunt, patiuntur à ſenſilibus? niſi quòd unicuiq; ſenſilium non eſt idem eſſe hoc, & eſſe ſenſile: neq; colori eſſe colorem idem eſt, & eſſe uiſibile: ſed ſubſtantia quidem coloris alia: ſi quidem finis perſpicui, quatenus perſpicuũ: uiſibile autem, quando contigit. Quatenus enim eſt motiuũ eius, quod eſt ſecundum actum perſpicuum, ſecundum hoc eſt uiſibile. Similiter & in alijs. Vt ergo ſenſilia, ea ſolum afficiunt, quæ ſunt ſenſu prædita: Vt autem hæc, quæ quandoq; ſunt ſenſilia, fiunt alia quædam: Aliud eſt enim eſſe ſenſile, & eſſe colorē, & hoc nihil uetat, quominus ſint aliorũ quoq; effectiua. A` bono enim odore, ut ſenſili quidem, nihil aliud patietur, quam olfactus. ab odore autem ſimpliciter, & eo, quod bene olet, aër quoq; patitur, qui eſt inanimatus. Similiter & in alijs. Vnumquodq; enim inanimatum patitur à ſenſilibus, nõ ut ſentiens, ſed ut & ipſum factum ſenſile, quatenus ab eis patitur. Secundũ enim ſubſtantiam ipſam affectũ ſuſtinet, & mutatur. Inanimata enim à ſenſilium ſubſtantia, non quatenus ſunt ſenſilia, patientia, fiunt quoq; & ipſa ſenſilia, ipſis aßimilata. Animata autē ab ipſorum operatione patientia, fiunt ſecundum actum ſenſitiua.*

FINIS SECVNDI LIBRI.

# Ioannis Alexandrini PHILOPONI IN TERTIVM LIbrum de anima Commentarius.

QVód autem non eſt alius ſenſus præter quinq;, dico autem hos, viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum, ex his crediderit quiſpiam.

POSTQVAM in præcedẽtibus, in tractando de naturali, & irrationali laborauit: nunc de rationali quoq; anima uult nobis uerba facere, & eius ſubſtãtiam quærere, & facultates: ipſarũ quoq; facultatum differentias, & à ſeipſis, & nobilioribus facultatibus irrationalis animæ. Quærit enim differẽtiam imaginationis, & opinionis à cogitatione, & cogitationis ab intellectu, ſiue mente. Quoniam enim opinio, quæ eſt animæ rationalis facultas, ſocietatem & communicationem uidetur habere cum communi ſenſu, & imaginatione: propterea quærit eorum differentiam. Præſentis ergo libri ſcopus, & inſtitutum manſit de anima rationali. Non enim, ut quidam exiſtimant, in præſenti libro eius inſtitutum eſt de irrationali anima diſſerere. Etſi enim communis ſenſus, & imaginationis meminit: non quòd eorũ ſcopũ ſibi propoſuiſſet, ſed ut rationalis animæ facultatum ab irrationalis facultatibus differentiam adduceret, ideo meminit irrationalis animæ. Totius ergo libri ſcopus eſt de rationali anima, & nequaquam de irrationali. Sed ad hoc dubitationem mouent, qui accuſatorio ſunt animo, & lubenter reprehendunt, dicentes: Oportebat ergo eum de ſola imaginatione, & communi ſenſu diſſerere: non ita autem & de ſenſu. Nũc autem uidemus, quòd librum incipiens ſtatim ſenſuum numerũ dicit, quærens an ſint quinq; ſenſus, uel plures. Non erat autem neceſſe hæc nunc quærere, ſi quidem pretioſarum tantum irrationalis animæ facultatum mentionem facere inſtituiſſet: ut earum à minoribus rationalis differentiam traderet. Pretioſæ enim, & nobiles ſecundarum ſubſtantiarum facultates, communicationem, & ſimilitudinem habent cum uilibus & ignobilibus facultatibus primarum ſubſtantiarum, ſicut & nunc. Pretioſæ enim irrationalis facultates, ut communis ſenſus, & imaginatio, habent communicationem ad opinionem: quæ eſt uilior & ignobilior facultas omnibus rationalibus. Et hæc quidem eſt dubitatio, ad quam dicemus, quòd ſi quinq; ſenſuum meminit, non fruſtra hoc fecit: ſed ne quis exiſtimaret eſſe alium ſenſum à particularibus, qui quinq; ſenſuum ſenſilia iudicet. Niſi enim nunc oſtendiſſet eſſe quinq; ſolum ſenſus, & non plures: exiſtimaret fortaſſe quiſpiam non ſolum eſſe quinq;, ſed & ſextum alium ſenſum particularem, qui iudicat ſimul uiſibile, & audibile, & odorabile, nec communi ſenſu quicquam opus eſſe. Ne quis ergo hoc ſuſpicaretur, propterea nũc oſtendit quinq; eſſe ſolum ſenſus, & non eſſe alium particularem, qui iudicat: ergo communi ſenſu opus eſt. Quare etiamſi ſenſuum numerũ quærit, non propter ipſos ſenſus hoc facit, ſed propter communem ſenſum. Communis autem ſenſus & imaginationis meminit, nõ propter ipſos, ſed propter differentiam eius à rationalibus facultatibus. Maneat ergo hic ſcopus de rationali anima. Hic eſt ergo ſcopus. Oſtendit autẽ deinceps ex principio animæ, quòd ſunt ſolum quinq; ſenſus, hypothetico ſic uſus ſyllogiſmo. Sic enim inquit. Si deeſſet ſenſus, deeſſet & ſenſorium. Atqui non deeſt ſenſorium. ergo nec deeſt ſenſus. Sed quoniam & connexum eſt dubium: Vnde enim reuera, ſi deeſſet ſenſus, deeſſet & ſenſorium? & aſſumptio quoq; dubia eſt, quæ dicit: atqui ſenſorium non deeſt: ergo nec ſenſus: undenam enim conſtat an non deſit ſenſorium? Age ergo utraq; demonſtremus, & connexũ, & aſſumptionem. ſed prius connexum demonſtremus, quod dicit, quòd ſi deeſt ſenſus, deeſt & ſenſorium. Hoc autem per tres rationes demonſtramus. Quarum hæc eſt prima. Senſus & ſenſorium ſunt ex iis, quæ ſunt ad aliquid. Senſus enim per ſenſorium ſentitur. & ſenſorium ſenſus eſt ſenſorium. Vt autem ſe habet unum eorum, quæ ſunt ad aliquid, ſic habet & reliquũ. Eſt ergo clarũ, quòd ſi deeſt ſenſus, deeſt quoq; ſenſoriũ, propter neceſſitatem eorum, quæ ſunt ad aliquid. Hæc eſt prima ratio. Secunda ratio. Senſus eſt, quod utitur. Eſt autem ſenſorium, quo utitur, ſi nõ eſt fruſtra futurum. Si ergo deeſt ſenſus, deeſt & ſenſorium, ſi non fruſtra eſt: quod eſt abſurdum dictu, naturam fruſtra aliquid facere. Hæc eſt ſecunda quoq; ratio. Tertia ratio. Senſus nunquam poteſt citra medium ſe ſenſilibus applicare, ſed ſemper per media ſenſoria ſe applicat. Vbi ergo ſenſu opus, omnino & ſenſorio quoq;, per quod ſe ſenſilibus ſenſus applicat. Si ergo deeſt ſenſus, uidelicet ſenſorium deeſt, per quod ſe ſenſus ſenſilibus applicat. Hæ ſunt ergo rationes, quæ connexũ cõfirmarunt. Age uerò deinceps &, quæ aſſumptionem confirment, adijciamus. Hæ autem ſunt duæ rationes inductiuæ, quarum hæc prima eſt. Ex omnibus, ex quibus oportebat fieri, ſenſoria facta ſunt. Sed ſi ita eſt, nullum ergo deeſt ſenſorium. Cum ſint enim quatuor elementa, & unum quintum corpus cœleſte, ex quinto quidem corpore ſenſorium factum non eſt. Quintum enim corpus eſt æternum, ut quidam dicunt: ſenſoria autem ſunt corruptibilia. Rurſus ex igne non poterat fieri ſenſorium. Ignis enim eſt qui poſſit corrumpere: ex corrumpente autem quomodo poſſet fieri ſenſorium? Rurſus ex ipſa terra non poterat per ſe fieri ſenſorium. Eſt enim ipſa per ſe impreſſu difficilis, nec ſenſilium typos poterat facile ſuſcipere. Commixta autem cum alijs terra poteſt facere ſenſoria. Tactus itaq;, & guſtus ſenſorium eſt magis terræ particeps. Tactus enim, & guſtus ſenſorium eſt caro, quæ eſt terræ magis particeps. Ignis autẽ, ut ipſe dicit, in totis eſt ſenſorijs. Quare & ignem, & terram eſt in ſenſorijs inuenire. nec ignis autem, nec terra per ſe unquam ſenſoria faciunt, propter prædictas cauſas. Reſtant ergo aër & aqua, quæ poſſunt facere ſenſoria. Aqua itaq; fecit cryſtallinum humorem, qui eſt uiſus ſenſorium. Sed & aër eſt ſenſorium auditus, & olfactus. Qui enim in naribus & in auribus eſt inædificatus & incluſus aër, ipſe eſt auditus & olfactus ſenſorium. Si ergo ex omnibus, ex quibus fieri poterat, factum eſt ſenſorium. nullum deeſt ergo ſenſoriũ. Hæc eſt prima procedens inductiõe ratio, quæ cõfirmat aſſumptionem. Aduerſus hanc autem rationem Ariſtotelis duæ mouẽtur dubitationes. Prima quidem, quomodo dicit non deeſſe ſenſorium? ecce enim deſunt. Cum ſint enim quinq; ſenſus, tria ſunt ſola ſenſoria, aër: aqua: terra. Quare nihil cõfirmauit inductiua oratio: ſed magis dubitationem adauxit. Quomodo ergo dicit aſſumptio, ſed nullum deeſt ſenſorium? Ecce enim duo deſunt ſenſoria. Et hæc quidem dubitatio: ad quam dicemus, quòd

nomine quidem tria ſunt tantum ſenſoria: reuera autem quinq;. Etſi enim ad terram pertineat ſenſorium tactus, & guſtus: ſed non eſt ipſa terra. Si enim eſſet ipſa terra ſenſorium tactus, & guſtus: oporteret in omni parte, in qua eſt tactus, guſtũ quoq; eſſe: ſiquidem irrationalis anima, eſt in omni animali cũ omnibus ſuis facultatibus. & dicimus, quòd propterea quòd non eſt inſtrumentum accommodatũ, non operatur ſecundum ſuas facultates in toto animali. Oporteret enim, ſi eadem terra eſt ſenſorium, adeſſe quoq; facultatem, ne eam argueret. Atqui non eſt in toto corpore guſtus. Quomodo enim manus non guſtat, etſi tactum habeat? non eſt ergo eadem terra. Vides, quòd nomine quidem idem: re autem diuerſa. Rurſus etiam ſi aër eſt in auditu & odoratu: ſed non idem. Aërem autem dico non externum: omnis enim externus aër inſeruit & odoribus, et ſonis: ſed eũ, qui in auribus, & naribus eſt ſeorſum inædificatus, & incluſus. Hic quoq; non eſt idẽ, ſed diuerſus. non enim, qui in auribus eſt, aer poteſt odoribus inſeruire: neq;, qui eſt in naribus, ſonis inſeruire poteſt. Quare, etiamſi ſunt tria nomine, reuera tamen ſunt quinq;. Hæc eſt ſolutio primæ dubitationis. Secunda dubitatio procedit ex eo, quod eſt contrarium primæ dubitationi. Hæc eſt autem. Plura ſenſoria ſenſibus: quod eſt abſurdum. Si enim propter ſenſus facta ſunt ſenſoria: quot ſunt ergo ſenſus, tot eſſe deberent ſenſoria, & non plura. Nunc autem uidemus eſſe plura ſenſibus. unius certe ſenſus duo ſunt ſenſoria. Olfactus enim in pedeſtribus, & uolucribus aer eſt ſenſorium: in aquatilibus uerò ſenſorium eſt aqua. dicit itaque piſces humiditatem quandam habere in naribus, quæ ſubſeruit odoribus. Quare unius ſenſus duo ſunt ſenſoria. Propter hanc itaq; dubitationem ſunt qui dicant non in eodem animali duo eſſe ſenſoria: ſed in alio quidem aquã eſſe ſenſorium odoratus: in alio uerò aërem. Quare non ſunt plura, nec pauciora Sciendum autem hanc rationem inductione procedere, quæ nihil neceſſarium continet. Primum enim duplex eſt ignis: hic quidem corruptiuus: ille uerò uiuificatiuus. Quare etſi ex corruptiuo ſenſus fieri non poſſet: ſed tamen poterat ex uiuificatiuo fieri. & alioqui, ſicut uidemus, externũ aërẽ ſubſeruire & odoribus, & coloribus, & ſonis: ſed tamẽ in iſs, quæ tres habẽt tãtum ſenſus, tactũ dico, & odoratum, & guſtũ, non ſubſeruit coloribus: ſed nihilominus talium eſt miniſter: etiamſi nõ adeſt facultas, cuius eſt miniſter. Quid ergo eſt abſurdi in nobis quinq; ſenſus habentibus dicere, eſſe alia quidem ſenſoria, ſed non apprehendere: quòd non ſint in eis ſenſus? Quare eſt inductiua, & non uera oratio. Eſt autem ſecũda ratio Ariſtotelis inductiua hoc modo. Si deeſt ſenſorium, deeſt & ſenſile: Atqui non deeſt ſenſile. Hoc enim eſt connexum, quod demonſtratione quoq; indiget. Hoc, inquit, ex inductione clarum eſt. Nam &, quæ ſunt lõgè, apprehẽdimus, quæ ſunt ſoni, & colores, & odores. Iam uerò &, quæ prope ſunt, tangibilia, & ſuccos. ſi itaq; &, quæ prope ſunt, & quæ longè apprehendimus: clarum eſt ergo, quòd omnia apprehendimus. nullum ergo deeſt ſenſile. Si autem non deeſt ſenſile, ergo nec ſenſorium. Hoc enim oſtenditur per mutuam oppoſitionem, quæ conuertitur. Hæc eſt ſecunda Ariſtotelis ratio, quæ non eſt neceſſaria. Eſto enim nos, quæ longè ſunt, apprehendere: undenam erit apertum, an omnia quoq;, quæ prope ſunt, apprehẽdamus? Eſto enim, quòd omnia tangibilia ſentiamus, nunquid & omnia guſtabilia? undenam clarum erit, nunquid nonnulla guſtabilia nos lateãt? nempe carnem cameli nemo noſtrũ guſtauit. Quare deſunt etiam quædam ſenſilia. Quoniam ergo Ariſtotelis rationes plus ſatis inductione procedunt: melius eſt uti ratione Themiſtij, quam dicit in commentario. Dicit enim fieri non potuiſſe, ut anima rationalis accederet, niſi prius omnibus irrationalis animæ facultatibus ornatum eſſet animal. Si enim ubi meliora, illic & deteriora in iſs quæ ſunt ſub luna: clarũ ergo eſt, quòd ſi habemus rationales animas, omnes quoq; habebimus irrationalis facultates. Si homo ergo habet ſolum quinq; ſenſus. clarum eſt quòd ſoli quinq; ſunt. Quot enim ſunt hominis, tot ſunt ſoli, & nec plures, nec pauciores: eo quòd omnes habet homo, ut et qui his præſtantiorem habeat, animam dico rationalem. eam autem non haberet, niſi omnes inferiores adeſſent. Omnes ergo habet. & quoniam quinq; habet, quinq; quoq; ſolum ſunt. Et hæc eſt quidem Themiſtij ratio, uerum enimuero alimentorũ gratiam Ariſtoteli reddentes, hoc quoq; argumentum eius eſſe oſtendemus. Si enim in dictionis cõtextu quærit, cur talpa, quæ mouetur, uiſum non habet: abſurdum enim ubi eſt melius, non eſſe quoq; deterius: & ſoluit quòd habet quidẽ, ſed à pellicula occultatur: ita enim opportebat, quia à terra nutritur, & erat excæcanda, niſi occultatus uiſus eſſet, Nutrimenti ergo natura maiorem curam, & prouidentiã geſſit. Si ergo in hac, quæ mouetur, oſtendit eſſe quinq; ſenſus: ſciebat ergo argumentũ, quòd neceſſe eſt hos ſolũ eſſe quinq;. Vbi enim eſt melius, illic & deterius. Eſt autem & hoc Platonicè ſymbolicè explicare. Sicut enim, inquit, ſunt quinq; corpora ſimplicia: quatuor enim elementa, & æthereum: & ſicut ſolida corpora quinq; per ſimplicia corpora: eſt enim pyramis: cubus: octolaterum: duodecilaterum: uigintilaterum: ſicut ergo per ſimplicia corpora, quæ quinq; ſunt, quinq; etiam figuræ factæ ſunt, & non plures: ſic, ſcilicet, & ſenſus quinq;. Quoniam ergo non eſt alius ſenſus præter quinq;: quia in fine ſecundi libri quærebat, an unus eſt tactus, an plures: nunc oſtendit quinq; eſſe ſolum ſenſus, ut hoc oſtenſo clarum ſit, quòd unus eſt tactus. Meritò autem hoc facit: quoniam ex animalibus hæc quidem duos habent ſenſus: illa uerò tres. & propterea quærit, quot ſunt ſenſus. Si omnia enim animalia haberent quinq; ſenſus, ſupernacaneum eſſet de eo quærere.

Si enim cuiuſcũq; eſt ſenſus tactus, & nũc ſenſum habemus: omnes enim tãgibilis, quatenus eſt tangibile, affectiones tactu ſunt nobis ſenſiles: neceſſe eſt, ſiquidem deeſt aliquis ſenſus: ſenſorium quoq; deeſſe. & quæcunq; quidem ipſi tangẽtes ſentimus, ſunt tactu ſenſilia, quem habemus? Quæcunq; verò per ea, quæ intercedunt, & non ipſa tangentes, ſimplicibus interuallis, dico autem veluti aëre, & aqua.

Cùm non dixiſſet connexum, neq; aſſumptionem, confirmat aſſumptionẽ: & animaduerſa eius obſcuritate, dicit in medio connexũ, et ſic deinde reliquũ aſſumptiõis cõfirmat. Cùm enim deberet dicere: Si deeſt ſenſus, deeſt & ſenſoriũ: atqui ſenſoriũ nõ deeſt: ergo nec ſenſus: deinde deberet confirmare, quòd nõ deeſt ſenſorium, quod eſt aſſumptio, idq; ex eo oſtendere, quòd omnis ſenſus uel citra medium, uel per medium apprehendat: utrunq; autem habemus, & quod citra mediũ, & quod per intermedium: omnibus aliſs prætermiſsis ab hoc incipit, & oſtendit quòd habemus ſenſum abſq; intermedio. Si enim, inquit, in quibuſcunq; eſt ſenſus tactus, ea citra medium operantur. Tangibilia enim ſunt affectiones tactus, & ſunt citra mediũ ſenſilia. Et id obliquè dixit. Cùm enim confirmare deberet, quòd & citra mediũ ſenſum habemus, hoc prætermiſſo dicit: neceſſe eſt ubi deeſt ſenſus, & ſenſoriũ. agnita enim obſcuritate cõnexũ in medio poſuit. Deinde cõuertitur, & aſſumptionẽ cõfirmat, dicẽs. Dictũ eſt, quòd tangibilia citra mediũ apprehẽdimus: Sunt autẽ & alia, quæ per id, quod intercedit, apprehẽdimus. Quæcunq; autem per id, quod intercedit, & nõ ipſa tangentes, ſimplicibus interuallis. aſſumptionẽ confirmat, quòd ſunt in nobis quædã, quæ etiã per mediũ apprehenduntur, ut uiſus, auditus,

odoratus

*odoratus,ea autem apprehenduntur,per ſimplicia, quæ intercedunt.Simplicia autem dicit aërem,& aquam, eo quòd ſunt elementa.Per ea ergo apprehenduntur tres ſenſus.*

Sic autẽ habet,quod ſi per vnũ quidẽ plura quoq; ſenſilia,quæ ſunt inter ſe genere alia:neceſſe eſt eũ, qui habet eiuſmodi ſenſorium,eſſe vtriſq; ſenſile.vt ſi ex aëre eſt ſenſorium,eſt aër & ſoni,& coloris.

*Silentio prætermiſſam dubitationem diſſoluit. Quòd enim non mouit dubium,hoc diſſoluit.& maxima ijs eſt habẽda gratia,qui hanc ſententiam antiquitus diuinarunt. Cùm deberet enim dubitare,an ſint duo ſenſoria,aër,& aqua:tria verò ſenſilia,color,ſonus,odor,& deinde ſic ſoluere: perinde ac iam dubitaſſet,dixit.Sic autem habet ſolutio,quòd per unum ſenſoriũ plura ſenſilia apprehẽduntur,quæ ſenſilia genere differre dixit.Sonus enim,& odor ſunt diuerſorum generum. neceſſe eſt enim,inquit,aërem,qui eſt in auditu,& odoratu,duo apprehẽdere,& ſonũ,& odorem.& cùm deberet dicere odorem, colorem dixit pro odore,ne ſecuritatem fugeret.Et nonnulli quidem ſic interpretati ſunt. Alij dicunt,quòd inſtat potius aduerſus Empedoclem, tanquam ille diceret: Si non poſſunt,ò Ariſtoteles, tua quidem ſententia, nec ex igne,nec ex terra per ſe fieri ſenſoria: da ſenſoria, ut ea apprehendant, & ſimile à ſimili cognoſcatur.Illi ergo reſpondet Ariſtoteles: Si per aliquod unum,quod intercedit,ſenſitiuum,& ſenſoriũ plura ſenſilia cognoſcuntur:ſicut ab aëre,uerbi gratia,& color cognoſcitur & ſonus:eo quòd eſt & perſpicuus,& perſonans: quid eſt abſurdi & per unum quoq; ſenſum multa cognoſci?*

Si autem plura eiuſdem,vt coloris, aër, & aqua,ambo enim perſpicua:& qui vnum ſolum habet,vtrunq; ſentiet.

*Alterum dubium mouet.Ait enim deeſſe ſenſorium. Plura enim ſunt,quæ unius participant.Perſpicui enim, quod colorẽ dixit,& aër,& aqua eſt particeps. Deeſt ergo ſenſorium, eo quòd duo quidem ſunt,quæ ſubſeruiunt,unus autem uiſus. Et hoc ſoluit,quòd per unum ſenſorium duo apprehendit.Qui enim,inquit,habet aëris alterum,id eſt humidum, ut dicat pupillam,nouit utrunq; perſpicuum.*

130 Simplicium autem,ex his duobus ſunt ſolum ſenſoria,ex aëre,& aqua. Pupilla enim ex aqua,auditus,ex aëre,odoratus ex vtroq; eorum.

*Aſſumptionẽ confirmat,quòd neceſſe eſt tria eſſe,quæ ſunt eltra medium ſenſoria:quoniam ex aëre,& aqua ſolũ eſſe poſſunt.ea autem uiſus,auditus,& odoratus habent. Odoratus autem ex utroq;. græcè eſt* θατέρῳ.*Nonnulli dicunt eum quidem hoc dicere,quòd odoratus eſt utriuſq; particeps, & aëris, & aquæ:in nobis quidem aëris:in aquatilibus uerò aquæ.Nonnulli autem* θατέρῳ *accipiunt, ut ſignificet alterum, id eſt, alterius eſt particeps,utpote aëris.*

Ignis autem vel nullius,vel omniũ communis: nihil enim ſine caliditate ſenſitiuũ. Terra autẽ vel nullius,vel in tactu maximè mixta eſt propriè. Relinquatur ergo nullum eſſe ſenſorium præter aërem,& aquam.

*Rectè dixit,Cõmunis omnium.Omnis enim ſenſus nutritur. ſi autem nutritur,& concoquit.Omnis autẽ concoctio per calidũ.Omnis ergo ſenſus igne,ut calido,opus habet. Terra autẽ uel nullius,uel in tactu.Etiã ſi terrenũ tactui rectè ſegregatũ et attributum eſt,ſed tamen non rectè tactũ nunc in mediũ intulit. De ſenſibus enim,qui per medium fiunt, nunc ab eo agitur.*

Hæc autẽ nunc quoq; habent nonnulla animalia. Omnes ergo ſenſus habentur à non imperfectis,nec orbatis. Cernitur enim & talpa habere ſub cute oculos. 131

*Habent,inquit,quædam animalia quinq; ſenſus, quæcunque ſunt perfecta,& non manca:& ne quis ei diceret, ecce talpa perfectum eſt animal,ſed uiſum non habet:dicit eã habere quidem oculos,ſed eos per pelliculam naturam obtexiſſe:ne in fodienda terra facile exæcaretur.Et,ut ſemel dicam, quæcunque habent motum ſecundũ locum,ea habẽt quinq; ſenſus.Eſt enim motus ſenſu melior.& ubi meliora,illic & deteriora.Si autem nonnulla motum ſecundum locum habent: Non habent autem quinq; ſenſus,ut lumbrici & uermes:uerum alio modo natura ſuppleuit,quod illis deeſt.Ecce ergo apertè eius eſt argumentum,quòd ubi eſt melius,illic & deterius:& nõ eſt eorũ proprium,qui ſcripſere commentaria.*

Quare,ſi neq; eſt aliquod aliud corpus, nec eſt affectio,quæ nullius ſit eorũ, quæ hic ſunt,corporum,nullus deſit ſenſus.

*Corpus & affectionẽ dicit,id eſt, corpoream affectionem. Tale quid autem uult concludere.Si enim,inquit,non eſt extra elementa corporea affectio:hoc autem dicit propter quintam eſſentiam: quod autem facit ſenſorium, omnino paßiuum eſſe oportet:illa autem non eſt affectionibus, & paßionibus obnoxia.non deeſt ergo ſenſorium.*

Atqui neq; communium fieri poteſt vt ſit aliquod ſenſoriũ propriũ,quæ vnoquoq; ſenſu per accidens ſentimus,vt motũ: ſtatum: figuram:magnitudinem:numerum:vnum.

*Poſtquam oſtendit non eſſe ſextum alium ſenſum præter eos,qui ſunt quinq; in præcedente tractatu:nunc quoq; rurſus hoc ipſum oſtendit. Poſtquam enim dictũ eſt in ſecũdo libro huius tractatus, quòd ſunt cõmunia ſenſilia, ut magnitudo,& figura,numerus,motus,quies:& ſunt magnitudo quidẽ et figura cõmunia uiſus,& auditus: reliqua autẽ tria,motus,inquam,numerus,quies,ſunt quinq; ſenſuum cõmunia: fortaſſe ergo quiſpiam exiſtimauerit,eſſe quendã alium ſextũ ſenſum præter hos quinq; qui hæc cõmunia ſenſilia iudicet. Nunc autẽ per præſentem contemplationẽ oſtendit nõ eſſe aliquẽ aliũ ſextum ſenſum particularem,qui cõmunia ſenſilia iudicat. Hoc autem oſtendit hoc modo.Si cõmunia ſenſilia ſunt propria huius ſpecialis ſenſus:Ergo ſunt horum quinq; per accidens ſenſilia. Si enim duæ res quibuſdam inſunt, & unius eſt propria: manifeſtum eſt, quòd eſt aliorum per accidẽs.Si enim eſt & alius propria: non eſt etiã illius propria.Ecce enim alij quoq; ineſt. Quare ſi communia ſenſilia ſunt ſexti ſenſus propria: ſunt ergo his quinque ſenſilia per accidens. Atqui non ſunt his quinq; ſenſilia per accidens,ut oſtendã.nõ eſt ergo ſextus ſenſus, cuius propria ſunt hæc ſenſilia,quæ dicũtur cõmunia ſenſilia. Quòd autẽ non ſunt per accidens ſenſilia quinq; ſenſibus cõmunia ſenſilia,hoc rurſus hypothetico ſyllogiſmo confirmat,ſic dicens. Quæ ſunt per accidẽs ſenſilia affectionẽ in ſenſum nõ efficiũt,ut oſtendã. Hæc autẽ circa ſenſum affectionẽ efficiũt.non ſunt ergo ſenſilia per accidẽs.Et undenã fit apertũ,quòd affectũ circa ſenſum nõ agũt, quæ ſunt ſecundũ accidẽs ſenſilia? Sic etiã oſtendit. Dicit enim, quòd, quæ ſunt ſecundum accidens ſenſilia, ſunt duplicia: Vel quod ſub alium ſenſum cadit, ut uiſus ex colore dulce iudicat. itaq; ſi uiderimus humidũ aliquod flauum, dicimus id eſſe mel.Et dicitur hoc per accidens ſenſile, quando ex colore uiſus dulce agnouerit.Vel ergo hoc eſt per accidens ſenſile:uel quod ſub nullũ ſenſum cadit,ut ſubſtantia. Subſtantia enim ſub nullũ ſenſum cadit:ſed cognoſcitur ex ijs,quæ illi accidunt. Cleonis enim*

*enim filium agnoſcimus, non ut Cleonis filiũ, id eſt, non ut ſubſtantiam, ſed ex iis, quæ in ipſo accidũt: ut quòd eſt albus, quòd eſt prominente, uerbi gratia, uentre, & ſi quid eiuſmodi. Cùm autem ſit duplex, quod eſt per accidens ſenſile, neutrũ horum ſignificatorum effectum efficit. Quod enim alius eſt ſenſus ſenſile, in alia affectione ſenſum non facit, etiamſi ab ipſo cognoſcitur. Dulce itaq; non facit affectionem circa uiſum, etiamſi à uiſu cognoſcitur per intermedium flauum colorem. neq; rurſus, quod nullius eſt ſenſus ſenſile, affectionem efficit circa uiſum, etiamſi ab eo cognoſcitur. Quare oſtenſum eſt, quòd quæ ſunt ſecundum accidens ſenſilia, non efficiunt affectionem illã, cuius ſunt per accidens ſenſilia. Eſt ergo totius orationis compendioſa hæc inductio. Communia ſenſilia non ſunt propria ſenſilia alicuius alius ſexti ſenſus præter quinq;. Si enim alicuius alius ſexti ſunt propria ſenſilia, ſunt ergo horum quinq; per accidens ſenſilia. Sicut enim colores, qui ſunt propria ſenſilia uiſus, ſunt guſtus per accidens: ſic & figura, & magnitudo, & reliqua ſunt propria alius ſexti ſenſus. Horum ergo quinq; ſunt per accidens ſenſilia. Atqui non ſunt per accidens horũ quinq;. Per accidens enim ſenſilia nõ faciunt affectionem circa ſenſum. Communia autem ſenſilia efficiũt affectionem circa ſenſus. Hoc oſtendit ex eo, quòd dicit eſſe duplicia ſenſilia per accidẽs: uel, quod ab aliquo alio ſenſu per ſe cognoſcitur, ab alio autem per accidẽs: uel, quod ſub nullum alium per ſe cadit ſenſum, ut ſubſtantia. Neutrum autem eorum facit affectionem circa ſenſum. Communia autẽ ſenſilia faciunt affectionem, ut in ſecũdo libro oſtenſum eſt huius tractatus. continuus enim motus, & paruæ literæ faciunt uiſum cæcutire. Clarum eſt ergo, quòd cõmunia ſenſilia non ſunt per accidens ſenſilia. Et hic eſt totius orationis apparatus, ex duobus hypotheticis ſyllogiſmis cõpoſitus, et uno categorico: in quibus primum caput abſoluitur. Secundum caput eſt, in quo talem mouet dubitationem. Cur nõ ſenſus propriam actionem exercent, & unuſquiſq; ea, quæ ſua ſunt, nouit, ſed & quandoq; alius, quæ alius ſunt? ſcit. certè ſi aliquãdo uiſus, et guſtus circa rem aliquam operati fuerint, ut circa mel: & mel ſimul guſtauerimus, & contẽplati ſimus: ſi craſtino die mel oculis ſubiectum ſit: uiſus non ſolum uult, quod eſt ſibi proprium, & familiare cognoſcere, ut quòd eſt flauum, ſed & ante guſtum proſilit, & nouit, quòd eſt dulce. Et hæc eſt quidem dubitatio. Huius autem ſolutionem dicimus eiuſmodi, quòd duos ſenſus quandoq; cooperari contingit, ut circa mel uiſum ſimul & guſtum: Hunc quidem, qui guſtauerit, quòd eſt dulce: illum uerò, qui uiderit, quòd flauũ: deinde hos duos ſenſus in ſenſum communem terminari, & illic typos relinquere: Deinde cùm craſtino die mel apparuerit, & color flauus, imaginatio mouet typos, qui in ipſa ſunt, quos pridie ſuſcepit, dulcis ſimul, & flaui: & pronuntiat dulce eſſe id quod tale eſt. Hæc eſt ergo talis dubitationis ſolutio, quòd communis ſenſus ambos typos ſuſcepit: hunc quidem ex guſtu: illum uerò ex uiſu: deinde cùm poſtridie ex uiſu typus commotus ſit, quòd mel à nobis uiſum eſt, deinceps commoueri typum quoq;, qui eſt ex guſtu. & ſic licet dicere alterum typum ab altero commoueri, & hac ratione cognoſcere, quòd dulce eſt, & ſi non guſtauerimus. Et hinc quidẽ certè affectiones quoq; fiunt. Qui enim flauum picis genus, quod κολοφώνια, dicitur, non guſtauit, ſed eam tantum aſpexit, mel eſſe dixerit, quòd ſit colore ſimilis. Sic ergo dubitatione ſoluta, alteram deinde dubitationem uehemẽtiorem mouet: quòd quantũ ad hoc per ſe cognoſcit communis ſenſus dulce, & non per accidens. Si enim utriuſq; habet typos, & uiſus, quòd flauum, & guſtus, quòd dulce, clarum eſt quòd poſtridie quoq;, etſi non guſtauerimus, ſed mel ſolum aſpexerimus per ſe, dicimus quòd eſt dulce. Communis enim ſenſus habet typos guſtus: & eos rurſus commouens dicit, quòd eſt dulce. Si ergo ſecundum typos eius, quod eſt dulce, motus, dicit eſſe dulce: per ſe ergo communis ſenſus, & non per accidens hoc agit. Et hæc eſt quidem dubitatio. Dicimus autẽ, quòd etiamſi habet dulciũ typos, non tamen à ſeipſis excitati ſunt. neq; enim fingebatur mel guſtaſſe, ſed tantum aſpexiſſe. Per accidens itaq; pronuntiat, quòd eſt dulce. Per ſe enim excitati ſunt typi uiſus: nẽpe quòd eſt flauum: Per accidens autẽ typus quoq; guſtus excitatus eſt, quòd commotus ſit typus uiſus. Et hæc ad ſecundã dubitationẽ, in quibus ſecundum quoq; caput adimpletur. Tertiũ caput eſt, in quo dubitat, cur unã & eandẽ rem duo ſenſus apprehendũt, uel etiam plures, ut figuram uiſus & tactus apprehẽdit: & magnitudinem, & numerũ rurſus quinq; ſenſus. Quare ergo hoc ita eſt, & non unuſquiſq; ſenſus propriũ apprehendit? Hæc eſt dubitatio, ad quã dicit Ariſtoteles, quòd propterea plures ſenſus res eaſdem apprehendunt, ut ſint communia ſenſilia Et his quidẽ dictis Ariſtoteles dictionis contextũ finiuit. Si quis autẽ dubitauerit, & quidnã omnino communibus ſenſilibus opus erat: illi dicemus ea, quæ Plato in ſeptimo Reipublicæ, & in Timæo dicit. Dicimus ergò, quòd hæc communia ſenſilia ſunt ipſa mathematicis ſcientiis ſubiecta. Figuræ enim, & numeri, & motus, & magnitudines, & quies, ſunt cõmunia ſenſilia, quæ ſunt mathematicis ſcientiis ſubiecta. Quoniam ergo mathematica ſubiecta exactè cognoſci oportebat: exactè autem cognoſcuntur, quòd à multis ſenſibus cognoſcantur, & propterea ſunt communia ſenſilia. Sed ſi hæc ita habẽt, Ariſtoteles ſibiipſi aduerſatur. Ipſe enim in ſecundo libro huius tractatus dicit, quòd propria ſenſilia exactius cognoſcuntur. Quomodo ergo nunc dicit, communia ſenſilia eſſe exactiora? Dicimus ergo eum non eſſe ſibiipſi contrariũ: ſed propria ſenſilia à proprio ſenſu exactius cognoſcuntur, quàm cõmunia ſenſilia. Ut proprium uiſus albũ: eius autẽ cõmune ſenſile magnitudo. uiſus ergo exactius cognoſcit album, quàm magnitudinẽ. Quare in uno quoq; ſenſu proprium ſenſile communi exactius cognoſcitur. Nouit ergo uiſus obſcurè commune ſenſile. nouit ipſum quoq; tactus obſcurè: &, ut ſemel dicã, unuſquiſq; ipſum proprio ſenſili obſcurius, & imbecillius nouit. Sed pluriũ ſenſuum ſimul conueniens cognitio facit exactam communis ſenſilis cognitionẽ. Sic enim dicit Heſiodus.*

*Addas ſi paruum paruo, id faciasq; frequenter:*
*Ex paruo magnum id fortaſſe euadere poſſit.*

*Sciendum autem, quòd etſi exactæ ſint ambæ cognitiones, &, quæ eſt propriorum ſenſilium, &, quæ eſt communium: ſed tamen propriorum ſenſilium cognitio eſt communium ſenſilium cognitiõe exactior. utraq; enim & communia ſenſilia, & propria per ſe cognoſcit uiſus: ſed magis propria cognoſcit uiſus. Et in iis eſt contemplatio.*

Atqui neq; communium fieri poteſt vt ſit 135
aliquod proprium ſenſorium, quæ vnoquoq; ſenſu ſentimus per accidens: vt motũ: ſtatum: figuram: magnitudinem numeri vnius.

*Rurſus cùm connexum non dixit, uel aſſumptionem, ſubuertit aſſumptionem. Cùm enim deberet dicere, ſi communia ſenſilia nullus ſenſus ut propria apprehendit: Quæ autem nullus ſenſus ſentit ut propria, ea ſunt alteri ſenſui ſubiecta. Communia ergo ſenſilia ſunt alteri ſenſui ſubiecta. & erit ſextum ſenſorium, & ſenſus. Cùm enim hæc deberet dicere, & ſubuertere, quòd non eſt ſextus ſenſus: ab eo incipit, & oſtendit, quòd non eſt ſextus ſenſus. Non eſt, inquit, proprium ſenſorium communiũ: quoniam ea per accidẽs alii ſenſus apprehendunt. Nunc autem ab ipſis patiuntur. Et uide, quàm obſcurè dixit illud, Per accidens. Cùm enim deberet dicere, quandoquidem per accidens alii quoq; ſenſus*

ea ſentiũt

ea ſentiunt,dicit,quæ uno quoq; ſenſu ſentimus per accidens. Si enim eſſet reuera ſenſoriũ communiũ ſenſilium,per accidẽs ea ſentirent quinq; ſenſus. Atqui per accidens ea non ſentimus, ut oſtendimus in contemplatione.non eſt ergo ipſorũ propriũ ſenſorium numeri unius.Vide quòd numero unum oppoſuerit, & ab eo diſtinxerit.neq; enim unitas eſt numerus, ut oſtẽſum eſt in tractatibus Arithmeticæ.

Hæc enim omnia motu ſentimus, vt magnitudinem,motu.Quare & figuram. magnitudo enim aliqua & figura.quod quieſcit autem,eo quòd non mouetur.

Hic eſt dubitationis ſolutio.Quid enim,inquit, quòd cõmunia ſenſilia non ſunt per accidens ſenſilia? quoniam ea motu ſentimus.Motum autem dico,affectionẽ,nempe alterationem. Cõmunia ergo,inquit,ſenſilia affectionem efficiunt. nullum autem ſenſile per accidens facit affectionem.Et fortaſſe quiſpiam dubitauerit,quomodo dicit communia ſenſilia per ſenſum cognoſcuid eſt motum facere? ecce enim quies & ipſa una eſt cõmunium ſenſilium: & tamen nõ facit motum in ſenſu,ſiquidem eſt quies. Et hanc ſoluens dubitationem Philoſophus Plutarchus inquit,quòd quandoquidẽ ad oppoſitos motus iudicantes,quietem cognoſcimus,hac ratione dicatur moueri.Omnis autẽ motus eſt quædam diſpoſitio:omnis autẽ diſpoſitio eſt ueluti quædam affectio,& paßio.Quare meritò etiam ſecundum quietẽ pati dicimur quodammodo,& diſponi.Hic quoq; aliam dubitationem mouent.Quomodo dicimus,inquit,quod propria ſenſilia agunt circa ſenſum,id eſt,quòd quæ ſunt per ſe ſenſilia, per motum mouentur:quæ autẽ per accidens,non per motũ? Atqui ecce,uerbi gratia,flauum aliquod,& hic flaui typus aliũ typũ excitauit,qui in me eſt,dulcis,ſcilicet,& dixi hoc eſſe mel. ecce ergo & hoc quoq; noui per aliquem motum. Dicit autem ad hoc quoq; Plutarchus,quòd,quando dicimus nos communia ſenſilia motu ſentire,oportet cum quadam diſtinctione id dicere, quam in præſenti quidem dictione prætermiſit Ariſtoteles, eã autem uidetur alibi dicere: Quòd communia ſenſilia per motũ ſentimus,nõ ſecundũ ſenſitiuam proprietatem.neq; enim in me per linguã excitata eſt dulcedo.propria autẽ ſenſilia per ipſam ſenſitiuam proprietatem cognoſco.Video enim album, & guſto dulcia.Similiter & in alijs.Vide autem,quòd cõmunia ſenſilia dedit eſſe quinq; ſenſuũ communia:non ſunt autem niſi tria, ut dictum eſt.niſi forte dicas eum dicere magnitudinem,quæ eſt in unoquoq; ſenſu,& non in quantitate: ut magnũ ſonum: uel magnum album.tunc enim eſt commune omnium. Porrò ſi & figuram acceperis ſecundum lenitatem,& aſperitatem: & lene quidem iucundum,aſperum autem moleſtum dixeris: id etiã inuenietur commune ſenſile omnis ſenſus. Magnitudo enim aliqua & figura. Dicunt nonnulli,ecce ipſe dicit figuram eſſe magnitudinẽ: & quomodo in prædicamẽtis dicebatur ,magnitudinem eſſe quantitatis ſpeciem:figuram autem qualitatis? ecce enim hic idem eſſe intellexit magnitudinem,& figuram. & dicimus non dixit Ariſtoteles idem eſſe magnitudinem, & figuram:ſed quoniam figurã omnino conſequitur magnitudo:& figura ſine magnitudine ne cogitari quidem poteſt: propterea dixit,quòd magnitudo quædam eſt figura:id eſt, quòd magnitudo eſt,quod figuratum eſt,non figura.Quod quieſcit autem, eo quòd non mouetur,apprehendunt, Dic ad hoc, quòd ſuperius affectionem dixit motum: nunc autem,quoniam,quæ ſtant, uidemus,affectione nec aucta,nec diminuta,eo quòd ſtant: Quæ autem mouentur,aliter & aliter mouentur,ad eorum motum aucta,uel diminuta affectione : propterea dixit,quod quieſcit ſentimus,id eſt ſimiliter.

Numerus autẽ negatione continui,& proprijs cognoſcitur.

Numerus,inquit,ex negatione,quòd nõ eſt continuus,ſiquidem diſcretorũ eſt numerus.Quid autẽ dicit continuũ? Vnitatẽ, quod ſuperius dixit, Vnius numeri.Sic autẽ eã uocat,quòd ſit indiuiſibile.Multos ergo numeros,inquit,quòd non ſint unum cognoſcimus.& rectè dictum eſt.Non ſolũ autem in communibus ſenſilibus hoc eſt,ut negatione cognoſcamus: ſed & in proprijs ſenſilibus.Propria enim ſenſilia per ſe cognoſcuntur & primò:communia autem ſenſilia per ſe quidem, ſed ſecũdò, ut decem non ſolũ cognoſcuntur:ſed & eorum propria,decem alba:decem fulua:decem rubra.Quare oportet communia ſenſilia habere etiam quædam propria ſenſilia. Numerus ergo dupliciter cognoſcitur,uel negatione continui, uel quòd cognoſcantur propria ſenſilia.

Vnuſquiſq; enim vnum ſentit ſenſus.

Vnuſquiſq;,inquit, ſenſus aliquod unum apprehendit: & cur dicit unum ſenſile, id eſt unitatem? Ex hoc uolens oſtendere quòd quinq; ſenſibus ſubijcitur numerus. Quòd ſi ita eſt,& alia ergo cõmunia ſenſilia. Quòd enim hoc dicit,declarat ipſe hoc in contextu dicens.

Quare clarum eſt,quòd fieri nõ poteſt, vt 174
cuiuſuis horum ſit proprius ſenſus,vt motus: ſic enim erit,ſicut nunc viſu dulce ſentimus.

Perinde ac ſi diceret,clarum eſſe fieri non poſſe,ut ſit ſenſus,qui communia ſenſilia apprehẽdat. & motum poſuit exemplum communiũ ſenſilium.Si enim,inquit,eſt alius ſenſus particularis ſextus,qui ut propria apprehendet communia ſenſilia:erunt hæc cõmunia ſenſilia ab alijs quinq; ſenſibus per accidens cognita.& exẽplũ dicit ipſe,quòd dulce à uiſu cognoſcitur. hoc autẽ ab eo cognoſcitur per accidens: hic autem dicit duo ſignificata eius,quod eſt ſenſile per accidens.

Hoc autem,quòd amborum ſenſum habemus,vel quando ſimul inciderint, cognoſcimus.Sin minus,nullo modo niſi per accidens ſentimus.

Quam conceperat ſententiam,dicit,quomodo ex flauo dulce poteſt cognoſci, eo quòd amborum ſenſum prius habemus (deeſt enim in contextu illud, prius, ut ait Plutarchus) dulcis, uerbi gratia,& flaui. Amborum autẽ dicit communem ſenſum. Quia,inquit,habemus ſenſum & dulcis,& flaui,uiſum,& guſtum: ea ratione quando inciderit color flauus,dulcis typo cõmoto,cognoſcimus,quòd eſt mel,ex typo accepto, quando uiſus & guſtus ſimul operabãtur,Sin minus nullo modo niſi per accidens ſentimus.Id ſpectat ad hoc,quod eſt ſuperius.Si dixeris,inquit,cõmunia ſenſilia eſſe alteri ſenſui ſubiecta,nihil aliud dicis,quàm quòd alij ſenſus ea per accidens ſentiũt: qđ nõ eſt.

Vt Cleonis filium, non quòd Cleonis filius,ſed quòd albus.Ei autẽ accidit eſſe Cleonis filium.

Exẽplũ dicit unius,quod per accidens à ſenſu apprehenditur,ſubſtantiam.ea enim nulli eſt ſenſui ſubiecta.Cleonis enim, inquit,filius,non,ut ſubſtantia,uidetur,ſed quatenus eſt albus. Album autem accidit Cleonis filio.

Communium autem communem iam ſenſum habemus,non per accidens.

Communia,inquit,ſenſilia habẽt cõmunẽ ſenſum. Cõmunem autem ſenſum dico,non de communi illo ſenſu, de quo deinceps diſputat:ſed cõmunẽ ſenſum uocat quinq; ſenſus. Eſt ergo hoc, quod dicit: Communia ſenſilia habent ſenſum communem aliũ, ſed qui nõ ea per accidens apprehendit.hoc enim oſtendit, ut & nos in contemplatione oſtendimus.

Non

Non ergo ſunt propria. nequaquam enim ſentiremus,ſed ſic,vt dictum eſt Cleonis filiū nos videre. Quæ ſunt autem inter ſe inuicem propria,per accidens ſentiunt ſenſus.

Hic orationis dicit conclusionem,& ait: non eſt ergo proprius ſenſus communiū ſenſilium:ſed uel ſic,ut diceba mus Cleonis filium,id eſt,per accidens. Oſtenſum eſt autem,quòd quinq; ſenſus non per accidens communia ſenſilia apprehendunt. Ea enim per motum apprehendunt. Hoc autem non ineſt ſenſilibus per accidens. Quæ ſunt autem inter ſe inuicem propria, per accidens ſentiunt ſenſus.

Non quatenus ĳdem, ſed quatenus vnus, quādo ſimul ſenſus in eodem fuerit , vt quòd bilis amara,& flaua.

Dicit aliud ſubiectum eius,quod eſt per accidens, quòd eſt, uidelicet,alteri ſenſui ſubiectum,ut ex flauo dulce cognoſcere. Superius enim dixit aliud accidens,quod eſt nulli ſenſui ſubiectum. Quid autem nunc dicit,quòd inter ſe inuicem ſenſilia apprehendunt ſenſus per accidens,non ĳdem,ſed quatenus unum habent communem ſenſum? Ipſe enim ex colore colligit per accidens de dulci. Rectè dixit, In eodem,ut eiuſdem rei colorem, & guſtum iudicet per duos ſenſus communis. Tunc enim iudicat communis ſenſus id,quod eſt per accidens,quādo prius per duos ſenſus habuit eiuſdem rei typos. Vide autem , quid dicit, quòd communis ſenſus per accidens nouit diſcretionem albi & dulcis. Nos autem dicebamus in contemplatione,quòd hoc per ſe ei ineſt: ex colore autē de dulci colligere,per accidens: quoniam alterum ex altero colligit.

Nō eſt enim alius dicere,quòd ambo vnū.
Quare & fallitur.& ſi ſit flauum , bilem eſſe
135 exiſtimat. Quæſiuerit autem quiſpiam, quam
ob cauſam habemus plures ſenſus , ſed non
vnum ſolum:an ne lateant conſequentia , &
communia?

Communis ,inquit,ſenſus eſt,& non unius ſenſus particularis dicere,quòd mel res una eſt, etiamſi & guſtabile dulce, & color flauus. Fallitur enim particularis ſenſus:& quicquid flauum uiderit,mel eſſe exiſtimat . Quæſiuerit autem quiſpiam, quam ob cauſam plures habemus ſenſus,quàm unum? Sed cur, plures habentes ſenſus,communia ſenſilia non uno ſenſu apprehendimus? & diſſoluit, ut non minus ſenſilia apprehendamus. Conſequentia autem uocauit communia,& ſenſilia,nō ut quædam ocioſa & superuacanea,ſed quòd propria ſenſilia uniuſcuiuſq; ſenſus conſequuntur perfectiora quædam,& intellectu magis prædita,quæ concurrunt. Ipſe autem non dicit,ut diximus,quòd magnis ſcientĳs hæc communia ſenſilia ſubiecta ſunt. Motus enim & quies aſtronomiæ ſubĳcitur. Si enim & immobilia ſunt aſtra,atqui & quomodo ea fixa , & firmata ſint, ſcire uult. In imaginatione enim ea affigit & firmat , ut quæ ſint in aliquo loco. Figura autem,& magnitudo geometriæ ſubĳcitur. Numerus autem,ut immaterialis quidem, Arithmetice,ut materialis uerò, & in ſonis,muſicæ.

Vt motus,magnitudo,& numerus.

Hæc dixit,per hæc alia quoq; comprehendens. Per motum enim quietem comprehendit: Per magnitudinem autem figurā. in magnitudine enim figura.

Si enim eſſet viſus ſolus,& ipſe albi,magis lateret: etiāſi hoc videretur eſſe omnia : quòd inter ſe inuicem conſequerentur ſimul color, & magnitudo. Nunc autem, quoniam in altero ſenſili communia inſunt,apertū fit, quòd eſt quid aliud vnumquodq; eorum.

Plutarchus philoſophus,quam diximus dubitationem in tertio contemplationis capite,ſic dicit: Cur natura communia ſenſilia non uni ſenſui ſepoſita attribuit? ſiquidem uidemus & in ipſis quinq; multas oppoſitiones ſenſilium:& hoc magis dicit Ariſtoteles. conuenit enim ſolutio,& ſoluit dubitationem per præſens dictum,dicens,quòd ſi ſub unum ſolum ſenſum caderēt cōmunia ſenſilia,ut, uerbi gratia, uiſum,ſub eundem autem uiſum caderent & propria ſenſilia,ut album,ſiue color: laterent communia ſenſilia,& idem putaretur,quod color,numerus: & figura:& motus:& reliqua: Nunc autem non ſolum in colore conſideramus numerum,ſed & in ſonis,& ſuccis,et hac ratione à ſe inuicem diſcernuntur. Si autem unus ex quinq; ſenſibus hæc indicaret,multo magis nos fallerent: quando & nunc ſunt apprehenſu nobis difficilia,cùm per quinq; ſenſus cognoſcuntur. Si autē unus quidem è quinq; ſenſibus deeſſet,adhuc eſſent cognitu difficilia. Et quid hæc dico? ſi unus hæc indicaret,ne cognoſcerentur quidem. Nunc autē quoniam,inquit,diuerſis ſenſibus inſunt communia ſenſilia,& in multis cōſiderantur, propterea clarum eſt,& quanam in re differunt & à ſe inuicem, & à proprĳs ſenſilibus. Et in his eſt praxis,praxis,inquam,dei gratia,ſecunda. Summa ·vj·

Quoniam autē ſentimus , quod videmus, 136
& audimus:neceſſe eſt vel viſu ſentire, quod
videt,vel alio.ſed & ipſe erit & viſus , & ſub-
iecti coloris.

Quoniam ſuperius oſtendit non eſſe ſextum ſenſum, qui communia ſenſilia propria habet ſenſilia : nunc uult per hæc aliam quæſtionem proponere. Quærit enim , nunquid non ſint quinq; ſenſus,ſed decem. Quoniam enim,inquit , uidemus, & ſentimus,quod uidemus: rurſus audimus,& ſentimus, quod audimus: quærit utrum eodē ſenſu & uidemus,& ſentimus,quod uidemus: an alius quidem eſt ſenſus,qui uidet ſubiectos colores: alius autem,qui ſentit uiſiuam operationem, id eſt , qui ſentit quòd uidemus. Duo ergo ſunt quærenda: unum quidem , utrum eodem ſenſu,dico autem uiſiuo,& uidemus colores, & ſentimus operationem,quæ uidet colores? Secundum, an alius quidē eſt ſenſus,qui uidet colores,alius autem,qui ſentit , quòd uidemus,idem eſt autem dicere,qui ſentit uiſiuam operationem? nā quoniam nullum erit proprium ſenſile, aliis omnia erunt communia ſenſilia. Nam ſi colores dixeris , erūt communes facultatis,quæ uidet,& eius quæ ſentit,quòd uidemus, et ſi ſonos dixeris,erunt communes auditiuæ facultatis, & eius, quæ apprehēdit auditiuam operationem,id eſt,quæ ſentit,quòd audimus. Similiter & in reliquis ſenſibus. ſed nullum eſſe propriū ſenſile,ſed omnia communia,nondum abſurdum eſſe uidetur. Atqui aliud abſurdum colligit. Ait enim,ſi alio ſenſu,uerbi gratia, uidemus,alio autem ſenſu nouimus,quòd uidemus: ſenſus ille, qui ſentit uiſiuam operationem,nunquid & ipſe ſentit operationem: an rurſus alius eſt ſenſus,qui apprehēdit ipſam operationem? Si enim dixeris,quòd ipſe quidem apprehendit propriam operationem : alius autem ſenſus apprehendit uiſiuam operationem: Quoniam ergo eſt abſurda & reĳcienda oratio,nō eſt igitur alius,qui colores apprehendit,& alius qui ſentit operationem. Sed neq; huius,qui ſentit,quòd audimus, uel uidemus, fieri poteſt ut alius ſit ſenſus , qui operationem apprehendat. Erit enim & huius alius: idq; in infinitum. Si autem , quod eſt in infinitum,falſum eſt. falſa ergo eſt oratio,quæ dicit alios quidem eſſe ſenſus,qui ſenſilia apprehēdunt, alios uerò,qui apprehendunt ipſas operationes. Deinde & ad aliam ſe confert orationem,quæ dicit,quòd ĳdem ſenſus & ſubiecta apprehēdūt, & proprias operationes,& affert dubitationem,eamq; ſoluit:

ut ex

*ut ex hoc conijciamus, in hac eſſe ſententia Ariſtotelẽ, ut exiſtimet, quòd ijdem ſenſus & ſubiecta ſenſilis, & operationes apprehendant. Eſt autẽ hæc dubitatio, quæ dicit, quòd non idẽ ſenſus & ſibi ſubiecta apprehẽdit, & ipſam operationẽ ſentit: & rationẽ adducit, ut in uiſu. & dicit, uidere nihil eſſe aliud, quàm colores apprehendere. ſenſuum autẽ operationes non ſunt colores. ſunt enim incorporeæ operationes. Ergo operationes uiſus non apprehẽdit. Soluit autẽ dubitationem dicẽs, quòd non ſemper uidere eſt colorũ apprehenſio nam & tenebras apprehẽdimus. Atqui tenebræ non ſunt color. Quare falſa eſt oratio. & alioqui quando etiã conceſſero, uidere eſſe colorũ apprehenſionem: & ſic nihil abſurdũ. nam & operationes ſunt quodãmodo coloratæ, etſi non propriè: incorporea enim quomodo propriè colorata eſſe dicatur? atqui ſic colorata eſſe dicatur, ex ſplendoribus, qui quodãmodo apparent etiam poſt abſentiam uiſibilis. manent enim ueluti lampades circa uiſum, etiam poſt abſceſſum ſplẽdidi ſenſilis, quo ſcilicet colorata eſt operatio. & hoc in animatis fit facultatibus, ut poſt ſenſilis abſentiã typos contineant: in inanimatis autẽ hoc non fit: ut in ſpeculo. poſt abſentiã enim ſenſilis nihil manet. non eſt enim, quod contineat. Nos autem ad hoc dicimus. Malè dicis Ariſtoteles. neq; enim ſunt uiſus operationes coloratæ: ſed perſpicuum ſplẽdorũ cauſa eſt. ipſum enim perſpicuum poſt abſentiã uiſibilis ſplẽdores quoſdã ante uiſum imprimit, & præfigurat. Et hæc quidẽ ſunt, quæ per dictionis contextũ apparent. & eſt, ut cõpendio abſoluã, mens Ariſtotelis aperta. Vult enim particulares ſenſus & ſibi ſubiecta apprehendere, & proprias quoq; operationes. Alexander autẽ in cõmentario uult quinq; ſenſus ſibi ſubiectorũ ſenſiliũ eſſe apprehenſiuos, cõmunẽ autẽ ſenſum eſſe uult & ſubiectorũ, & ipſarum operationũ apprehenſiuũ. Plutarchus uerò ait eſſe opus rationalis animæ cognoſcere operationes ſenſuum. ait enim, quòd circa ignobilẽ rationalis animæ partem, quæ eſt opinio, hoc fit. opinio enim, quæ eſt maximè cõmunis, & ignobilis pars animæ, rationalẽ irrationali cõnectit. ſemper enim, ut ſæpe cognouimus, per ignobiles ſui partes prima ſecundis coniunguntur: ut nunc quoq; eſſe dicit. Opinionis ergo eſt hoc facere, & ſenſoriorũ operationes apprehẽdere. Recẽtiores autẽ interpretes neq; Alexandri ſuperciliũ reueriti, neq; Plutarchũ audientes, ſed & ipſo extruſo Ariſtotele, recentiorẽ interpretationẽ inuenerunt. Dicunt enim eſſe attẽtiuæ rationalis animæ partis, quã προσεκτικὸν uocant, ſenſuũ operationes apprehendere. Rationalis enim anima non ſolũ habet in poteſtate intellectũ: cogitationẽ: uoluntatem: & electionẽ ſecundum eos: ſed & aliam quandã facultatem rationali animæ adtrudunt, quam attentiuã appellant. Quæ quidẽ attentiua, inquiunt, ea quærit, & animaduertit, quæ fiunt in homine. & dicit, ego intellexi: ego cogitaui: ego opinatus ſum: ego iratus ſum: ego deſideraui. Et, ut ſemel dicã, hæc attentiua pars rationalis animæ trãſit per omnes facultates rationales, & irrationales, & uegetatiuas ſeu naturales. Si ergo oportet, inquiunt, attentiuã per omnes trãſire: per ſenſus quoq; procedet, & dicet, ego uidi: ego audiui. Eius enim, quod operationes apprehendit, proprium eſt hæc dicere. Si ergo attẽtiua eſt, quæ hæc dicit, ipſa eſt, quæ operationes ſenſilium apprehendit. Oportet enim unũ eſſe, quod omnia apprehendat, quandoquidẽ unus quoq; homo eſt. Si enim aliud quidẽ hæc apprehẽdat: aliud uero illa, perinde eſt, ut ipſe alibi dicit, ut ſi tu quidẽ hoc ſentias, illud uerò ego. Vnum ergo eſſe oportet, quod eſt pars attẽtiua. Hæc enim pars attentiua per omnes peruadit facultates, & cognitiuas, & uitales. Vnde quando ſecundũ cognitiuas operationes aliquẽ animo diuagantẽ, & ſtertentẽ uolumus increpare, ei dicimus. Attende tibijpſi. Si autem per uitales procedit, dicitur Græcè συνειδός, Vnde & tragœdia dicit σύνοιδα. Cognoui, inquit, quod me facere oportuerit. Eſt ergo attentiua pars, quæ ſenſuum operationes apprehẽdit. & male, inquiunt, Plutarchus opinionẽ huius eſſe cauſam exiſtimauit. Oportet enim unũ eſſe, quod omniũ facultatũ operationes apprehẽdit. opinio autẽ non apprehẽdit operationes intellectus. non dicit enim, Ego intellexi: ego cogitaui: & ſi enim dicat, ego opinatus ſum: ego iratus ſum: ſed tamen meliorũ operationes cõtemplari non poteſt. Hæc autem cùm dicunt, Plutarchũ non reprehendunt: cum enim nuſquam dicentẽ inuenerũt, quòd facultas, quæ ſentit ſenſuũ operationes, eſt opinionis: ſed in hoc eis cum Alexandro cõuenit, qui ſenſum cõmunem cauſatur & ipſe. Et uterq; malè dicere conuincitur, cùm dicũt cõmunem ſenſum operationes uniuſcuiuſq; ſenſus apprehendere. Cõmunis enim ſenſus nihil apprehendit, quòd non ſit ſenſile. Quicquid autem eſt ſenſile, eſt in corpore. non eſt autem operatio in corpore, non eſt ergo ſenſilis. Si non eſt autem ſenſilis, nec in communem ſenſum cadit. Et nos ijs aſſentimur, quòd neq; eſt ſextus ſenſus, qui, quòd ſentiatur, cognoſcat, neq; quòd idem & uidet, & ſcit, quòd uidet: ſed, quòd hoc eſt rationalis animæ, huiuſq; facultatis attẽtiuæ. Quòd enim non eſt ſextus ſenſus, qui, quòd ſentiatur, uideat, admittimus ſecundũ ea, quæ ſunt dicta ab Ariſtotele. quòd autẽ idem ſit, qui ſentit, & cognoſcit, quòd ſenſu perceptũ eſt, eum dicentẽ non admittimus. Mihi enim nõ colligitur coloratã eſſe operationẽ, etiamſi ipſa nouit, quòd ſentiatur, eo quòd non ſolũ colorẽ uidet uiſus, ſed & lucẽ, & tenebras. Ei enim dicemus, quòd ſolum per ſe colorem uidet uiſus: alia autẽ, quòd nõ ſint color, nouit ſecundum negationẽ: nec ab ipſis patitur. nullus autẽ propriã operationẽ ſimiliter nouit, ut ea, quæ ſunt ſecundũ negationẽ. Quare quãdo colorem apprehendit, coloratur operatio. Quòd autẽ abſurdũ eſt hoc dicere, quòd quodãmodo coloratur operatio, apertũ eſt. ipſa enim eſt incorporea. incorporeum autẽ coloratum eſſe quî poteſt? eſt autẽ nigri ſimul & albi particeps: quoniã hæc ſimul uidet: quod eſt abſurdũ. eſſet ergo melius dicere coloratum eſſe ſenſorium, non operationẽ. Si autẽ & hoc ex lampadibus probatur, dicimus hoc non eſſe colorationẽ operationis, ſed uehementem ictum ſenſilis, qui affectum in ſenſorio effecit: cuius affectus typum cùm accepit imaginatio, retinet. & propterea uidentur ab ea lampades. Et, quòd non eſt coloratio, apertum eſt. nam & nobis oculos claudentibus uidetur. Scire enim oportet nihil eſſe aliud imaginationẽ, quàm paruũ ſenſum: ſicut ſenſus eſt uehemens imaginatio. & eſt alioqui abſurdum eundẽ ſenſum ſcire, quòd uidet. Omnino enim poſtquam uidit colorem, ad ſeipſum conuerſus ſe uidere cognoſcit. Si autẽ ad ſeipſum conuertitur, eſt & ſeparabilis operationis. Quod autẽ eſt ſeparabilis operationis, eſt & ſeparabilis ſubſtantiæ. & propterea & æternum & incorporeum. Qui ergo dubitabiliter animã rationalem immortalem eſſe dicit, is apertè clamat irrationalẽ eſſe immortalẽ. quod eſt abſurdũ. neq; enim ſunt ſenſus æterni: & ideo ad ſeipſos non cõuertũtur. Si autẽ ad ſeipſos non cõuertũtur, nõ apprehendũt proprias operationes: nihil eſt enim aliud ad ſeipſum cõuerti, quàm proprias operationes apprehendere. Quare nõ rectè dicit Ariſtoteles: ſed, ut diximus, eſt attentiuæ animæ partis ſenſuum operationes cognoſcere. & quòd hoc ſic habet, ex rebus eſt uidere. occupata enim circa quidpiã ratione, etiamſi uidet uiſus, neſcimus quid uiderit, eo quòd occupata fuit ratio: & poſtea ubi ad ſe redijt ratio, licet amicum non uideat, nunc, inquit, ipſum uidi, ut quæ ueluti paruum uiſi typũ receperit. & ſi ergo occupata fuerit, cùm ad ſe redierit, ſe uidiſſe dicit. eſt ergo rationis dicere, uidi Si quis autẽ dubitauerit, quomodo dictũ eſt rationem circa uniuerſalia uerſari, nunc autẽ dicimus eam cum particularibus ſenſibus operari: dic ad hoc, quòd, quãdo corpore quidẽ, inſtrumẽto, utitur, circa particularia operatur: quãdo autẽ eo, ut inſtrumento, nõ utitur, circa uniuerſalia immoratur. nunc autem corpore utitur. Et hæc quidẽ hoc modo: alimentorũ*

autem gratiam Ariſtoteli non referimus, ſed, quod ab eo dictum eſt, falſum eſſe aſſerimus? Dicimus ergo eum nobiſcum conuenire. Quando enim dicit, ſenſum noſſe quòd operatur, dicimus hoc dicere, ipſum ſcire, non ut ſenſum, ſed ut qui ſit rationis inſtrumentum. Sicut enim ſuperius dixit uiſum noſſe dulce, nõ ut uiſum, ſed ut cõmunem ſenſum: ita & nunc hoc dixit. & nõ ipſe ſolum hoc facit, ſed & cõmunis conſuetudo hunc habet morem, quando dicit: Securis thronum fecit: & ecce opus inſtrumento honoratur: non quòd hoc ipſum fecit, ſed is, qui illo uſus eſt, operarius. Et in his contemplatio, deo eſt gratia, adimpletur. Quoniam autem ſentimus, inquit, quòd uidemus: & non dixit, quoniam autẽ uidemus: non enim in uiſu tantum id, quod dicit, cõparat & exercet, ſed & in omni ſenſu. Quare id, quod commune eſt, dicit à ſentiendo. Sed ipſe erit & uiſus & ſubiecti coloris. Quoniam autem ſecundum diuiſionem dixit, inquiens, Vel eodẽ ſenſu ſubiectum & operationem nouimus, uel alio quidem ſubiectum, alio autem operationem, per reliqua alterum diuiſionis membrum refellit, quod dicit: quòd alius eſt qui uiſum apprehendit, id eſt operationẽ, & alius qui ſubiectum. Ipſe autem non dixit, & alius qui ſubiectum: & propterea obſcuram orationẽ reddidit. Deinde declarare uolens quid eſt ſubiectum, ſubiũxit, Colorem. Viſus enim ſubiectum eſt color.

Quare vel duo eiuſdem erunt, vel ipſe ſuiipſius.

Hinc infert abſurdum. Ait enim, quòd ſi hæc ſic habent, & alius quidẽ ſubiectum ſentit: alius autem operationẽ: continget duos eſſe eiuſdem ſenſus, ut coloris uiſum, & alium ſenſum, qui ſentit operationem uiſus. & duo inuenientur idem ſentiẽtia per ſe, & non per accidẽs, quod eſt abſurdum. Si autem rurſus idem eſt & colorem ſentiens, & propriam operationem, ſequetur rurſus aliud abſurdum, quòd idem ſit ſuiipſius ſenſus.

Præterea autem ſi & alius fuerit ſenſus viſus: vel procedit in infinitũ: vel idem ipſe erit ſuiipſius. Quare hoc eſt in primo faciendum.

Hinc alterum abſurdũ inducit in hanc ſuppoſitionẽ, quæ dicit, quòd alia eſt facultas, quæ ſentit operationẽ. Quare hoc eſt in primo faciẽdũ. quaſi diceret, quòd in prima ſtare oportet, et dicere quòd ipſe ſeipſum apprehẽdit: & cognoſcit uiſus, quòd ſentit colorem, & auditus, audibile: Similiter & reliqui. Si enim propterea quòd alius ſenſus ſentiat quòd quid ſentitur, ideo, quod dicitur, in dubium uenit: neceſſe eſt, inquit, ad primum uenire, & dicere, quòd ipſe nouit propriam operationẽ. & oportebat magis dicere, recta, ut ſic diceret: Quare hoc eſt recta in primo faciendum. Nonnulli autem & præſens dictum ſic interpretati ſunt. Si ſenſus, qui apprehendit operationẽ alius ſenſus, apprehendit propriam operationem: cur nõ & primus, qui apprehendit ſubiectum, apprehendit propriam operationem? abſurdum enim tale eſt.

137 Habet autem dubitationem. Si enim viſu ſentire eſt videre: videtur autẽ color, vel quod eum habet: ſi viderit quis id quod videt, & colorem habebit id, quod primum videt.

Hinc dubitationem aduerſus aliam ſuppoſitionẽ affert, quæ dicit: Si idem ſenſus & ſubiecta, & operationes apprehendit: etiã colorẽ habebit id, quod primũ uidet. Rectè additur Primũ: quandoquidem ſenſilium ſpecies uiſus in operando exterius accipit. Dicit autem, quòd & ipſe prius per ſe colorem habebit, ſi quidem eſt ab alio uiſibilis.

138 Eſt itaq; apertum, quòd nõ vnum viſu ſentire. etenim quando non videmus, viſu iudicamus & tenebras, & lucem.

Hic eſt ſolutio dictæ dubitationis: & conſidera, quòd hanc quidem ſoluit dubitationẽ, uel, ſi uelis, leniit, ut qui in hac magis eſſet opinione: prætermiſit autem reliquam dubiationẽ inſolubilem, quæ aduerſus hanc fertur opinionem. ea autem ſic dicit: Si una eſt facultas, & quæ uidet, & quæ operationem cognoſcit: idem erit ſenſile, & ſentiens. Sed quia oppoſitam perimit opinionem, uidetur hanc quoque diſſoluere. Hæc autem faciunt ad mitigandas, & leniendas dubitationes.

Præterea autem, eſt vt ſit coloratũ id quod videt. ſenſorium enim ſenſilis eſt ſuſceptiuum ſine materia vnumquodq;. Quare & cùm receſſerunt ſenſilia, inſunt ſenſus, & imaginationes in ſenſorijs.

Illud, Eſt ut, pro eo qđ eſt, utcunq;, inquit, colorata eſt operatio. Et in his praxis dei gratia impletur: praxis dei gratia tertia.

Eius autẽ, quod eſt ſenſile, operatio, & ſenſus, eſt quidem eadem & vna: eſſe autẽ ipſum non idem. Dico autem, vt ſonus, qui eſt ſecundum actum, & auditus, qui eſt ſecundũ actũ.

Poſtquam dixit ſuperius, quòd operatio eſt utcunq; colorata: hoc autem oſtendit ex lampadibus, quæ apparent etiam poſt abſentiam ſenſilis: & quòd ſenſus, qui eſt ſecundum actum, operatur recipiendo ſpecies ſenſilium: & hucuſq; aduerſus priorẽ oppoſuit: in hoc loco uult hoc ipſum extendere, perinde ac ſi diceret: Atqui dico, quòd ſpecies ſenſilium procedunt ad ſenſum, ſecundum actum, per id quod eſt actu ſenſile. Eſt enim duplex ſenſile: hoc quidem potentia: illud uerò actu: & duplex ſenſus: hic quidem potentia: ille uerò actu. Si ergo ſenſus actu idem eſt, quod actu ſenſile: ſiquidem ſenſus eſt actu coloratus: ſenſile autem eſt color. idem eſt ergo ſenſus qui eſt ſecundum actum, quod id, quod eſt ſecundũ actum ſenſile. Senſile autem dicit, ſcilicet, cõmoderatum. immoderatum enim corrumpit uiſum. Si autem idem eſſet, quod immoderatũ, ſenſile, futurum eſſet ut idem ſeipſum corrumperet, quod eſt abſurdum. Ne exiſtima autem, quoniam idem eſſe dicit ſenſum ſecundum actum, quod id, quod eſt ſecundum actum ſenſile, eum ſenſilium rationes dicere eſſe in ſenſu: quando nec animam quidem rationalẽ rerum rationes habere dicit, ſed non ſcriptæ eſſe tabulæ ſimilem. Quòd ea enim rationes habeat, eſt Empedoclis, cùm dicit, Nam terram terra cõſpeximus. Ariſtoteles autẽ hoc non dicit: niſi propterea quòd eſt impreſſu facilis. Qui enim actu ſenſus eſt, ad ſuſcipiendas formas rerum ſecundum actum ſenſilium facile imprimi & fingi poteſt: & propterea eundem eſſe dicit eum eo, quod eſt actu ſenſile, ſenſum ſecundum actum. & hoc ſic probat. Primum quidem, ſi nihil eſt, inquit, actus ſecundum actum, quàm habere ea, quæ ſunt ſenſilia ſecundum actũ: Senſilia autẽ ſecundum actum ſunt quæ à ſenſu habentur: quod habetur autem, & habet, idem eſt: ſenſus ergo ſecundum actum idem eſt, quod ſecundũ actum ſenſile. Porrò & ex alio acriorẽ, & magis naturalem rationem demonſtrat. Sic enim dicit. Oſtenſum eſt in tertio libro naturalis auſcultationis, quòd quicquid agit, & patitur, ſubiecto quidem idem eſt, habitudine diuerſum. nos itaq; dicere meminimus quòd diſciplina & doctrina eſt eadem ſubiecto, habitudine diuerſa. idem enim theorema, ſi diſcipulum quidem reſpicias, diſciplina: ſi autem doctorem, doctrina. Quare quicquid agit & patitur, eſt idem quidem ſubiecto, habitudine autem diuerſum. Si ergo & ſenſus ſecundum actum eſt aliquid patiens, & ſenſile ſecundum actum eſt aliquid agens: clarum eſt, quòd colligetur & ea eſſe quidem eadem ſubiecto, habitudine autẽ diuerſa. Sic ergo & naturaliter rationem demonſtrat. Sciendum autẽ, quòd cùm ſint duæ habitudines ſeu relationes: hæc quidem ad ſenſum, qui eſt ſecundum actum, quæ eſt habere: illa uerò ad actu ſen-

ſile,

ſile, quæ eſt haberi: duplicem eſſe habitudinem, & relationem nos latet, quòd in nõnullis utraq; habitudo non nominatur. Cum enim ſint quinq; ſenſus, in uno ſolo, dico autẽ auditu, ambæ ſunt relationes nominatæ, & ſecundum actum ſenſilis, & ſenſus ſecundum actum. In ſenſu enim ſecundum actum habitudo, auditio dicitur. Senſilis autem ſecundum actum habitudo, ſonitus. In reliquis autem ſenſibus non eſt inuenire nomen. Viſus enim ſecundum actum habitudinem, uiſionem diximus: uiſibilis autem ſecundum actum habitudinem, debebamus quidẽ colorationem dicere. non dicimus autem. & quare, in contextu dictionis diſcemus. Quoniam ergo non in omnibus ſenſibus duplex habitudo nominata eſt: propterea ſæpe latet: nec duplicem uidemus habitudinem. Hæc cùm dixerit Ariſtoteles, hinc Alexander colligere uidetur corollarium ijs, quæ ab ipſo Ariſtotele in priore dicta ſunt, quòd quinq; ſenſus proprias operationes apprehẽdũt. Dicit enim Alexander, ſi idem eſt, qui eſt ſecundum actum, ſenſus, quod ſenſile ſecundum actum: clarũ eſt, quòd ſeipſum comprehendit ſenſus, qui eſt ſecundum actum. Ipſe enim nihil eſt aliud, quàm actus ſeu operatio ſenſus. tunc enim dicitur ſecundum actum, quando agit. Quare manifeſtum eſt, quòd ſenſus ſecundum actum ſeipſum apprehendit. Clarũ eſt ergo, quòd ſenſus ſuam operationẽ apprehendit, quod uidetur Ariſtoteli. Et hæc quidẽ Alexander. Nos autem dicimus, quòd non uera dicit: neq; hoc corollariũ hinc colligitur. Primum enim uerũ eſt dicere, quòd idem eſt, qui eſt ſecundũ actum ſenſus, quod ſecundum actum ſenſile, ſecundũ ſubiectum: & quòd apprehẽdit ſecundũ actum ſenſus, ſecundum actũ ſenſile: ſecundum autẽ non itidem uerum eſt, quod dicit, quòd ſi ſentit ſecundũ actum ſenſile, iam & ipſum apprehendit. Et alioqui non ſecundũ id, quod eſt commune, cognoſcit, qui eſt ſecundũ actum ſenſus, ſed ſecundum id, quod eſt diuerſum. Quatenus enim patitur, cognoſcit. Eſt autem diuerſum ſecundũ hoc: ſenſus enim patitur: ſenſile autem agit. Quare hoc non admitto ò Alexander, quòd quatenus idem eſt ſenſus, qui eſt ſecundũ actum, quòd id, quod eſt ſecundũ actum ſenſile, ſecundũ hoc cognoſcat. Si autẽ hoc quoq; tibi cõceſſero. Sentit enim, qui eſt ſecundũ actum, ſenſus, non habitũ, ſed id, per quod idem eſt quod ſenſile ſecundũ actum. Quid eſt hoc autẽ? uidelicet ſubiectũ. Subiecto enim idẽ eſt, ſed habitudine diuerſum. Quid eſt autẽ ſubiectum? ſpecies ſcilicet. has ergo ſolũ ſentit. Colligitur ergo quòd, qui eſt ſecundũ actum ſenſus, ſuũ ſubiectum apprehẽdit. non autẽ ſuam operationẽ. Eius autẽ ſubiecta ſunt colorum ſpecies. & hæc quidẽ in his. Ariſtoteles uerò ex ijs, quæ dicta ſunt, unum quidẽ colligit, quòd ſi ſenſus, qui eſt ſecundũ actum, idem eſt quod ſecundũ actum ſenſile, uidelicèt ſi eſt ſenſus, qui eſt ſecundũ actũ: eſt & id, quod eſt ſecundũ actũ ſenſile & rurſus corrupto eo, qui eſt ſecundũ actum, ſenſu, corrumpitur &, quod eſt ſecundum actum ſenſile, ut uiſum, non ut ſubſiſtens. Id autẽ non eſt in ſenſu, qui eſt potẽtia, & in eo, quod eſt potentia ſenſile. non quòd non ſint ſimul: ſimul enim ſunt ſecundum legẽ eorum, quæ ſunt ad aliquid. & ſi eſt potentia ſenſus, eſt & potentia ſenſile. & ſi ille non eſt, nec hoc erit. Quare quoad eſſe quidẽ cõuenit, quod eſt potẽtia ſenſile, cum eo, quod eſt ſenſile actu: et ſenſus, qui eſt potẽtia, cum ſenſu, qui actu eſt. Differt autẽ, quatenus ſenſus quidẽ, qui actu eſt, idem eſt, quod id, quod eſt actu ſenſile. Senſus autẽ potentia, non eſt idem quod potẽtia ſenſile. idq; meritò. Neq; enim hic eſt, quod ea uniat, & ſimul coaleſcere faciat. In ijs enim, quæ actu ſunt, ſpecies ſenſiliũ exiſtentes in operatione ſenſus, hinc quandã habitudinẽ faciũt, & quodãmodo cõgenerantur, et ſimul coaleſcũt. Ipſa enim operatio cõiuncta eſt, & facit ſenſum idem, quod ſenſile. In ijs autem, quæ ſunt potẽtia, nondũ tranſierunt ſpecies ſenſiliũ ad operationẽ ſenſus, & propterea nondum facta eſt cõmunio aliqua, & unio. Propterea ergo, qui actu quidẽ ſenſus eſt, idẽ eſt, quod actu ſenſile. Senſus autem qui eſt potẽtia, non eſt idem quod id, quod eſt potentia ſenſile. Protagorei uerò non diſtinguebant quidẽ, ſed dicebant ſenſus idem eſſe quod ſenſile, non diſtinguentes, & dicentes, quòd, qui actu quidẽ eſt, idem eſt: qui uerò potẽtia, non eſt idem. idq; meritò. Protagorei enim non dicebãt omnino eſſe, quod eſt potentia: neq; ſubſtantiã ſenſilibus præbebant: ſed ſenſilia eſſe dicebant, quãdiu in ſenſum cadunt, quodq; tunc ſolũ ſunt. nam neq;, quod eſt potentia, dicebãt. ſed, quod eſt actu tantũ. & id ſenſus procreare affirmabant. Si enim uidimus, inquit, eſt color. Sin minus, nõ eſt. Eadẽ lege dulce, & eadẽ lege album. Propterea ergo rectè dicerẽt, quãuis indiſtinctè dicerent, quod ſenſus idem eſt, quod ſenſile, ſi utcũq; dicerẽt, qđ actu eſt. Introduxit & hoc primũ corollarium, ſecundum corollariũ, in quo quærit, cur extremitates ſenſiliũ corrumpũt ſenſum, qui eſt ſecundũ actum. & hoc ſic oſtendit. Qui ſecundũ actum ſenſus eſt, eſt cõcentus. Concentus autẽ ratio ſeu proportio. Proportio autem ex diminutione & exceſſu corrũpitur. Vt ſex ad tria habet proportionẽ duplam & unum ad duo. Si duobus ergo unum addideris, non ſeruatur duplũ. & ſi ex ſex ad duo unum abſtuleris, non ſeruatur duplũ. Proportio enim non patitur unius termini additionẽ, uel defectum. Rectè autẽ dixit, Vnius termini. Si enim utriſq; addideris, ut tribus quidẽ unum, ſex autẽ duo, rurſus ſeruatur dupli proportio, quæ eſt ad quatuor. Quamobrem dictũ eſt, Vnius. Si ergo proportio unius termini, additionẽ, uel defectum non patitur, quoniã corrumpitur: nec ergo ſenſus admittit defectum, uel additionẽ ſenſilis, quoniã corrumpitur. Sed exceſſus quidẽ coaceruatè & extẽplo corrumpit: cùm primum enim apprehenderit, patitur, uel congregatus, uel diſgregatus, & corrumpitur: defectus autẽ tempore lædit. eo enim, quòd nõ operetur, lædit. Qui enim ſunt in ſpelunca, ſi longo tempore nõ uiderint, excæcantur. Sicut &, qui non audiunt, idipſum patiuntur: ob eam ſolũ cauſam, quòd non operetur, propter Hippocratem, qui dixit: Motus firmum, & ualidũ reddit: ocium autem liquefacit. Et nos quidẽ in uniuerſum in ſenſu, & ſenſili id, de quo agebatur, tractauimus: ipſe autẽ in auditu orationem inſtituit, & exercet, & meritò, quoniã in eo eſt & à ſubiecto nomen, ut ſonitus, uel ſonatio, & à ſenſu auditio. in uiſu autem & guſtu dictũ eſt non eſſe nomẽ à ſubiecto. Et propter aliud etiã id, quòd ab eo dicitur, in auditu uerſatur. Concẽtus enim meminit. Concentus autẽ propriè in uoce dicitur, ut oſtendemus. Vox enim auditui ſubijcitur. Propterea ergo in auditu eius uerſatur oratio. Sic autem orationẽ producit. Si ſecundum actum auditus idem eſt quod uox: uox autẽ eſt concentus, non ſui ad ſe, ſed ad auditum: hoc enim uult proportio: concentus autẽ communionẽ dicit: Si ergo uox eſt cõcentus: concentus autẽ proportio, id eſt uocis ad auditũ proportio (Proportionem autẽ non dicit temperaturam: non eſt enim in hac opinione: ſed quemadmodum dicimus onus habere proportionẽ ad humerum, ut feratur: non autem & temperaturã: ſic & uox habet proportionẽ ad auditũ, quòd ſit eadem cum ſubiecto, nõ autẽ ſecundum temperaturã) Si ergo concentus eſt proportio: Proportio autem non patitur unius termini additionẽ, & cætera, ut ſuperius dictũ eſt. Viſum eſt autem Syriano dicere, quòd etſi in cõtextu uocis nõ meminiſſet, non tamẽ manca fuiſſet oratio. Si enim dixiſſet, Qui eſt ſecundum actum auditus, eſt concentus, concentus eſt, ſcilicet, auditus illius, cuius eſt auditus. Cuius autem eſt, niſi uocis? Quare ſimul cõprehenſa eſſet: Quòd ſi uocem quoq; ſolum dixiſſet, auditum comprehendiſſet. Cuius enim eſt uox concentus, ſi non eſt uox? auditus autẽ eſt uox. Cur ergo meminit uocis? propter concentum: ut oſtendat in uoce eſſe propriè concentũ. uel etiam propterea uoluit utrunq; dicere, ut dicat quænã ſunt ea, quæ habẽt cõmunionẽ. Philoſophus autẽ Ammonius dubitauit, cur per mediũ ſenſile ſecundũ actũ, collegit ſenſum, qui eſt ſecundũ actum,

*eſſe concentum? Cur enim non dixit, quòd, qui ſecundum actum ſenſus eſt, eſt concentus: quemadmodum quòd ſecundum actum ſenſile eſt concentus? Si ergo utrunq; propter eam, quæ eſt ad alterum, harmoniam eſt concentus, cur non ſenſui concentum attribuit, ſed ſenſili ſecundum actum? Cùm ſic ergo dubitaſſet, diſſoluit, dicens, quòd συμφωνία, quod eſt latinè concentus, à uoce, quæ græcè eſt φωνὴ, acceptæ eſt, ut ipſa dictio declarat. uox autem eſt ſenſile. Propterea ergo concentum ei, quod eſt ſecundum actum ſenſile, attribuit, & non ſenſui ſecundum actum. Et in his abſoluta eſt, deo eſt gratia, contemplatio.*

Eſt enim vt &, quæ auditũ habent, non audiant: &, quod ſonum habet, non ſemper ſonat. Quando autem operatur, quod poteſt audire, & ſonat, quod poteſt ſonare, tunc ſimul fit &, qui eſt ſecundum actum, auditus, & qui eſt ſecundum actum ſonus. Quare quiſpiam etiam dixerit, illud quidem eſſe auditionem, hoc verò ſonationem, ſeu ſonitum.

*Poſtquam dixit, quòd, qui eſt ſecundum actum, ſenſus, & quod eſt ſecundum actum ſenſile, ſubiecto quidem idem ſunt, quod autem ad eſſe attinet, id eſt ſecundum rationem, differunt, ſicut aſcẽſus & deſcenſus idem ſunt ſubiecto: utraq; enim ſunt in ſcala: ſunt autem ratione diuerſa. eſt enim aliud aſcẽſus, aliud deſcenſus: Dicit, hoc ſolum quadrare in ijs, quæ ſunt ſecundum actum, ſed non in ijs, quæ ſunt potentia. Fieri enim poteſt, ut potentia ſenſum, & ſenſile potentia habens, non audiat. Si eſt enim auditus potentia, non audit: & rurſus, ſi eſt audibile potẽtia, non audit ipſum.*

135 Si autem & motus, & actio, & affectio, ſeu paſsio ineſt in eo, quod mouetur: neceſſe eſt & ſonum, & auditum, qui eſt ſecundum actũ, eſſe in eo, qui eſt ſecundum potentiam. Actiui enim, & motiui actus ineſt in patiente.

*Oſtendit hinc theorema, quod eſt ex naturali auſcultatione, quòd, qui eſt ſecundum actum, ſenſus, ſubiecto quidem idem eſt, quod ſenſile ſecundum actum: eſt autem habitudine diuerſus. Differt autem motus ab actione, quòd ubi eſt motus, illic & actio: non autem ubi actio, illic & motus. Artifex enim agit quidem, ſed agit, exiſtens immobilis. Porrò & affectio, ſiue paßio, & actio ſunt motus. Sed ipſe quidem motus, ſi ad id, quod eſt agens, cõfertur, actio dicitur: ſi autem ad id, quod patitur, affectio ſeu paßio. In eo autem, quod mouetur, dixit, pro eo, quod eſt, In patiente. Vult ergo colligere, quòd idem eſt affectio ſeu paßio, & actio, ſubiecto. utraq; enim motus. Motus autem in eo, quod mouetur, id eſt, In patiẽte: neceſſe eſt, inquit, & eum, qui eſt ſecundum actum ſenſum, & ſenſile ſecundũ actũ, eſſe idem. Quid eſt enim, quod patitur? ſenſus. Quid eſt quod agit? ſenſile. Quòd autem motus eſt in patiente, clarũ. Si enim in agente, quodcũq; mouet mouebitur: erit & prima cauſa, quod eſt abſurdum. Et auditum, qui eſt ſecundum actum, eſſe in eo, qui eſt ſecundũ potentiam. Deeſt contextui dictionis, In eo, Auditu, ut ſit, quod dicitur, in eo auditu, qui eſt ſecundum potentiam.*

Quare non neceſſe eſt, quod mouet, moueri. Sonatiui itaq; operatio eſt ſonus, vel ſonatio ſeu ſonitus. auditiui autẽ auditus, vel auditio. Duplex eſt enim auditꝰ, & duplex ſonus.
40 eadem autem ratio & in alijs ſenſibus, & ſenſilibus. Sicut enim actio, & paſsio in patiẽte, & non in agente: ſic & ſenſilis operatio in ſenſitiuo. Sed in nonnullis quidem etiam nominata eſt, vt ſonitus, & auditio: in nõnullis autem alterũ caret nomine. Viſio enim dicitur viſus operatio. coloris autem nomen non habet: & guſtatio, guſtatiui. Succi autẽ, caret nomine.

*Accepta occaſione, deinceps interpoſita oratione utitur, & ait quòd motus non eſt in eo, quod mouet, ſed in eo quod mouetur. Si enim eſſet in eo, quod mouet, & ipſum moueretur. Auditiui autem auditus, uel auditio. Aliud eſt auditus, aliud auditio. Auditus enim eſt ipſe actus ſiue operatio. Auditio uerò eſt apprehenſio. Quemadmodũ & ſonus dicitur quidẽ ipſe ſtrepitus: Quæ autẽ in nobis ex ſtrepitu fit affectio, dicitur ſonitus. Cùm ergo ſciret hæc differre, diſtinxit dicens, Duplex auditus, & duplex ſonus. Hæc ſunt enim potentia, illa uerò actu: ſic & eius, quod eſt ſenſile, actus, & ſenſitiui in ſenſitiuo. Vt autem apertũ reddamus, quod dicitur, ſubiecto exemplo id, quod dicitur, excutiamus, & agitemus. Quemadmodũ, cùm faber facit portã, actio eius eſt in lignis: & affectio ſeu paßio lignorũ in ipſis lignis: ſic & quando uidemus, ſenſilis quidem actio, fortaſſe coloris, eſt in uiſu: & ſenſitiui motus (ſenſitiuũ autem dicit ſenſum ex ſubiecto) rurſus eſt in ipſo uiſu, & non in ſenſili, id eſt colore: ſicut nec in fabro. Sed in nõnullis quidem etiam nominata eſt, ut ſonitus, & auditio. Quare autem, ſicut in auditu dicimus & à ſenſu auditionem, & à ſubiecto ſenſili ſonitum, non & in uiſu quoq; ſic dicimus? ſed à ſenſu quidem dicimus uiſionem, à ſubiecto autem nõ dicimus colorationem? & dicimus, quoniã coloratio non aliud ſignificat, quàm coloratum corpus ex eo, quod habet aliũ colorem. Quare non eſt ex ipſo ſubiecto. Sonitus autem ex ipſo ſubiecto. Deinde rurſus quærimus, cur non dicimus græcè χύμωσιν, à ſucco, qui eſt ſubiectum guſtus, ſicut dicimus guſtationem ex ſenſu? Dic ad hoc, quòd hoc nomen χύμωσις ad coquos pertinet: & ideo in Phyſicis non dicitur.* 131

Quoniam autem vna quidẽ eſt actio eius, quod eſt ſenſile, & ſenſitiui, eſſe autem alterũ: neceſſe eſt ſimul corrumpi, & ſeruari eum, qui ſic dicitur, auditum, & ſonum: ſuccum quoq;, & guſtum, & reliqua ſimiliter.

*Hinc infert primum corollariũ, quòd, qui eſt ſecundũ actum ſenſus, idem eſt, quod ſenſile ſecundum actum, id eſt ſubiecto, habitudine autem diuerſus. non enim eo, quòd ſint definitione diuerſa, ſequitur, quòd ſimul corrumpuntur, & ſeruantur: ſed, quòd ea ſint ad aliquid. Quare oportet hoc dicere alteram quæſtionem, & non corollarium.*

Quæ autem ſecundũ potentiã dicuntur, nõ neceſſariò. Sed priores phyſicorum ſcriptores hoc nõ rectè dicebãt, nihil eſſe putãtes nec album, nec nigrũ ſine viſu, nec ſuccũ ſine guſtu. 41

*Quæ autem potentia, inquit, non neceſſariò. Quid? non neceſſe eſt ea ſimul eſſe? Lege enim eorũ, quæ ſunt ad aliquid, ea ſimul eſſe neceſſe eſt. Quod eſt enim potentia ſenſile, ſimul eſt cum ſenſu, qui eſt potentia: Sicut &, quod eſt actu ſenſile, cum ſenſu qui eſt actu. Quid ergo dicit illud, Non neceſſariò? an uidelicet primũ, quòd non neceſſe eſt ſenſum, qui eſt potentia, idem eſſe, quod potentia ſenſile, ut in contemplatione dictum eſt.*

Partim enim rectè dicebant, partim autem nõ rectè. Cùm enim dupliciter dicatur ſenſus, & ſenſile: hæc quidẽ ſecundũ potentiã: illa verò ſecũdũ actũ: in his quidẽ euenit quod dictũ eſt: in alijs verò non euenit. Sed illi ſimpliciter dicebant de ijs, quæ dicuntur non ſimpliciter.

*Protagoreos innuit. Dicit autem eos rectè dicere in eo, quòd*

dicant

*dicant ſenſum, qui eſt ſecundum actum, idem eſſe, quod ſenſile ſecundum actum.non rectè autem dicebant,quoniam & ,quæ ſunt eadem potentia, eadem quoq; ſimpliciter dicebant omnia, quæ non oportet eadem dicere ſimpliciter. Refellit autem & Plato hanc opinionem in Protagora dialogo.*

143 Siquidem concentus vox quædam eſt: vox autē,& auditus,eſt vt vnū,& non vnum idē.

*Græcè eſt φωνὴ συμφωνία. Illud autem u, quod eſt in ſecunda ſyllaba eius quod eſt φωνὴ, non eſt articulus,ſed pars con iunctionis,perinde ac ſi diceret, quoniam uox quædam eſt concentus.Quæ eſt autem ea uox? ea,ſcilicet,quæ ſe habet cōmoderatè ad eum,qui eſt ſecundum actum,auditum.non poteſt autem eſſe articulus,quoniam cum prædicato cōiungitur.articuli enim diſtinctionibus, quæ adijciuntur propoſitionibus, quas circunſtantias appellant,æquiualent. Diſtinctiones autem huiuſmodi ſemper ſubiecto coniunguntur. nunc autem accipit concentum, ut prædicatum auditus,& uocis. & propterea non oportet illud, u,ut articulum accipere,ne inueniatur cum prædicato coniunctum. Dic itaq; φωνὴ unam partem orationis. Hic autē eſt ſecundum contemplationis corollariū,in quo uult dicere, cur extremitates ſenſilium corrumpunt ſenſus. & hoc oſtendit per concentum & proportionem,ut dictum eſt. Vox autem,& auditus eſt ut unum,& eſt ut non unum. Hoc rectè dixit: ſubiecto enim una eſt uox,& auditus:ratione autem,& habitudine non una,ſed diuerſa. Quare & unum eſt,& non unum.*

Proportio autem concentus : neceſſe eſt & auditum eſſe quandam proportionem.

*Hoc dixit,ut oſtenderet non eſſe temperaturā, auditus cum uoce concentum,ſed cum quadam proportione fieri. & dictum eſt quomodo in contemplatione.*

Et propterea etiam vnumquodq; excedēs & acutum,& graue,auditum quoq; corrumpere. Similiter & in ſuccis guſtum. & in colore viſum,quod eſt valde ſplendidum, vel tenebricoſum. & in odoratu vehemēs odor & dulcis,& amarus.

*Oportet communiter accipere illud,Excedens corrumpit,ut in auditu,guſtu,uiſu,odoratu. Exceſſus enim ſenſus corrūpunt. Vnuſquiſq; enim ſenſus habet ea,quæ ſe poſſint corrūpere. Viſus quidem, quod eſt nimis ſplendidum, ut lucem ſolis. Auditus autem,ſonū,qui eſt ex tonitru. Odoratus grauer,& tetros flatus. Guſtus uenena. Tactus ignem: niuē. & ideo excogitatæ ſunt artes,quæ ſenſus uoluptate afficiant: uiſui quidem pictura: auditui muſica: olfactui unguentaria: guſtui coquinaria: tactui lauacra,& ars texendi.*

Vtpote quòd ſenſus ſit quædā proportio.

*Volens exempla dicere ſenſiliū,quæ corrumpunt ſenſus,poſuit & dulce. & unquid,eo quòd ſenſum diſſoluat,cum corrūpit,ut pingue? illud autem, Vtpote quòd ſenſus ſit quædā proportio: Quoniam,inquit,proportio eſt ſenſus: proportio autem exceſſum non patitur,propterea eſt ſenſus , ut proportio, & quædam commoderatio.*

Quare & dulcia quidem,quando deducuntur, cùm pura & immixta ſunt, ducuntur ad proportionem,vt acutū,vel dulce,vel ſalſum. tunc enim dulcia.omnino autem magis,quod mixtum eſt,concentus,quàm acutū, & graue.

*Hic uult dicere qualenam eſt dulce ſenſile : & dicit quòd illud eſt dulce ſenſile,quod cùm nuper eſſet purum, & immixtū, non manſerit purum, ſed ad proportionem ductum ſit, id eſt,ad mixtionem.mixta enim dulcia. Quare extrema pura, ut acutum & graue,non ſunt dulcia,niſi ea miſcueris. Mixtionem enim ſequitur concentus,& dulcedo,ut in medietate.*

Tactui autem,quod calefieri poteſt,vel qđ frigefieri. ſenſus autem proportio. Excedentia autem vel moleſtia afficiunt,vel corrumpunt.

*Tactui,inquit,dulce eſt,quod calefieri poteſt,uel, quod frigefieri. & uide quomodo græcè dixerit θερμαντὸν, calefacibile,id eſt, quod poteſt calefieri, & ψυκτὸν refrigerabile, quod poteſt frigefieri. tunc enim eſt dulce,quando poteſt intentionem admittere: immoderatum enim frigidum, & calidum eſt moleſtum . Rectè ergo dixit, tactui dulce eſſe, quod calefieri poteſt,uel quod frigefieri,& non dixit calidū,uel frigidum. Si enim hoc dixiſſet,extremum intellexiſſet calidum & frigidum,quod tactum uolupetate non afficit,ſed & ipſum corrumpit. Et in his quidem eſt praxis,praxis,deo eſt gratia,quarta.*

Vnuſquiſq; ergo ſenſus eſt ſubiecti ſenſilis: & eſt in ſenſorio, quatenus eſt ſenſorium: & ſubiecti ſenſilis iudicat differētias. vt album quidem & nigrum viſus: dulce autē,& amarū guſtus. Similiter autē ſe habet hoc & in alijs. 144

*Poſtquam diſſeruit de quinque ſenſibus : & docuit,non eſſe alium ſextum ſenſum,qui ab his quinq; ſeiungatur : ne quis exiſtimaret,quòd hac ratione ne communis quidem ſenſus eſt: per hæc uult oſtendere,quòd eſt cōmunis ſenſus. & non hoc ſolum, ſed & quòd incorporeus eſt hic cōmunis ſenſus. Ad hæc autem, & tertium,quòd ſine tempore operatur.neq; enim in alio tempore nouit dulce: in alio uerò album: ſed in eodē inſtanti, & eo quod nunc eſt , cognoſcit hoc quidem eſſe dulce , illud uerò album. Quarto autem dubitationem proponit aduerſus cōmunem ſenſum: & dubitationem falsò ſoluit. Deinde falſam ſolutionem euertit: & ſic deinceps dicit ueram ſolutionē. & talis quidem eſt contemplationis apparatus. Age uerò & unumquodq; eorum explicemus. Primum ergo oſtendendum eſt eſſe communem ſenſum,hoc modo. Quoniam non ſolum ſcimus differētiam eorum,quæ ſunt eiuſdem generis,ut albi, & nigri, & fuſci, & flaui,& eiuſmodi,ſed & eorum,quæ ſunt eiuſdem ſpeciei,ut albi & dulcis: quærendum eſt,quænam eſt pars animæ,quæ has nouit differentias. Etſi enim mens cognoſcat talem differētiam,& dicat differentiam albi ad dulce: ſed non per ſe mens dicit talem differentiam, ſed ſenſu utens præterea inſtrumento. ſine ſenſu enim non eſſet ſenſilia cognoſcere. Si ergo album & dulce ſunt ſenſilia,quomodo mens horum poſſet differentiā noſſe, niſi ſenſu,inſtrumento,uſa eſſet? Quare non citra medium, neque per ſe,mens potuiſſet dicere horum differentiā. nec ſolum,quæ ſunt intellectu prædita,ſciunt horum differentiam: ſed & canis, cùm tantum uiderit,non etiam guſtauerit,nouit guſtabilia. Scit itaq; eſſe carnem guſtabilem,& ſi non guſtauerit,ſed eam ſolum aſpexerit. & lapidem nouit non eſſe guſtabilē, etiam prius quàm guſtarit. Quare non eſt intellectus dicere differentiā dulcis ad album,ſed ſenſus. Et cuius igitur ſenſus? Vtrum unius ex quinq;, uel duorū,ut uiſus, & guſtus? Dicimus ergo,non eſſe unius ſenſus noſſe talem differentiā. Si enim unus ſenſus nouit talem differentiā,ſciet ergo non ſolum proprium ſenſile,ſed & alienū. Senſus ergo qui nouit differentiam albi ad dulce, cognoſcet non ſolum album,ſed & dulce. Atqui hoc eſt abſurdū confundere ſenſilia,& dicere uiſum noſſe qualitates guſtabiles. eſt ergo abſurdum unum ex quinq; ſenſibus noſſe differētias eorum, quæ ſunt diſſimilis generis. Et ne quis dicat non eſſe neceſſariū noſſe aliena ſenſilia. ſemel enim nouit propria,quòd eſt album : deinde ex negatione nouit,quòd non eſt album: & ſic nouit differentiam, eo quòd ſcit non eſſe album. Ne quis ergo hæc dicat. Non enim diximus quid eſt,quod cognoſcit differentiam albi ad non albū,*

ſed ad dulce. Quod enim non eſt album, poteſt ſic eſſe, & non eſſe calidũ. nos autem diximus determinatè dulce. Oportet ergo omnino noſſe dulce, & ex affirmatione, ut eius differentiam ad album cognoſcamus. Quare non eſt unus ſenſus qui talem nouit differẽtiam. Sed neq; duo ſenſus, ut uiſus, & guſtus. Vnum enim eſſe oportet, quod dicat eorũ differentiã. Si enim non eſt unum, quod formas utriuſq; ſuſcipiat, quomodo poßit eorũ diuerſitatẽ noſſe, ſiquidẽ alius quidem albũ, alius uerò dulce ſuſcipiat, ſpeciem? Nam & iudices uolunt utraſq; partes audire, ut cognoſcant eorum controuerſiã. Si ergo unum eſt, quod dicit differentiam albi ad dulce: unum erit &, quod eam iudicat. Quare nec duorum quidem eſt ſenſuũ proprium horum noſſe differẽtiam, nec alicuius alius particularis. Eſt ergo alius ſenſus præter quinque noſſe differentiã albi & dulcis. & is eſt ergo à quinq; ſenſibus ſeparatus, an non? Dicimus non eſſe ſeparatum, Diximus enim non eſſe alium à quinq; ſeparatum. eſt ergo cõmunis. Oſtenſum eſt ergo eſſe cõmunem ſenſum. & hic primũ caput finitur. Secundum caput eſt, in quo oſtendit ſenſum cõmunem non eſſe corpus. Si enim eſſet corpus, operaretur per partes. Omne enim corpus per partes operatur. Si eſſet ergo corpus, nunquam in eodem & dulce, & album ſuſciperet: ſed in hac quidem ſui parte dulce, in alia uerò album. & non eſſet omnino, quod iudicaret. Id enim perinde eſſet, inquit, ut ſi tu hoc quidem ſentires, ego uerò illud. Totus ergo, ut totus, cõmunis ſenſus ſentit dulce & album. Si autem non totus, ut totus, apprehenderet: quomodo poſſet ea iudicare, ſi non utrunq; cognoſceret? Si enim etiam conceſſero, quòd poteſt album, & dulce in eadem parte ſuſcipere: ſed non itidem utiq; & contrarias qualitates, ut albi, & nigri, calidi, & frigidi. Et alioqui ſi eſſet corpus, oporteret ipſum tangentem ſenſilia operari. Omne enim corpus tangẽs agit. Atqui cõmunis ſenſus non tangens ſenſilia agit. non eſt ergo corpus. & hoc eſt ſecundum caput. Tertium eſt caput, in quo oſtendit, quòd ſine tempore agit. Hoc autem ſic oſtendit. Vt dicit cõmunis ſenſus, ſic & cognoſcit. Si ergo in uno inſtanti dicit differentiam dulcis, & albi: & non in alio quidẽ inſtanti differentiam albi: in alio uerò differentiam dulcis: clarum eſt ergo, quòd in uno inſtanti nouit differentiam dulcis, & albi. Quando enim dicit cõmunis ſenſus in uno inſtanti, non dicit per accidẽs, ſed per ſe: ut cõſidera in exemplo, quod dico. Nunc audiui, quòd Plato, poſtquam fuiſſet in Sicilia, uerſatus eſt cum Socrate. Ecce hic quidem illud, Nunc, ad meum quidem auditum: per ſe eſt ad Platonis autem aduentũ, illud, Nunc, eſt per accidens. etſi enim ego nunc audiui, non eſt abſurdum diu abhinc illic fuiſſe. Si autem contingat prælium nunc nauale fieri, & in eo inſtanti, in quo factum eſt prælium nauale, in eo dixero, nunc audiui factũ prælium nauale: tunc illud, Nunc, & ad me eſt: nunc enim audiui, & ad prælium nauale, per ſe eſt. nunc enim & illud factũ eſt. Communis ergo ſenſus, in quo inſtanti differentiam albi ad dulce dicit, in eoipſo ſentit & differentiam inſtantis, quod eſt per ſe & ad dicendum, & ad cognoſcendũ. Quare ſine tempore agit communis ſenſus: & hoc eſt caput tertium. Quartum caput eſt, in quo dubitationẽ proponit. Quomodo, inquit, cõmunis ſenſus cõtraria iudicat, ut album & nigrũ, calidum uel frigidũ? neq; enim ſolum, quæ ſunt diuerſorũ generum, ſed &, quæ ſunt eiuſdẽ generis. Eſt ergo æquum dubitare, quomodo fiant cõtrariæ ſpecies circa cõmunem ſenſum. Si enim eſſet corpus, non eſſet quòd dubitaretur. Dici enim poſſet, quòd ſecundum aliã & aliam partẽ fiunt contraria: ſed quoniã, cùm ſit incorporeus, eſt quoq; indiuiſibilis: dubitamus, quomodo in eodẽ fiant contrariæ ſpecies. et ſi cùm ſit incorporeus, in tẽpore operaretur, rurſus dici poſſet, quòd in alio, & alio tempore fiunt contraria: ut in hoc quidem tempore calidum, in illo uerò frigidũ. Sed quoniã ſine tempore operatur, et in ipſo inſtãti: propterea meritò dubitatur. Ex duobus itaq; præcedentibus capitibus fit grauior dubitatio. Siue enim eſſet corpus, non eſſet dubium: ſecundũ aliam enim, & aliã partem poſſet ſuſcipere contraria: ſiue, cùm ſit incorporeus, in tempore operaretur, rurſus poſſet in alio, & alio tẽpore ſuſcipere cõtraria. ſed quoniã eſt incorporeus, & ſine tẽpore operatur: propterea dubitamus, quomodo ſuſcipit contraria: ſi quidẽ ſimul ſuſcipit. Hæc eſt dubitatio, quàm in cõmuni quidem ſenſu exercet, & agitat: cõuenit autẽ & in alijs particularibus ſenſibus. hi enim magis cõtraria apprehendũt, quàm cõmunis ſenſus. ſed quoniã, quæ apprehendunt quidẽ particulares ſenſus, communis quoq; apprehendit: quæ autẽ cõmunis, non omnino & particulares. propterea, ut in cõmuni, dubitationem cõmouet, & agitat: & ſic quidẽ dubitauit. Deinde eam ſic ſoluit, quòd cõmunis ſenſus & unus eſt, & multi: unus quidẽ ſubiecto, multi autẽ habitudine: idem autẽ dicere, ratione, ſeu definitione. Nam à cõmuni fonte, nempe cõmuni ſenſu, procedunt alij ſenſus. Quare ipſe unus quidẽ eſt ſubiecto: ratione autẽ multi. Quatenus ergo unus eſt, ſecundũ hoc indicat differentiã. Quatenus autẽ multi ratione, ſecundũ hoc ſuſcipit contraria. Hæc eſt quidem falſa ſolutio: eam autẽ ſubuertit Ariſtoteles dicens, quòd, quæ ſunt ſubiecto eadem, ratione autẽ diuerſa, cùm ſunt quidem potentia, poſſunt contraria ſuſcipere: cùm autẽ fuerint actu, non poſſunt ſuſcipere contraria. ut calidũ, uerbi gratia, & frigidum ſunt eadẽ quidem ſubiecto: in uno enim ſubiecto fiunt: ratione autem diuerſa: & tamẽ non poſſunt eſſe ſimul actu. Quare nec cõmunis ſenſus: quoniã ſubiecto quidem unus eſt: ratione autem multi ſiquidem præter hoc poteſt contrarias ſenſiliũ formas ſuſcipere. ſic falſa ſubuerſa ſolutione, deinceps aliam dicit uerã ſolutionem. Dicit enim, quòd cõmunis ſenſus & unus eſt ſubiecto, & multi rurſus ſubiecto. ſecundũ hoc enim differt hæc ſolutio à priore ſolutione, quòd illa quidem unum dicit cõmunem ſenſum ſubiecto, multos autẽ ratione: hæc autẽ & unũ, & multos ipſum dicit ſubiecto. Quemadmodũ, ut in exemplo orationẽ diſcutiamus, conſidera mihi centrũ, & ex eo quinq; rectas emiſſas, & poſtea à ſe inuicem diuiſas. hoc quidẽ centrũ unum eſt ad propriã naturã: atqui eſt etiã multa. Vniuſcuiuſq; enim finis eſt, qui in illo eſt, etiã poſtquam fuerint à ſe inuicem diuiſæ. Et ne dixeris, quomodo, quod eſt indiuiſibile, unicuiq; attribuitur? Talis enim eſt incorporeorũ natura. Sicut ergo animal & unũ eſt ad naturã, et multa: totũ enim ut totũ eſt in uniuſcuiuſq; indiuidui natura. Si ergo & unum eſt cõmunis ſenſus: & multa: etiamſi hæc ſint cõtraria. Et hæc quidẽ dicuntur per dictionis contextũ. Sed quoniam hæc eſt paulò magis logica traditio: age paulò magis naturalem excogitemus. hæc eſt autem. Cõmunis ſenſus & ipſe quidem eſt incorporeus: eſt autem in ſubiecto corpore: ei enim ſubiectũ eſt corpus ſpiritale: ſpecies itaq; ſenſilium, etiamſi ſint contrariæ, in ipſo ſpiritali fiunt, ſecundum aliũ, & aliam eius partẽ: Deinceps hæc facultas affectiones, quæ ſunt in ſpiritu, iudicat. & ſic obiectum diſſoluimus. nec dicimus in indiuiſibili fieri contrarias ſpecies, ſed in diuiſibili, id eſt in ſpiritali, ſecũdũ aliam, & aliam eius partẽ. Dic autẽ & aliud, quòd materialiter quidẽ cõtraria ſimul non apprehendit, ſed iudicatiuè, ſimul: quoniam ſimul iudicat cõtraria. Sed ſi animaduerteris, ne iudicatiuè quidẽ. In libro enim peri hermenias dictũ eſt, quòd contrariæ ſunt opiniones, non quæ dicunt contraria de cõtrarijs, ut, quòd album quidẽ diſgregat, nigrum uerò congregat: ſed quæ de eodem contraria dicunt, ut, quòd album & diſgregat, & cõgregat. Hæ ſunt ergo contrariæ opiniones. Si ergo communis ſenſus dicit, quòd album quidẽ diſgregat, nigrum uerò cõgregat: nihil patietur, eo quòd ipſe contraria iudicauit: & ambo uerè, & non de eodem cõtrarijs enunciauit. Quare nec iudicatiuè contraria apprehendit. Quæ eſt ergo ante hanc ſolutio rectè habet. Vide autem, quòd qui Platonem reprehendit, propterea quòd naturam mathema

ticè

*ticè tractauit, ipſe per mathematica naturalia diſſoluit. ecce enim dixit puncti ſolutionẽ. Ad quod dicimus, quòd non propterea, quòd ex mathematicis diſſoluantur naturalia, ipſum reprehendit: ſed quòd naturales magnitudines ex mathematicis conſtituit. His dictis, quoniam idem dicit imaginationem, & cõmunem ſenſum, de imaginatione tractat, & ad doctrinam de rationali anima ſe conuertit, ut oſtendat, quòd hæc eſt, quæ primum mouet, & non irrationalis. Et in his eſt contemplatio.*

Vnuſquiſq; ergo ſenſus eſt ſubiecti ſenſilis, qui eſt in ſenſorio, quatenus eſt ſenſorium, & iudicat differentias ſubiecti ſenſilis. vt, album quidem, & nigrum viſus. Dulce autẽ & amarum guſtus. Similiter autem habet hoc & in alijs.

*Vnuſquiſq;, inquit, ſenſus propria ſenſilia apprehẽdit, in ſuo ſenſorio exiſtens, quando habet ſecundum naturam ſenſorium. Senſorium autem dicit uel ſpiritum, uel teſtaceum. Senſus ergo, qui eſt in ſenſorio, ipſe nouit, quæ ſunt eiuſdẽ generis. Hinc aptè & ingenioſè ad ſenſum cõmunẽ ingreditur. Si enim unuſquiſq; ſenſus nouit propria, quæ ſunt eiuſdem generis, contraria: Sunt autem contraria diuerſi generis, quæ communis ſenſus nouit, eſt ergo communis ſenſus. & Plato etiam ante Ariſtotelem appellat communem ſenſum, ubi dicit: Si enim non eſt, ſumus ſimiles ijs, qui ſunt in durio equo, in quibus non eſt communis ſenſus, qui eſt in durio equo.*

45 Quoniam autem & albũ, & dulce, & vnũquodq; ſenſile, ad vnumquodq; iudicamus, & ſentimus, quòd differt: neceſſe eſt vtiq; ſenſu: ſunt enim ſenſilia.

*Neceſſe eſt, inquit, quæ ſunt diuerſi generis, ſenſu aliquo cognoſcere: quandoquidem ſenſilia apprehendit. Senſilia autem ad ſenſuum relationem dicuntur: utpote quia ratio non apprehẽdit ſenſilia. Quare ex hoc nihil oſtendit. ſed nos hoc pulchrè ex irrationalibus oſtendimus non eſſe rationalis. nam & canis iudicat differentiam dulcis & albi: ſiquidẽ non quoduis album aggreditur. neq; enim lapidem: ſed id tantum, quod eſt ſucculentũ.*

140 Quò fit vt apertum quoq; ſit, carnem non eſſe vltimum ſenſorium. Neceſſe enim eſſet ipſum tangens, iudicare, quod iudicat. neque verò ſeparatim cõtingit iudicare id, quod iudicat, quòd dulce eſt aliud ab albo: ſed oportet vno aliquo eſſe vtraque manifeſta. Sic enim habet, vt ſi hoc quidem ego, tu vero illud ſenſeris, apertum fuerit, quòd ſunt à ſe inuicem alia.

*Hic eſt ſecundum caput, & nota, quòd corpus carnem uocauit, & ſenſum ſenſorium. Cùm oporteret autem eum dicere, ultimum ſenſum non eſſe corpus, dixit ipſe, ultimum ſenſorium non eſſe carnem. Vltimum autem ſenſum audire oportet cõmunem ſenſum, eo quòd ſenſus in eum terminantur, & qui ſunt in ipſis typi, poſtquam omnia tranſierint, ad ipſum ueniunt. Si autem eſſet corpus, inquit, communis ſenſus: neceſſe eſſet, inquit, ipſum tangentem, ſenſilia ea iudicare. non ſeparatim in alia, & alia parte ſentire corporis, cuius eſt. Erit enim ut ſi hoc quidem ego, tu uerò illud ſenſeris. Si enim non una eſt facultas, quæ iudicat album & dulce, perinde eſt, ut ſi duo diuerſa ſentientes, diuerſa ea dicerent, quorum uterq; non nouit aliquid, quod alter ſenſit.*

Oportet autem vnum dicere, quòd alterũ: alterum enim dulce ab albo. Dicit ergo idem. Quare vt dicit, ſic intelligit, & ſentit. Quòd itaque ſeparatis ſeparata iudicari nequeant, apertum.

*Vnum, inquit, ſenſum dicere oportet, quòd aliud eſt dulce ab albo, & album à dulci. Idem enim dicit, & non oportet corpus eſſe ſeparatum, quod dicit. Quare ut dicit, ſic & intelligit, & ſentit. Intelligit dicit, pro eo quod eſt, imaginatur.*

Quòd autem nihil ſeparato eſt tempore, hinc. Sicut enim idẽ dicit, alterũ eſſe id, quod bonum, & quod malum: ſic & quando alterũ dicit alterum, & alterum: non ſecundum accidens illud, quando. Dico autem, vt nunc dico alterum: non autem, nunc alterum: Sed ſic dicit & nunc, & quòd nunc. ergo ſimul

*Hoc tertium caput contemplationis dicitur, ſcilicet, quod ſine tempore communis ſenſus operatur. Sicut enim, inquit, unus eſt incorporeus ſenſus, qui dicit, bonum differre à malo. ergo quando malum dicit differre à bono, in eodẽ tempore, quod primum, dicit. nunc enim dicit utrunq;, & nunc, prout propriè eſt, nunc, & non ſecundum accidens, ut quando, quod olim factum eſt, nunc dicit fieri: ut quoniam nunc audiui, nunc troiana facta ſunt. Dicitur etiam propriè, nunc, quando, quod nunc fit, nunc uidero. Sicut, inquit, & communis ſenſus nunc dicit diſcrimen, prout propriè, nunc, eſt. quando enim ſentit, diſcernit. nam circa id, quod abeſt, operari eſt imaginationis.*

Quare inſeparabile, & in inſeparabili tempore.

*Hæc eſt duorum capitum communis concluſio. Dicit enim, quòd ſi ſimul in eodem inſtanti diſcernit & dulce ab albo, & alterum, id eſt, album, à dulci: ſcilicet & à corpore eſt inſeparabilis, & in inſeparabili tempore operatur, id eſt ſine tempore.*

Atqui fieri non poteſt, vt contrarijs motibus idem ſimul moueatur, quatenus eſt indiuiſibile, & in indiuiſibili tempore. Si enim dulce ſic mouet ſenſum vel intelligentiam: amarum autem contrario modo: & album altero. 147

*Hic eſt quartum caput contemplationis, in quo à dubitatione incipit, & dicit: ſi eſt incorporeus communis ſenſus, & ſine tempore operatur: quomodo ſimul poteſt contraria apprehendere? Si eſſet enim corpus, poſſet ſecundum aliud, & aliud, & album, & nigrum apprehendere. Intelligentiam autẽ uel imaginationem, uel intellectus operationem dicit.*

Nunquid ergo ſimul quidẽ & numero indiuiſibile, & tempore inſeparabile, quod iudicat: eo autem, quòd eſt, ſeparatum? Eſt quidẽ vtiq;, vt diuiſibile diuiſa ſentiat: & eſt, vt quatenus indiuiſibile. In eo enim, quòd eſt quidẽ, diuiſibile: loco verò, & tempore, & numero indiuiſibile.

*Hic eſt falſæ dubitationis ſolutio. numero autem unum, & tempore inſeparabilẽ dicit, id eſt, unum quidẽ ſubiecto, ratione autem ſeu definitione multos. Pro eo autem, quod eſt, definitione, dixit, in eo, quòd eſt, multos. Quatenus ergo eſt multa, cõtraria ſuſcipit, quatenus autem eſt unum, ea iudicat. Ratione enim eſt diuiſibile, id eſt, multa: quod enim diuiditur, fit multa. quod ſubiecto autem eſt indiuiſibile, & unum eſt. Quod ſubiectum declarare uolens dixit, Numero autem, & loco indiuiſibile.*

An fieri non poteſt? potentia enim idem diuiſibile & indiuiſibile, & contraria: eo autem, 148

quòd ſit, non: ſed quòd agat, diuiſibile. nec fieri poteſt, vt ſit ſimul album, & nigrũ. Quare nec eorum formæ patiantur, ſi tale eſt ſenſus, & intelligentia.

*Hic eſt ſubuerſio falſæ ſolutionis dubitationis. Potẽtia enim, inquit, idem poteſt ſuſcipere contraria indiuiſibilia. Eo autem, quòd ſit, Non, pro eo quod eſt, actu autem non poteſt ſuſcipere contraria. inter agendũ enim diuiditur. Agente enim, uerbi gratia, albo & nigro diuiditur ſubiectũ, & diuellitur, & non manet indiuiſibile.*

Sed ſicut, quem punctum quidam vocant, quatenus vnus, & quatenus duo, ea eſt etiam ratione diuiſibilis. Quatenus ergo indiuiſibile, vnum eſt, quod iudicat, & ſimul. Quatenus autem eſt diuiſibile, non vnum. bis enim eodẽ ſimul ſigno vtitur. Quatenus ergo duobus vtitur, ſine duo iudicat, & ſunt ſeparata, vt ſeparatorum. Quatenus autẽ vnum, vno & ſimul.

*Hic eſt ſecunda ſolutio, quòd ſicut punctus & unus eſt, ut punctus: & duo, & multi, quatenus in rectas terminatur: & ut multa, ſeparatus eſt: ſic & ſenſus, quatenus eſt ut punctus id quod ſentit, & ſimul, quatenus cum ſenſilibus congreditur, ut punctus cum rectis, & duo, & multa iudicat: quatenus autẽ eſt unum, ſimul, & ſine tempore apprehendit.*

De principio ergo, quatenus eſſe dicimus animal ſenſitiuum, hoc ſit modo definitum.

*Non quòd multa habeat principia animal, propterea dixit Ariſtoteles, de illo dico principio, de quo dicimus animal ſentire: ſed quòd unũ eſt et multa, ut ait Plutarchus. & in bis praxis, & prima ſectio dei gratia impletur: praxis, dei gratia, quinta,*

Quoniam autem duabus differentijs animã maximè definiunt, & motu ſecundũ locũ, & eo, quod eſt intelligere, iudicare, & ſentire.

*Quoniam repentina & ſubita mutatio, & in oratione, & in re agenda mala eſt, propterea non ſtatim ab irrationali ad rationalem procedit: ſed prius quandam dicit differentiam cognitiuarum, irrationalis, & rationalis. Deinde & imaginationem diſcernit à cognitione rationis: & in medio diſcernit imaginationem à particularibus ſenſibus, ipſam irrationalem à ſeipſa diſcernens: quod quidẽ eius non erat inſtitutũ: & dicit, quòd imaginatio nec ſenſus eſt, nec opinio, nec ex utriſq; conſtat. Prius quàm autem ea diſcernat, uolens augere diſcrimen, ea in quibus inter ſe cõueniant, dicit. Hoc enim, inquit, cõmune habent cognitiones irrationalis, & rationalis, quòd ambarũ ſunt iudicia. & in hoc quidem conueniunt. Porrò & in eo etiam, quòd antiqui conſiderint cognitiuas facultates rationalis, & irrationalis. Senſuum enim operationes intelligentiam appellarunt, & nomen irrationalis operationis nomine rationalis operationis uocarũt, ſenſum, & imaginationem appellantes intelligentiam. Hoc autem fecit Empedocles cùm dicit:*

*Nanq; homini certè ad præſens prudentia creſcit.*

*Ex hac enim ſententia ratiocinatione colligimus, eum prudentiam & intelligentiam dicere ex ſenſilibus. Talis eſt autem ſyllogiſmus. Senſus ſenſilia apprehendit. Quod ſenſilia apprehendit, præſentia apprehendit. Senſus ergo ſenſilia apprehendit. ſic una figura collectum eſt, ſenſum eſſe, qui præſentia apprehendit, quem ipſe græcè μῆτιν, id eſt prudentiam ſeu conſilium appellauit. Confudit itaque nomina, ſenſum intellectum appellans. Aliqui uerò dicunt, eum intellectum non appellaſſe μῆτιν, quod eſt, prudentiam ſeu conſilium, ſed διάνοιαν, id eſt, cogitationem, quæ eſt media inter intellectum, & ſenſum. Ad præſens enim, inquit, cogitatio operatur. Illud enim ἀέξετ) græcè, id eſt augetur uel creſcit, pro operatur accepit. Et rectè dicit, augetur. Actus enim, & operatio auget potentiam: ſicut & contra quies lædit. Motus enim firmum & ualidum reddit. Si ergo circa præſentia dicit cogitationem operari: præſens autem ſenſus nouit: idem eſt ergo ſenſus, & cogitatio. Malè autem hoc accipit. neq; enim circa præſens ſenſus ſolum operatur, ſed & cogitatio. Imo & ipſa magis, ſiquidem ſenſus quidem habet extra ſenſile: cogitatio autem intus proprium negocium: & quando uult ipſum aggreditur. Sic etiamſi dixerit cogitationem circa præſens agere, ipſam ſenſum non fecit. Idem eſt autem dicere, etſi ſenſum dicat intellectum. Et hæc eſt prima ſententia ab Empedocle ſumpta, quam nunc ad rem non facere oſtendimus. Affert & aliam Empedoclis ſententiam, quæ re uera ad rem pertinet. Empedocles enim ſomniorum differentias dicens, ait ex diurnis actibus fieri nocturnas imaginationes. Hanc autem imaginationem, φρόνησιν, id eſt, prudentiam, appellat, cùm dicit:*

*Vnde ijs perpetuò quoq; adeſt aliena uidere.*

*Videre autẽ græcè eſt φρονεῖν, quod ſapere, prouidere, & animo concipere ſignificat. Sic ergo aperte, inquit, irrationalis cognitionem, imaginationem dico, prudentiam appellat. & non ſolum Empedocles, ſed & Homerus ipſe inquit.*

*Terrenorum hominum intellectus talis habetur,*
*Ad qualem ipſe diem deducit Iuppiter almus.*

*Intellectum enim nunc dicit ſenſum: Diem autem ſenſile. Talis eſt ergo ſenſus, quale eſt ſenſile. Ecce ergo, inquit, & Homerus ſenſum mentem appellat. & hinc nominum turba, & confuſio facta eſt. Nos autem pro Homero dicimus. O' Ariſtoteles malè intellexiſti diſtichon. Intellectum enim mentem dicit: Diem autem non ſenſile, ſed fortunam, ſeu fatum. Hæc eſt ergo horum uerſuum ſententia. Talis eſt mens hominum, qualis & eorum fortuna. Et eſt hoc diſtichon ſimile illi tragico quod dicit:*

*Fortuna nobis prout eſt, eſt & ingenium.*

*Nam quiſpiam cùm pauper eſt, moribus eſt modeſtus: Sed poſtquam diues euaſerit, fit flagitioſus, & nequam. Hoc autem non in quolibet homine conuenit, ut prout fortuna eſt, ſit mens, & ingenium: ſed in ſolis ſocordibus, & intemperantibus, & qui uitam materialem habent. Vnde Poëta non ſolum dixit, Hominum, & tacuit, ſed addidit, Terrenorum, craſſam, & materialem uitam ex hoc nobis demonſtrans. Qui autem non materialiter uiuunt: non ita conuertuntur. Quare Homeri ſententia non confudit nomina. Nonnulli autem & Empedoclem defendentes pro eo reſponderũt, quòd non ſolum ex reliquijs ſenſuum fiunt ſomnia, ſed ex alijs. Tres enim horum ſunt cauſæ: &, quod dictum eſt, quando imaginatio ex ſenſibus facit ſomnia: Atqui & rationalis anima eſt ſomniorum cauſa, quando quærens inuenerit: & diuina illuminatio, quãdo futura prædicimus. Si ergo dicit:*

*Vnde ijs perpetuò quoq; adeſt aliena uidere:*

*Tanquam ad ſomnia reſpexit, quæ ſunt ex rationali anima. Fit autem mens aliena in ſomnis: eo quòd noctu quidem apertiores, & uiuidiores ſunt naturales facultates: rationalis autem hebes & obtuſa redditur: ipſa autem magis interdiu operatur. Reprehendit rurſus Ariſtoteles Empedoclem, non ſolum quòd nomina confuderit, ſed etiã, quòd cùm dixerit, ſimile ſimili cognoſci, de cognitione quidem dixit, de deceptione uerò non dixit. Atqui de deceptione, magis quàm de ſcientia dicere oportebat: eo quòd plus decipimur, quàm cognoſcimus. Huius autem cauſa eſt generatio, &, quæ eſt in materia, animæ hebetudo. Sicut enim eorum, qui in loco peſtilẽti habitant, plures ægrotant, quàm ſani ſunt: ſic & in animalibus, quæ ſunt in generatione, plus ualet autoritate ignorantia, quàm cognitio. Quoniam ergo magis decipimur: oportebat eum amplius de deceptione diſſerere.*

*rere. Neq; enim Empedocles exiſtimat non eſſe deceptionem. ea enim opinio, quæ dicit non eſſe deceptionem, eſt à Platone confutata. Si ergo non opinatur eſſe deceptionem: confutetur rationibus, quæ ſunt in Protagora: Si autem opinatur, cur eius cauſam non dixit? niſi forte colligemus, quòd ſi cognitio eſt eius, quod eſt ſimile, cognitio: deceptio ergo eſt eius, quod eſt diſsimile, attactus: & per oppoſitum uoluit oppoſitum ſubaudiri. Et hoc quidem ipſi colligitur. nos autem non concedimus ſcientiam eſſe ſimilis cognitionem, per ſyllogiſmum hoc euertentes. Si contraria una ſcientia nouit: Contraria autem ſunt diſsimilia: Non ergo ſimile ſimili cognoſcitur. Ecce enim, ſcientia una eſt: & duo contraria nouit. Si ergo uni contrariorum eſt ſimilis ſcientia, alij ergo non eſt ſimilis, etſi ipſum cognoſcat. Quare non ſimile ſimili cognoſcitur ò Empedocles. Si ergo cognitio non eſt eius, quod eſt ſimile, attactus, nec deceptio eius, quod eſt diſsimile, attactus eſt. Et hæc quidem aduerſus Empedoclem. Deinceps autem differentiam cognitiuarum facultatum irrationalis, quod eſt ſenſus, & imaginationis, ad cognitiuas animæ rationalis tradit. & primum quidem dicit differentiam ſenſus ad intellectum: quoniam multa habent inter ſe communia. Hæ enim ſolæ ex irrationalis, & rationalis animæ facultatibus ſe rebus indiuiſibiliter applicant. Nam & ſenſus ſine tempore apprehendit propria ſenſilia, ut paulò ſuperius oſtenſum eſt: & intellectus ſimiliter ſine tempore operatur. Quoniam ergo multa habent inter ſe communia: eorum itaque primum differentiam dicit. Differt ergo intellectus à ſenſu, quòd ſenſus quidem eſt in omnibus animalibus: Intellectus autem non in omnibus, ſed in ſolo eſt homine. Sic ergo differt intellectus à ſenſu. Deinde dicit differentiam ſenſus, & cogitationis, quæ græcè διάνοια, quaſi permens, dicitur. Dicit enim ſenſum quidem non citò decipi: cogitatio autem celeriter decipitur. Cito autem decipitur cogitatio propter duas cauſas: uel quòd ſenſus quidem circa res apertas, & manifeſtas uerſatur: cogitatio autem circa occultas: Vel quòd ſenſus quidem ſine tempore, &, ut ſemel dicam, prima applicatione, & primo impetu ſe rebus applicat: Cogitatio autem per intermedias propoſitiones, & concluſiones, ex quibus ſolet deceptio fieri. Sola eſt enim cogitatio, quæ ratiocinatur: unde & decipitur. Et hæ ſunt duæ rationes, per quas cogitatio decipitur. Vel ſenſus ergo à cogitatione differt hac ratione: Vel, quòd ſenſus quidem ineſt omnibus animalibus: cogitatio autem ijs, quæ habent rationem. Deindè poſt hoc dicit differentiam imaginationis à ſenſu, & cogitatione: & dicit, quòd ab ijs differt imaginatio, quatenus eſt media inter ſenſum & cogitationem. incipit enim à ſenſu. Principium enim dat ſenſus imaginationi: illa autem dat rurſus cogitationi principium. Sine imaginatione enim non poteſt cogitatio operari. Et in hoc quidem differt imaginatio à ſenſu & cogitatione. Deinde poſt hæc dicit opinionis, & imaginationis differentiam, quòd imaginari quidem, quod uolumus, poſſumus: nam & trium cubitorũ, & uiginti cubitorũ hominẽ imaginamur: & poſſumus etiã fingere hircoceruum, & hippocentaurum: opinari autem, quæ uolumus, non poſſumus. Quòd enim bis duo decem, dicere quidem poſſumus: opinari non poſſumus. & de igne quidẽ dicere, quòd non calefacit, poſſumus: hoc autem opinari non poſſumus. Quare in nobis quidem eſt imaginatio: opinio autem non eſt in nobis. Si autem uerum dicere oportet, nec omnis quidem imaginatio eſt in nobis. Quæ enim fit inter dormiendum, non eſt in nobis. non enim, quæ uolumus, in ſomnis imaginamur. & quid dico eam, quæ fit inter dormiendum? Sed nec omnis quidem, quæ fit inter uigilandum. Quando enim, quæ ſunt, ut quæ ſint, imaginor, non poſſum, niſi ut ſe habent, imaginari. ut ſi Socratem imaginari proponamus, non poſſum eum imaginari urbanum, & album, & comatum: ſed caluum, & nigrum, & uetre prominente. Quare hæc eſt exacta omnino differentia, quòd opinio quidem eſt in nobis: imaginatio autem eſt in nobis quodammodo. Hæc eſt quidem prima differentia. Dico autem & talem ſecundam huiuſmodi differentiam. Bellum enim imaginantes nunquam timemus: ſed ſic ſumus, ut ſi ipſum in pictura contemplemur: bellum autem opinantes ſtatim quoque timemus. Et hæc eſt ſecunda differentia: ad quam ſic eſt dubitationem mouere. Quid ais? terribilia imaginantes non pertimeſcimus? Atqui etiam equus, qui non habet opinionem, ſi erectum flagellum uiderit, oſtendet ſe formidabilium imaginatione terreri. Hæc eſt quidem dubitatio, ad quã dicemus, eſſe aſſenſionem, quæ per ſe quidem ineſt opinioni, & eſt opinionis ſubſtantia: ſed eam quoque imaginationi accidere. Quando ergo terribilis opinatus aſſenſero, formido. & rurſus quando terribilia imaginatus aſſenſero, pertimeſco. Ergo & equus ab imaginatione terretur, propter aſſenſionem. niſi enim facta fuerit aſſenſio, non formidat. Quoniam ergo hæc dicta ſunt, in ijs, deo eſt gratia, contemplatio impletur. Quoniam autem duabus differentijs animam maximè definiunt, & motu ſecundum locum, & eo, quod eſt, intelligere, iudicare, & ſentire. Alexander exiſtimat fruſtra eſſe, illud, Quoniam. Neque enim habet redditionem. Plutarchus uerò ait inferius eſſe redditionẽ, quando dicit, Quòd ergo non eſt idem ſentire, & ſapere, ſeu intelligere. Et hæc eſt totius huius contextus ſententia. Quoniam duabus differentijs animam definiũt antiqui, & motu ſecundum locum, & eo, quod eſt intelligere, ſapere, & iudicare: & intelligere, & ſentire unum & idem exiſtimant. Quòd autem non eſt idem ſapere, ſeu intelligere, & ſentire, ex hoc eſt apertum. Hoc autem fecit Ariſtoteles, ut errorem nominum refelleret Homeri & Empedoclis. Sciendũ autẽ, quòd illud, Iudicare, ut cõmunius accepit, ut quod de rationali, & irrationali dicatur. Intelligere autẽ de ſola dixit rationali. Sentire uerò de ſola irrationali.*

Videtur autem intelligere & ſapere, ſicut ſentire, aliquid eſſe. In vtriſq; enim his anima & iudicat, & diſcernit ea, quæ ſunt. Et antiqui quidem ſapere ſeu intelligere, & ſentire idem eſſe dicunt. ſicut & Empedocles dixit.

Nanque homini certè ad præſens ſapientia creſcit. Et alibi.

Vnde ijs perpetuò quoque adeſt aliena videre.

Græcè φρονεῖν, id eſt ſapere, ſeu mente agitare. Idem quod hæc, vult & illud Homeri.

Terrenorum hominum intellectus talis habetur,

Ad qualẽ ipſe diẽ deducit Iuppiter almus.

Omnes enim hi intelligere corporeum, ſicut & ſentire, exiſtimabãt: & ſentire, & mẽte concipere ſimile ſimili: ſicut & in ijs, quæ à principio diximus, definijmus. Atqui oportebat & eos ſimul dicere de eo, quod eſt deceptũ eſſe. eſt enim animalibus magis proprium, & plus temporis in his anima perſeuerat. Quare neceſſe eſt, vel, ſicut nonnulli dicunt, omnia, quæ apparent, eſſe vera: vel diſsimilis contactum eſſe deceptionem. hoc eſt enim contrarium ei, quod eſt, ſimili ſimile cognoſcere. Videtur autem & deceptio, & ſcientia contrariorum eſſe eadem. 151

*Per hæc, quæ in præſentia dixit, cauſam erroris antiquorum*

perſeq

*perſequitur Ariſtoteles, uidelicet, qua ratione factũ eſt, ut aberrauerint. Ait enim, quòd, quoniam cõmune eſt ſenſui cum reliqua omni cognitione iudiciũ, propterea omnia idem exiſtimabãt. & hoc fuit eis erroris cauſa, ut in principio definimus. Dictum eſt enim, quòd ſimili fit cognitio, ubi diximus: Nam terram terra conſpeximus, & cætera Empedoclis uerba. Hic autẽ aliud Empedoclis reprehendit. Ait enim eum idem facere tactũ, quòd cogitationem. Similis enim contactu dicit fieri intelligentiam. Contactu autem ſolus tactus apprehendit. Itaq; tactum intelligentiam appellauit. Ariſtoteli autem dici poteſt, cõtactum eſſe æquiuocum etiam in ipſis ſenſibus. Alius enim eſt contactus tactus, & alius uiſus. Eſto ergo eſſe etiam aliũ intelligentiæ contactum, & non colligi idem eſſe intelligentiã quod tactũ: uel diſsimilis attactum eſſe deceptionẽ: Sicut, inquit, ſimilis contactus eſt cognitio: ſic diſsimilis contactus eſt deceptio. ut contactum accipias non omnino pro eo, quod eſt, tangere: eſt enim æquiuocus, ut diximus. Si ergo ita eſt, inquit, & ſcis quid eſt cognitio: habes etiam, quid eſt deceptio: Vna eſt enim cõtrariorũ cognitio. Non uulgaris autẽ quædam dubitatio nos excipit. Si enim contactu eſt eius, quod eſt ſimile, cognitio: una eſt autem cõtrariorum cognitio: erit ergo ſimul ſenſus oppoſitis aſsimilatus, quod eſt abſurdum. nam aſsimilatus operatur. ſimul autem contraria apprehendit. ſed non eſt abſurdum, aſsimilari contrarijs ſecundũ iudicium. Si enim aër, cum ſit inanimatus, ſimul cõtraria diſcernit: quomodo non eſt abſurdum animatũ ſenſum non ſimul contraria diſcernere?*

152 Quòd itaq; non eſt idem ſentire, & ſapere, ſeu prudentem eſſe, patet. Illud enim adeſt omnibus, hoc vero paucis animalibus.

*Ecce redditionem eius, quod eſt ſuperius. Quoniam autem duabus differentijs definitur anima, & motu, & in intelligẽdo. Quòd itaq; non eſt idem cognitio animæ, & ſenſus, hinc apertum. Illud autem, Itaq;, propter multa, quæ interiecta ſunt, poſitum eſt. Solebant enim antiqui in longis redditionibus addere illud, itaq;. Vide autem, quòd contemplatiuã mentem hoc in loco abuſiuè, φρονεῖν, id eſt ſapere ſeu prudentem eſſe, dixit. hoc eſt enim eius, qui eſt potentia, intellectus. Quoniam ergo quibuſdã dictionibus utitur, alicubi quidem propriè, alibi uerò abuſiuè: age per diuiſionem dictionis aſperitatem explanemus. Cognitio ergo uel circa ea, quæ extra ſunt, uerſatur, & facit ſenſum: uel circa ea, quæ intus ſunt, & facit communiorem intelligentiam. Rectè autem dixit communiorem: nam & imaginatio circa ea, quæ ſunt intus, operatur, quæ mens etiam paſsiua appellatur. Sed operatio, quæ fit circa ea, quæ intus ſunt, uel circa uniuerſale quid uerſatur, uel circa particulare. Et ſi quidem circa particulare, facit imaginationem. Si autem circa uniuerſale, facit eum, qui eſt propriè, intellectum. Sed ea, quæ eſt circa uniuerſalia, cognitio, uel melior eſt, quam ut fiat per ratiocinationem: & facit intellectum contemplatiuum, qui eſt ſecundum habitum, & operationem: Vel ſecundum ratiocinationẽ operatur, & facit eam, quæ Græcè propriè διάνοια, Latinè cogitatio dicitur, & communiorem exiſtimationem. exiſtimatio enim & de cogitatione, & de opinione dicitur. Si autem deterius operabitur, quàm ſecundum ratiocinationem: facit opinionem propriè, & exiſtimationem. Dianœa autem, ſeu cogitatio uel circa contemplabilia uerſatur, & facit ſcientiam: uel circa agenda. & ſi conſilio quidem agenda indigeant, facit φρόνησιν, id eſt ſapientiam, uel potius prudentiam. Si uerò conſilio agenda non indigẽt, facit artes. Artifex enim, quatenus quidem artifex, non conſultat, ſed quatenus homo. Ex diuiſione ergo apertum eſt, quòd hic abuſiuè contemplatiuum intellectum, φρονεῖν, id eſt ſapere uel potius prudentem eſſe, appellauit. In hoc autem loco diſcernit intellectum, qui eſt actu, à ſenſu: quòd ſenſus quidem ineſt omni animali. eſt enim ſubſtantia animata ſenſilis, omne animal. intellectus uerò non omni animali ineſt. Sed, & quibus ineſt, non ſemper ſecundum actum ineſt: etiamſi inſit ſecundum habitum. Cuilibet enim ualde expetendum fuerit, ſi uel in ſenectute illi ſapientia acceſſerit.*

Sed neq; intelligere, in quo eſt, quod rectè, & quod non rectè. Quod enim rectè, prudentia: & ſcientia: & vera opinio. Quòd autẽ non rectè, horum contraria: nec hoc quidem idem eſt quod ſentire. Senſus enim propriorũ ſemper verus, & omnibus ineſt animalibus: Cogitare autem cõtingit etiam falſò: & nulli ineſt, cui non eſt ratio.

*Ne intellectus quidem potentia, inquit, idem eſt quod ſenſus. Volens autem dicere quis eſt potentia intellectus, in quo eſt, inquit, quòd rectè, & quod non rectè. Hic autem dicit differentiã cogitationis, & ſenſus. Intellectum enim potentia cogitationem appellat. In ea enim conſideratur, quod eſt rectum, & non rectum. Qui enim actu eſt intellectus, ſemper rectè intelligit. Vel enim attigit, uel non attigit. Quare aberrare non poteſt. Qui autem eſt potentia intellectus, id eſt cogitatio, aliquando quidẽ rectè: aliquando uerò non rectè. aliquando enim uerũ dicit: aliquando uerò falſum. Diſcernit autem intellectum, qui eſt potentia, ſeu cogitationem à ſenſu, quòd ſenſus quidem omnino uerus ſit proprijs eius ſeruatis circunſtantijs: ut ſi ſit commoderatum interuallum: & à uitio & perturbatione ſit remota affectio. Cogitatio autem, ut in uniuerſum quidem, fallitur, quoniam eſt in regione deceptionis. Nec exiſtima ex eo, quòd ſenſus ſit cogitatione ueracior, eum quoq; iam eſſe præſtantiorem. Per ſenſus enim cogitatio eis connexa fallitur. certè quando à pannis ſeiuncta & ſeparata fuerit, ſyllogiſmum facit demonſtratiuum, & fit, iuxta Poëtam, Prudens, & multi conſilij, qui ſic dicit.*

*Sed poſtquam eſt pannis prudens exutus Vlyſſei.*

*Hoc autem eſſe anceps & dubium ne exiſtimaueris, quòd ſi ſenſus quidẽ per ſe eſt, eſt uerax: cogitationi autẽ cõiunctus, ut ipſa fallatur, cauſa eſt: hoc enim fit, quoniam quando per ſe quidem operatur, circa particularia uerſatur, & eſt uerax. Quando autem fuerit cogitationi cõnexus, quæ circa uniuerſalia operatur, facit, ut ea ex uniuerſalibus reddat indiuidua. Vnde fit deceptio. Semper enim meliora deteriorum præſentia adulterantur. Deteriora autem non adulterantur à melioribus. Quod rectè quidem, prudentia, & ſciẽtia, & uera opinio. Quod autem non rectè, his contraria. Quoniam dixit, quòd, qui eſt potentia intellectus, & rectè ſapit, & non rectè: dicit recti eſſe propria, prudentiam, ſcientiam, ueram opinionem: non recti autem imprudentiam ſeu ſtultitiam: inſcitiam: falſam opinionem. Et per prudentiam quidem, quod intellectus rectum eſt, abuſiuè declarauit, ut dictum eſt: per ſcientiam autem quod cogitationis rectum eſt. alterum autem, ſcilicet, de opinione dictum eſt. Neque hoc quidem idem eſt, quod ſentire. Quoniam cogitationem diuiſit in id, quod eſt rectè cogitare, & non rectè, dicit deinceps ſenſus differentiam ad utrunq;.*

Imaginatio enim aliud & à ſenſu, & cogitatione: & ipſa non fit ſine ſenſu: & ſine ea non eſt exiſtimatio.

*Quid ſibi uult coniunctio, enim? Eſt ut ad dubitationem, ut ſi quis dubitet, ſi ſenſus differt ab intellectu, idem eſt ergo, quod imaginatio: & ideo ſoluẽs dicit, quòd imaginatio eſt alia, quàm ſenſus & cogitatio. Hic autem dicit differentiam imaginationis à ſenſu, & cogitatione, quæ & ipſa non fit ſine ſenſu:*

*& ſine*

*& ſine ea, inquit, cognitione non eſt exiſtimatio. Dictum eſt enim, quòd exiſtimatio de ſcientia, & prudentia, & opinione dicitur. Quidam autem interpretes dicunt neutrum eſſe uerum. eſt enim & ſine ſenſu imaginatio hircocerui. Sed dixi, quòd ſi circa ſenſilia eſt imaginatio, non eſt ſine ſenſu. Atqui eſt & opinio, quam dixit ſine imaginatione exiſtimare poſſe, ut eſt de diuinis opinio. Adde ergo, quòd opinio, quæ eſt circa ea, quæ ſunt ex ſenſilibus, uel particularibus, imaginatione opus habet. Et uide, quòd hinc habet imaginationẽ non eſſe idem, quod eſt opinio, & ſenſus: ſed eſt media, à ſenſu ſuſcipiens, & tradens opinioni: medium autem differt ab extremis: non quòd idem ſit imaginatio, & opinio, & ſenſus.*

Quòd aũt nõ eſt eadẽ imaginatio, & exiſtimatio, apertũ. hæc enim affectio eſt in nobis, quãdo volumus. eſt em̃ ante oculos id facere.

*Opinionem exiſtimationem appellat: intelligentiam autem imaginationem. Dicit ergo differentiam opinionis, & imaginationis, quòd imaginari quidem eſt in noſtra poteſtate: opinari autem non eſt. Vnde falſa quidem imaginari poſſumus: opinari non poſſumus. Bis enim duo quinq; imaginari quidem licet: opinari autem non licet, niſi per diſsimulationem, ubi licet dicere.*

*Lingua iurauit, mens iniuratæ tamen.*

*Quæ enim citra diſsimulationem quis opinatur, ut uera tenet: & nonniſi ratione ſubuertitur. Quo quidẽ in loco aptè dicitur.*

*Me ratio perſuaſit pharmacum optimum.*

*Dubitant autem nonnulli dicentes, Quid igitur, an non ſæpe in uiſa, & phantaſmata, uel nolentes incidimus? nõ dicit, quòd imaginari eſt in noſtra poteſtate: ſed, quòd in noſtra eſt poteſtate imaginari, quando uolumus: & alioqui eſt in nobis imaginari, quando uolumus: non eſt autem in nobis, & quando non uolumus. Si ergo non eſt in nobis, quando non uolumus. imaginamur ergo & quando uolumus.*

Sicut ij, qui inter bona memoria præditos collocantur, & qui memoriæ gratia faciunt imagines.

*Bona memoria præditos dicit, qui ex ſenſilibus typos accipiunt, qui etiam ſunt ueraces. Imaginum autem factores, qui aliquid effingunt, qui etiã mentiuntur. Imaginatio ergo habet proportionem & conuenientiam cum imaginum factoribus: opinio uerò cum bona memoria præditis. Ante oculos autem dicit, pro eo quod eſt, in promptu, uel ad manum.*

Opinari autẽ non in nobis. neceſſe eſt enim eſſe falſum vel verum.

*In opinione, inquit, uel falſum oſtenditur, uel uerum. Imaginatio autem etiam falſum habet, ut uerum.*

154 Præterea autem quando opinati quidẽ fuerimus graue quidpiam, vel terribile, vna protinus afficimur. Similiter & ſi quid ſit, qđ audaciam, & confidentiam excitet. Secundũ imaginationem autem ſimiliter non habemus, vt qui contẽplantur in pictura horrenda, & quæ audaciam excitant.

*Hic eſt differentia opinionis & imaginationis. quòd in opinione quidem protinus timemus, ſi quid terribile opinati fuerimus. In imaginatione autem, inquit, ſimiliter habemus. id eſt nec timemus, nec perturbamur: ſed ſicut nuper, ſic & tunc nos habemus, nihil immutati.*

Sunt autẽ & ipſius exiſtimationis differentiæ, ſcientia, & opinio, & prudentia, & horum contraria. de quorũ differentia alia erit oratio.

*Exiſtimationem nunc communius rationalem animam dixit. Habet autem ea, inquit, differentias, quas poſtea dicemus: non quòd eas in alio uelit tractatu dicere: ſed, quòd talem differẽtiã inferius eſt dicturus. Nunc autẽ, inquit, oportet diſcernere imaginationem ab opinione, & ſenſu. & iam quidem ab opinione diſcreta eſt. oportet autem eam à ſenſu quoq; diſcernere. Hoc autem tractat ea, quæ deinceps ſequitur, contemplatio, ſi Deo placuerit. & in his eſt praxis: praxis, inquam, ſexta.*

De eo autem, quod eſt intelligere, quoniã aliud eſt quàm ſentire: eius autẽ hoc quidem imaginatio eſſe videtur: illud verò exiſtimatio: poſtquam de imaginatione definimus, iam de altero dicendum eſt. Cap. 2. 155

*Quoniam per ea, quæ præceſſerũt, diſcreuit Ariſtoteles imaginationem ab opinione: uult nunc ipſam imaginationem etiam à ſenſu diſcernere. Vnde & dubitare eſt operæpretium. Si enim tertij libri ſcopus erat, de rationali anima diſſerere: & ſi irrationalis animæ facultatum omnino meminit: earum propterea meminit, ut eas à rationalibus diſcerneret: quomodo nunc eas nõ à rationalibus diſcernit, ſed ipſas diſcernit à ſeipſis? Imaginationem enim nunc à ſenſu diſcernit, cùm ambæ ſint irrationalis facultates. & hæc eſt quidem dubitatio. Dicimus autem, quòd hoc fecit, ut ſit perfecta oratio, ne quid intactum dimittat: uel quia deinceps eſt diſcreturus imaginationem ab opinione ſimul, & ſenſu. Quoniam ergo non erat futura aperta diſtinctio imaginationis ab opinione, & ſenſu, ſimul facta, niſi ea prius ſeorſum diſcreuiſſet: propterea cùm prius à ſola opinione imaginationẽ diſcreuiſſet, uult nunc eam quoq; à ſenſibus diſcernere: ut deinceps ſit aperta imaginationis diſcretio, quando eam ab opinione, & ſenſu communiter diſcernit. Sex ergo rationibus diſcernit imaginationem à ſenſu: quarum hæc eſt prima. Si idem eſſet imaginatio, & ſenſus: quoniam, quando ſomniamus, imaginamur, oporteret nos tunc quoque ſentire. Atqui non ſentimus. non eſt ergo idem imaginatio, & ſenſus. Quid enim dicis, quòd ſenſus, qui eſt potentia, ſunt ſomnia? Sed actus quidã ſunt ſomnia. Quando autem potentia eſt ſenſus, quieſcit, & nõ agit. Sed neq; ſunt eius ſenſus, qui eſt actu. In ſomnis enim omnis ſenſus quieſcit. Hoc eſt primum diſcrimen. Secundum autem diſcrimen à recenter natis infantibus aſſumptum eſt. Videmus enim, quòd in lucẽ nuper editi infantes ſecundũ ſenſum quidẽ agunt: ſenſus enim nobis ineſt: ſecundũ imaginationem autẽ non agunt. Si ergo in lucem nuper editi infantes, ſecundum ſenſum quidem agunt: ſecundum imaginationem autem non agunt: differt ergo ſenſus ab imaginatione. Et undenam clarũ erit, quòd nuper nati infantes non operantur ſecundum imaginationem? Eo quòd in principio cuiuſuis ubera ſugunt, etiamſi ſint bouis, uel cuiuſuis alius: poſtea autẽ matris tantũ. hoc autem non fieret, niſi quòd typos materni uberis à principio non reponunt, ſed poſtea. Et non ſolum ex hoc oſtenditur propoſitũ: ſed, & quòd, cùm iampridem igni aſſueuerint, & uſti ſint, ad ignem rurſus accidunt. Hoc autem fit, eò, quòd non agat imaginatio. Si enim ageret, combuſtionis, quæ iampridem fuit, typum ſuſciperet, & non ſe ſecundò admoueret. Ex hoc ergo quòd igni ſe admoueãt, & cuiuſuis ubera ſugant, clarum eſt, quòd ſecundum imaginationem non agunt. Tertium diſcrimen eſt à uermibus, & muſcis, & formicis. ecce enim hæc ſenſum quidem habent: imaginationem autem non habent: ut declarant eorum inceſſus errores. errant enim, utpote quòd imaginatio uiæ ab eis pridem confectæ typos non ſuſceperit. hoc eſt tertium argumentum. Videtur autẽ & hoc ipſum, & ſecunda ratio ijs eſſe contraria, quæ in ſecundo libro dicta ſunt. Illic enim dicebatur, quòd ubi eſt ſenſus, illic eſt & appetitus: & ubi appetitus, illic & imaginatio, utpote per medium appetitum imaginatione ſenſum omnino ſequente.*

quomodo ergo dicit uermes ſenſum quidē habere, imaginationem autē non habere? Vel forte etiā uermes habent imaginationem, ſed cōfuſam, & exilem: & eo quòd eſt exilis, nō operatur. non ſunt autē uera, &, quæ hic, &, quæ illic ſunt: Quæ illic quidem, quòd ubi ſenſus, omnino & imaginatio: Quæ hic autem, quòd non ubi ſenſus, iam & imaginatio. eſt enim exilis & cōfuſa. Eſt aliud quoq; eiuſmodi dubiū operæpretium mouere. Eſto uermes nōn habere imaginationem: cur & muſcas, & formicas dicit non habere imaginationē? In hoc enim fallitur. habēt enim & formicæ imaginationē, ut declarat, quòd ſciant ſuas cauernulas, quas ſubeūt. Atqui & apes habent imaginationē. ſciūt enim ſuos alueos, & in ijs mellificāt. Si ergo operatio ipſa dicit ea habere imaginationē: quomodo dicit ipſe ea imaginationē nō habere? hæc eſt dubitatio, ad quā dicemus eſſe duplicē imaginationē: Hāc quidem recordatiuā: illam uerò quæ doceri poteſt, per quā docemur: quam Pſittacus quoq; habet: Per eam enim humanum ſermonē docetur. Quam ergo imaginationem ab his animalibus aufert Ariſtoteles? & dico, quòd non recordatiuam, ſed eā quæ doceri poteſt. Hoc eſt tertium diſcrimē. Quartum diſcrimē eſt, quod à modo cognitionis procedit. Senſus enim circa res, quæ ſunt, operatur. Imaginatio uerò etiā circa ea, quæ non ſunt. & propterea accidit quidē ſenſui ſecundum naturā habēti ſemper eſſe uerū: imaginationi autē aliquando falli, finguntur enim &, quæ non ſunt, perinde ac ſi eſſent. & hæc eſt quarta differentia. Quinta eſt differentia, quæ dubitationi ueluti ſe opponit. Hanc enim dubitationē quiſpiam fortaſſe mouerit, quòd idem eſt ſenſus, & imaginatio: quoniam exilem ſenſum, & qui in alia nō cadit, imaginationē uocamus. Cùm itaq; quiſpiā aliquē procul uidet, dicit, uel imaginor, uel hoc procul aſpicio. Vnde ſi ipſum nō uideant, qui aſtant, ei dicunt: Imaginaris amice: pro eo, quod eſt, exiliter aſpicis. Vides ergo, quomodo exilis ſenſus imaginatio dicitur. Ad hanc ergo dubitationē ueluti occurrit Ariſtoteles in quinta differētia, & dicit. Non, quoniā exilis ſenſus imaginatio ex cōſuetudine dicitur, idem eſſe exiſtimandum eſt imaginationem, & ſenſum. Si enim idem eſſet, non ſolū exilis ſenſus deberet dici imaginatio, ſed & exactus. Nunc autē nemo dicit exactum ſenſum imaginationē. non eſt ergo idem ſenſus & imaginatio. Sexta deinceps, & ultima differentia. Si clauſis oculis aliquē accipiamus, hic colores quidem non uidet: Quomodo enim poteſt uidere clauſis oculis? & tamē imaginatur colores. Si ergo nō cooperantur, non eſt idē ſenſus, & imaginatio. Rectè autē accepit Ariſtoteles aliquē, qui oculos clauſit: & non accepit cæcum. Si enim cæcū ſuppoſuiſſet, fortaſſe & cæcos à natiuitate intellexiſſet: qui quidem omnino de coloribus non imaginantur: eo quòd ipſos typos non habeāt. Sex ſunt ergo differētiæ: à ſomnis: à recenter natis infantibus: à uermibus: & muſcis: & formicis: à modo cognitionis: à dubitatione: à claudentibus oculos. Et in his primum caput adimpletur. Secundū caput eſt, in quo diſcernit imaginationē ab omnibus facultatibus animæ rationalis. Earū enim aliæ quidem ſunt ſemper ueræ, ut intellectus, & ſciētia: aliæ uerò aliquando quidem ueræ, aliquādo uerò falſæ, ut cogitatio, & opinio. Imaginatio ergo à ſemper ueris quidē differt, quatenus ipſa aliquando etiā fallitur: illæ autē ſunt ueræ. Ab ijs autē, quæ aliquando quidem ueræ ſunt, aliquando uerò falluntur, differt: quatenus illæ quidē ſunt in rationalibus animalibus, hæc uero nō ſolum in rationalibus, ſed & in irrationalibus. Et undenam clarum fiet, dicet quiſpiam, quòd & cogitatio, & opinio non ſunt in irrationalibus animalibus? Hinc deinceps nectūtur ſyllogiſmi, quòd opinio nō eſt in irrationalibus. & eſt hic primus ſyllogiſmus in ſecunda figura nexus. Quæ habent opinionē, habent & fidem. Irrationalia animalia non habent fidem. Irrationalia ergo animalia non habent opinionē. Vnde autem fit apertū, quòd irrationalia non credunt? Deinde nectitur alius talis ſyllogiſmus. Irrationalia non perſuadentur. Quæ autem perſuadentur, ipſa ſunt quæ credūt. Fidei enim effectiua cauſa eſt perſuaſio: & finis perſuaſionis eſt fides. Eſt hic ergo ſyllogiſmus, ut eum reſumam, in prima figura. Irrationalia non perſuadentur. Quæ non perſuadentur, fidē non habent. Irrationalia ergo fidē non habēt. Sed & ad hoc quoq; dubiū mouemus. Quonammodo oſtēdetur irrationalia non perſuaderi? Atqui uidemus ſerpentē adiurationibus parentem ſeipſum in ignem inijcere, Rurſus leo cicur, & manſuetus efficitur parens uenatori, et equus domitori. Ad hæc autem dicimus, quòd ſerpens non perſuadetur: ſed à ſacramentorum neceſſitate uel inuitus ducitur. Nec leo, nec equus, nec quodcunq; manſueſcit, perſuadetur: ſed aſſueſcit. Non eſt autem idem perſuaderi, & aſſuefieri. Aſſenſus enim eſt genus cōmune perſuaſionis, & aſſuefactionis. Sed aſſuefactio quidē fit quadā animali inclinatione: Perſuaſio autē fit cognitione. Quæ autē manſueſcunt, non perſuadentur, ſed aſſuefiunt, eo quòd aſſentiūtur. Perſuaderi enim, ut dictum eſt, fit per rationē: & eſt rationalis animæ. Aſſueſcere autē non eſt ſolum rationalis animæ, ſed & irrationalis. Et in his eſt cōtemplatio. De eo autē, quod eſt intelligere, quoniam aliud eſt, quàm ſentire: Dictum eſt iam ſuperius, quòd eius, quod eſt intelligere, nomine indifferēter utitur. nunc autem intelligere dicit imaginationem, & exiſtimationē. Vnde & ipſum in hæc diuidit, & ait quòd de prima imaginatione, quæ propriè dicitur, & non ex metaphora in ſenſibus, & de exiſtimatione diximus.

Si vtiq; eſt imaginatio, ſecundum quam dicimus, viſu aliquod nobis fieri, vel nō: ſi quid ſecundum translationem dicimus: vna eſt horum potentia habitus, ſecundum quem iudicamus, & veraces ſumus, vel fallimur. Hæc ſunt ſenſus, opinio, intellectus, ſcientia.

Quoniam ſuperius dixit, in nobis eſſe imaginari quicquid uolumus: idq; in ſpontanea imaginatione quadrabat: eſt autem & imaginatio quæ nobis fit inuitis: ex uiſis autem aſſumitur, id eſt ex ſenſilibus: & non ſolū eſt ſpontanea, quam meritò dixit ex translatione, quoniā ex ijs, quæ ſunt, transfert figmentū eius, quod non eſt, ex equo, uerbi gratia, & tauro hippocentaurū: ſi ergo eſt imaginatio, quæ nobis fit inuitis: non ergo, quod uolo, imaginor: ſed una quadā iudicatiua facultate falſum, ut falſum, imaginor, & uera, ut uera. Hac enim ratione diſcernitur falſum à ueritate: & opinio etiā & ſenſus ſic diſcernit falſum à ueritate, quòd cognoſcat, quòd rer ſunt. Tales autem ſunt ſenſus, opinio, intellectus, ſcientia. Sed dicet quiſpiam, quomodo dixit ſuperius intellectū ſemper eſſe uerū: nunc autem dicit, eum etiā quandoq; falli? ait enim ſecundum quem iudicamus, ſi ueri ſumus, uel fallimur: ut ſcientia, & intellectus, & eum ijs, quæ aliquādo falluntur, enumerauit intellectū, & ſcientiam. Et dicimus, quòd nō omnibus quæ dicta ſunt, cōuenit uerum, & falſum: ſed his quidē uerum, ut intellectui, & ſcientiæ: hæc enim uerum iudicant: illis uerò utrunq;, & uerum, & falſum, ut opinioni & ſenſui. Aliam quoq; differentiā aſſequi poſſumus intellectus, & ſenſus. primū quidē hanc: Nam, quæ operatur ſenſus, operatur & intellectus, etiam ſenſu melius. neq; enim abſurdum exiſtimes, ut intellectus quandoq; circa particularia uerſetur, circa ea autē, quæ operatur intellectus, ſenſus nō operatur. Nempe ſubſtantiā quidē nouit intellectus: ſed ſenſus ſubſtantiā non aſſequitur. ſecundò autem, quòd ſenſus propriam operationem non nouit. Intellectus autem nouit & propriam, & aliorum. Intellectus quidem circa uniuerſale operatur, & habet intus ſenſile: ſenſus autem circa particularia, & eſt, uidelicet, extra.

Quòd itaq; nō eſt ſenſus imaginatio, ex his eſt manifeſtū. ſenſus enim vel eſt facultas, vel 150
operatio,

operatio:vt viſus & viſio. Apparet autem aliquid, & ſi neutrum eorum adſit, vt, quæ vidētur in ſomnis.

*Hic eſt primum diſcrimen ſenſus & imaginationis. Diuidit autem ſenſum in id, quod eſt potentia, & id, quod eſt actu: & dicit imaginationē non eſſe idem, quod ſenſus potentia, neque, quod actu ſenſus. Potentia quidem, quoniam in ſomnis manifeſtè agimus: tunc autem ſenſus eſt potentia, & nō agit. ſed neq; actu, quoniam nunquam imaginaremur in ſomnis. nunc autem imaginamur, quoniā ſunt potētia in ſomnis, & nō actu. Quare non eſt idē imaginatio, quod ſenſus ſecundū actum. Si itaq; oſtēſum eſt non eſſe eandē cum ſenſu potentia, neq; cum ſenſu, qui actu eſt: differt ergo ſenſus ab imaginatione.*

Deinde ſenſus quidē ſemper adeſt, nō autem imaginatio.

*Hic eſt ſecunda differentia ſenſus, & imaginationis.*

Si autem actu idem, omnibus contingeret animalibus ineſſe imaginationem. videtur autem non: vt formicæ, vel api, vel vermi.

*Hic eſt tertia differētia. Quidā aūt exiſtimarūt, quòd quoniam ſenſum diuiſit in id, quod eſt potētia, & id, quod eſt actu, imaginationem à ſenſu, qui actu eſt, hic diſcernit. Sic enim habet eorum diſcretio: Si idem eſſet imaginatio, quod ſenſus: oporteret quicquid habet actu ſenſum, imaginationem quoq; habere: quod quidem non uidetur. Imaginationem enim habere dicimus, quæ eam habent articulatam, & perfectam, ut poſſint aliquid etiam diſcere. Vermis autem, & formica, etſi habēt imaginationem, ſed exilem tamen eam habent, & inarticulatam. Si ergo hæc non habent imaginationē, non eſt idem, uidelicet, ſenſus, & imaginatio. Quidam autem dixerunt eum rectè dixiſſe: Si autem actu idem: potentia enim poteſt imaginatio, & ſenſus idem eſſe. à ſenſu enim aliquando imaginatio ſuſcipit.*

Deinde hi quidem ſunt veri. plures autem fiunt imaginationes falſæ.

*Hic quartam dicit differentiam ſenſus & imaginationis,*

Deinde nec dicimus, quando exactè circa ſenſile agimus: hoc videtur nobis homo: ſed magis, quando non apertè ſentimus, tunc vel falſa vel vera.

*Hic eſt quinta differentia.*

Et, quod prius dicebamus, apparētviſa vel oculos claudentibus.

*Hic eſt ſexta differentia. Nonnulli autem dicunt, eum uelle imaginationem à ſenſu, qui eſt potentia, diſcernere. Eſt autem hoc diſcrimē, quòd clauſis quiſpiam oculis colores imaginatur. Si enim, interim dum clauduntur oculi, eſt uiſus potentia, imaginatur autem: & rurſus, poſtquam aperti ſunt oculi, imaginatur: non eſt idem imaginatio, ſcilicet, & ſenſus qui eſt potētia. Propterea autem dixit, Quod prius dicebamus, quoniā ſuperius lucernarum quoq; meminit ſemper præ oculis manentium, quæ quidem & ſunt ſenſiles, ut quæ uidentur: & non ſenſiles, quoniam abeſt ſenſile: & imaginatio, quoniam eas clauſis oculis uidemus: & non imaginatio, quoniam ſenſilis frequens ictus ſunt lucernæ. Vbi autem adeſt ictus, imaginatio non operatur. Si ergo quando ipſa lucerna nō eſt ſenſus, eſt imaginationis, & quando eſt ſenſus, non eſt imaginationis: non eſt ergo idē imaginatio & ſenſus.*

157 Atqui neq; eorū, quæ ſemper vera ſunt erit, vt ſcientia, vel intellectus. Eſt enim imaginatio etiā falſa. Reſtat ergo videre, an opinio.

*Hic eſt ſecundum caput, in quo diſcernit imaginationem ab intellectu, & ſcientia. Nunc autem intellectum, cogitationem, audiendum. Vide autem quomodo eius expoſitionem, tanquam argumentum, appoſuit. Ex eo enim, quòd ſemper uerus ſit intellectus, & ſcientia, imaginatio autem aliquando fallatur, diſcernuntur. Reſtat ergo uidere, an ſit opinio.*

Eſt enim opinio & vera & falſa. Sed opinionem quidem ſequitur fides. Non cōtingit enim ea quem opinari, quibus nō videtur credere. Nulli autem brutorum ineſt fides: ſed multis imaginatio.

*Hic uult oſtendere, quòd non eſt idem imaginatio, quod opinio. Et eſt operæpretium dubitare, quomodo, cùm hoc ſuperius oſtenderit, hoc etiam rurſus oſtendit. & num dicere poſſumus, quòd, quoniam magnam inter ſe habēt ſocietatem, propterea ſæpe eorum dicit differentiam? Hoc enim inter ſe commune habent, quòd extremitates primorum eædem ſunt cum primis poſteriorum, ut nullum ſit uacuum. Extremitas autem rationis opinio. irrationalis uerò prima eſt imaginatio. Quare ſunt propemodum eædem. Dic autem & aliud, quòd ambæ, & opinio, & imaginatio, circa uerū, & falſum uerſantur. Quare & hæc in re ſocietatem habent: & propterea earum dicit differētiam. Hæc aūt ſic ſyllogiſticè diſcernit. Imaginatio uel omnibus ineſt irrationalibus, ſecundum ea, quæ iam pridem dixit Ariſtoteles, dum omnibus irrationalibus obſcuram, & exilem imaginationem inſerit: uel nonnullis, prout nunc Ariſtoteles non in quouis irrationali exactam ponit imaginationem. Si ergo imaginatio uel ineſt aliquibus irrationalibus, uel omnibus: Opinio autē nulli ineſt irrationali: non eſt ergo idem imaginatio, & opinio. Eſt in tertia figura connexio. Sed opinionem quidem ſequitur fides. Hoc quoq; eſt differentia ab imaginatione, & demōſtratio unius propoſitionis ſyllogiſmi, quæ dicit, quòd opinio nulli ineſt irrationali. Vbi enim opinio: & perſuaſio, & fides, & perſuaſum eſſe. non enim contingit opinantem aliquem iis, quæ opinatur, non credere. Vbi autem perſuaſio, & fides, ratio. Ratio autem non ineſt in irrationalibus, non eſt ergo in irrationalibus opinio. Perſuaſio autē eſt operatio eius, quod perſuadet, ad id quod perſuadetur. Fides autem eſt effectus, & cognitio eius, quod perſuadetur. Perſuaſum autem eſſe exilis, & imbecilla cognitio, & uia ad opinionem. Opinio autem, quæ poſt hæc confirmata eſt, mentis conceptio. Nulli autem brutorū ineſt fides. Dubitarunt de equo, quomodo timet flagellum, & equorum domitori ſubiicitur: nonne perſuaſione? & diximus, quòd non per perſuaſionem, ſed per quandam aſſuefactionem. Quoniam ſemper uerberari conſueuerat, ex eo & aſſentitur. Diximus enim aſſenſum eſſe commune genus perſuaſionis, & aſſuefactionis. Rurſus autem dubitatum eſt, & quomodo ſerpens adiurationi paret. ſi perſuaſionem non habent irrationalia? Diximus autem, quòd ne ſic quidem perſuadetur. non enim ſermonem audit, ſed uocem. In ignem autem ſecedit iureiurando adactus, quoniam à quibuſdam dæmonibus contenditur, qui iuſiurandum pertimeſcunt. Et, ut ſemel dicam, quod perſuadetur, perſuaſione tranſmutatur. Perſuaſione autem tranſmutari eſt cognitionis. Cognitio enim circa idem nō ſemper eodem modo ſe habet. Qui autem aſſueuit, ſemper eodem modo ſe habet circa idem Equus enim ſemper timet flagellum. Cognitionis ergo non eſt aſſuefactio, neq; idem, quod perſuaſio. Quòd autem cognitio non ſemper eodem modo ſe habet circa idem, clarum eſt. Araneā enim propterea non dicimus ex præmeditatiōe, ſeu præcedente cōſultatione, & cognitiōe telā facere, quia ſemper eodē modo facit. Similiter & apes fauum. Si enim ex præcedente eſſet conſultatione, hoc ipſum aliter, & aliter faceret.*

Præterea omnem quidem opinionem con-

ſequitur fides: fidem autem perſuaſum eſſe: Perſuaſionem autem ratio. nonnullis autem brutis imaginatio quidem ineſt, ratio non.

Illud, Praeterea, uidetur quidem inducere aliud argumentū, quòd imaginatio differat ab opinione: non eſt autem: ſed eſt cōfirmatio primi argumēti. & in his praxit dei gratia impletur: praxis dei gratia ſeptima.

Manifeſtum igitur, quòd neq; opinio cum ſenſu, neq; per ſenſum, neq; cōnexio opinionis & ſenſus, fuerit imaginatio. Per hæc autē eſt etiam manifeſtum, quòd non eſt alia quædam opinio, ſed illius eſt, cuius eſt & ſenſus. Dico autem, ex albi opinione, & ſenſu connexio, eſt imaginatio. Nō enim ex opinione quidem boni, ſenſu verò albi.

Quoniam per precedentia ab opinione & ſenſu imaginationem diſcreuit, & ſeorſum aduerſus utrunq; eorum inſtitit: nunc uult oſtendere non eſſe imaginationem, ſenſus & opinionis connexionem: neq; opinionem ſimul & ſenſum: nec opinionem per ſenſum. Hæc enim tria uult Ariſtoteles oſtendere non eſſe imaginationem. Oſtendit autem imaginationem nihil horum eſſe per unam rationem. Ne quis autem exiſtimet hæc tria eſſe inter ſe eadem: habent enim inter ſe differentiam. Si enim dixero, imaginationem non eſſe opinionē ſimul & ſenſum, dico nō eſſe ex opinione & ſenſu connexionē, imaginationē, ut eius materijs. Si autem dixero, opinionem eſſe imaginationem cum ſenſu: utraq; effectiua accipio imaginationis. ut ſi duo ſint medici ſanitatis effectiui. Quare hoc primum quidem dicit, non eſſe imaginationis effectricem opinionem, & ſenſum ſimul. Si autem dixero, non eſſe imaginationem, opinionem per ſenſum: hoc dico, non eſſe imaginationis effectiuam cauſam opinionē: quæ effectiua cauſa facit imaginationem per inſtrumentariam cauſam ſenſus: ut ſit opinio quidem effectiua cauſa imaginationis: ſenſus autem inſtrumētaria. ut medicus phlebotomo, id eſt ſcalpello, quo uena ſcinditur, ſanitatem facere dicitur. Si ergo dixero, non eſſe imaginationem opinionē, hoc dico, non eſſe opinionem effectiuam cauſam imaginationis per inſtrumentariā cauſam ſenſus. Sed neq; eſt connexio opinionis & ſenſus imaginatio, id eſt, materialis cauſa imaginationis, opinio, & ſenſus. Sicut enim materia mulſi eſt connexio uini & mellis: ſic & imaginationis materia eſt connexio opinionis, & ſenſus. Non eſt autem connexio: quoniā non utiq; ſeruans opinio, & ſenſus facit imaginationem, ſed commixta. In duobus autem primis membris & opinio & ſenſus ſeruabatur, & quando erant utraque effectiua, & quando erat unum quidem effectiuam, alterū uerò inſtrumentarium. Imaginatio ergo neq; eſt opinio & ſenſus ſimul, ut ſint ambo effectiua: neq; opinio per ſenſum, ut hoc quidem ſit effectiuū: illud uerò inſtrumentariū. Sed nec cōnexio opinionis, & ſenſus, ut ſint ambo materialia. Quòd nihil horū eſt imaginatio, oſtendit Ariſtoteles per unam huiuſmodi rationem. Opinio, inquit, cum ſenſu pugnat. nulla res autem ex duobus inter ſe pugnantibus, & in pugna operātibus conſiſtit. Nō conſiſtit ergo imaginatio ex opinione, & ſenſu. Quòd autē pugnat opinio & ſenſus, hinc clarū eſt. Senſus remū in aqua cōfractum uidet. Opinio autem in eo ipſo inſtanti illum ſaluum eſſe credidit. Opinio ergo pugnat cum ſenſu. Rurſus, ſolē quidem uiſus unius pedis uidet. & in eodē inſtanti oſtendit opinio eū eſſe tota terra multis partibus maiorē. Nihil autē ex pugnātibus in eodē inſtanti conſiſtit. Nec imaginatio ergo cōponitur ex opinione, & ſenſu. Si enim circa idē opinio quidē uera eſt: ſenſus autē fallitur: ex ijs autē imaginatio cōſiſtit: erit ergo circa idē & uera, & falſa: qđ quidē eſt abſurdū. Sed dicit quiſpiā: nunquid etſi opinio ſic ſolē exiſtimat per ſe operans, ſed tamē quando ſenſui cōnexa fuerit, cū eo cōmutatur, & fallitur? ſenſus enim habet dominationē, ſiquidē circa ſenſilia illi ſemper ſunt cōfœderati, & iureiurādo aſtricti. Quando enim inuenta fuerit opinio cū ſenſu cōſentire, & nō amplius pugnat, uno, ſcilicet, ex pugnantibus corrupto, non eſt abſurdū aliquid ex ipſis cōponi. Ad hoc ergo dicimus, quòd opinio quatuor modis corrūpitur: uel opinante corrupto, ut moriente homine: uel re opinabili mutata: ut ſi nunc opinor Socratē ſedere, & ſurgat Socrates, corrupta eſt, ſcilicet, quòd ipſe ſedeat, opinio, ut uera. Vel ergo opinante corrupto, uel re opinabili mutata, corrūpitur uera opinio. Corrūpitur autē opinio etiā ſubſequente obliuione, uel contraria opinione primā deijciente. Nunc autē nihil horū quatuor conſecutū eſt. neq; enim homo opinatus interijt: neq; opinabile mutatū eſt. Sol enim manſit, ut eſt, terra multis partibus maior. neq; obliuio inceſſit. Quando enim uult aſtronomia, cogit te ſolem terra maiorē dicere. Neq; cōtraria opinio primā deiecit. Manſit enim eadē etiā cogens. Si ergo manent quatuor regulæ, quæ opinionē non corrumpunt: manſit ergo, & nihil ex pugnantibus corrūpitur. Eſt hæc ergo ratio Ariſtotelis. Oſtendit autē imaginationē ex opinione & ſenſu non cōponi, quòd nihil ex pugnantibus cōponatur: pugnant autem opinio & ſenſus: non cōponitur ergo imaginatio ex opinione & ſenſu. Et hæc quidē eſt ratio Ariſtotelis. Poſſumus autē & alias tres rationes extra aſſequi, quæ Ariſtotelis ſententiā tuentur. Quarū hæc eſt prima. Si imaginatio cōponitur ex opiniōe, & ſenſu: oporteret irrationalia animalia non habere imaginationē: eo quòd opinionē nō habent, ex qua ſecundū nos imaginatio cōponitur. Quòd autē non habēt opinionē irrationalia, in præcedentibus iam fuit manifeſtū, quādo dicebamus opinionem eſſe rationalis animæ partē. Irrationalia autē animā rationalē nō habent. ergo nec opinionē. Hæc eſt prima ratio. Secunda ratio. Opinio, ut res continet, ſic & opinatur. Sed ſenſus ut plurimū eſt uerus. Imaginatio autē admodū ſæpe fallitur. Imaginatio ergo nō cōponitur ex opinione & ſenſu. Hæc autē oratio falſa eſt, ut arbitror. Cōtingit enim aliquid eſſe in cōpoſito, qđ nō eſt in ſimplicibus. ſicut in animaliū corporibus eſt color, uerbi gratia, ruber, qui nō erat in elementis nō eſt ergo abſurdum etiā imaginationē cōponi ex ſenſu & opinione, quæ nō falluntur: ipſam autē falli: eo quòd ſit aliquid in cōpoſito, quod nō eſt in ſimplicibus. Quare hæc ratio nō eſt ualde neceſſaria. Tertia ratio his accedit hæc. Nihil ex ijs, quæ nō ſunt in noſtra poteſtate, cōpoſitū, eſt in noſtra poteſtate. Si itaq; opinio nō eſt in noſtra poteſtate: Sed neq; ſenſus in noſtra poteſtate eſt: neq; enim fieri poteſt, ut ſi adſint colores, & ſit illuminatus aër, nec ſint clauſa cilia, ut non uideamus: & rurſus fieri non poteſt, ut qui albū uidet colorē, nigrū uideat, uel fuſcū, uel quid eiuſmodi: Si ergo ſimplicia, quæ ſunt opinio, & ſenſus, non ſunt in noſtra poteſtate: Nec ergo imaginatio, quæ ex his componitur, in noſtra eſt poteſtate. Atqui imaginatio eſt in noſtra poteſtate. effingo enim hominē, qui uertice cœlū attingat, & hircoceruū. Si ergo imaginatio eſt in noſtra poteſtate: nō ergo cōponitur ex opinione, & ſenſu. Nihil enim eorū quæ ſunt in noſtra poteſtate, cōponitur ex ijs, quæ in noſtra poteſtate nō ſunt. Hæc eſt & tertia ratio. Nos autē oſtēdimus, quòd neq; opiniōis, & ſenſus cōmixtio eſt imaginatio. Si enim eſſet horū cōmixtio, oporteret duorū mediū cognoſcere imaginationē. & quoniā opinio quidē ſolē centū ſeptuaginta partibus eſſe terra maiorē dicit: ſenſus autē ſolē unius pedis nouit: deberet imaginatio, ut quæ ſit horū utrorūq; extremorū media, cognitionē effugere, & dicere ſolē centū partibus eſſe terra maiorē. Atqui hoc nō dicit. Nō eſt ergo imaginatio cōmixtio opinionis & ſenſus. Et

hæc

*hæc quidem in his. Videtur autẽ Ariſtoteles aduerſus Platonẽ hæc dicere, quòd imaginatio nõ eſt ex cõmixtione opinionis, et ſenſus. Videtur enim Plato in Sophiſta dicere, imaginationem eſſe ex opinione & ſenſu. Sed nunquid hoc nõ dicit Plato? ſed quoniã imaginatio media eſt inter opinionẽ, & ſenſum: ſolent autẽ media ab extremis dici fieri: propterea hoc ſic dixit. Nam & in Timæo animã dicit ex indiuiſibili ſubſtãtia fieri, & diuiſibili. Atqui indiuiſibilis non miſcetur: ſed quia inter hæc media eſt anima: propterea dicit eã eſſe ex his cõpoſitã. Vel dic, quòd nec dicit eã, quæ eſt propriè, imaginationẽ, nempe facultatẽ, ſed falſa uiſa, quæ uera eſſe uidẽtur, illic dicit uiſa. Hic eſt enim euentus ſermonis, qui in Sophiſta habetur. Cùm diceret Socrates Sophiſtæ, Es præſtigiator: uerſaris enim circa id, quod non eſt: reſpondẽs Sophiſta dicit: Secundũ te ergo, eſt id, quod non eſt, ſiquidẽ circa illud uerſor. Quicquid enim eſt, circa quod quis uerſatur, & illud eſt. Si ergo uerſor circa id, quod nõ eſt: eſt ergo id, quod nõ eſt. Hæc cũ dixiſſet Sophiſta, Socrates reſpõdit, quòd multis modis eſt nõ ens, ſeu id, quod nõ eſt: Vel indicibile, quod nõ ullo modo, nec ulla eſt ratione: uel quod ſecundũ diuerſitatem, & alteritatẽ: uel quod eſt ſubſtãtia maius, quod ſuperſubſtãtiale dicitur, uel quod eſt ſubſtantia deterius, qđ dicitur particeps ſubſtãtiæ. Dicitur autẽ & nõ ens ſeu qđ nõ eſt, quod falſum eſt. Et multas illic falſi differentias dicens, dicit & unã ſpeciẽ falſi, quæ eſt circa ea, quæ apparent uera, ut in remo fracto. quod quidẽ falſum dixit, imaginationẽ ab opinione & ſenſu, quæ eſt horũ media. Nã & opinio & ſenſus eſt uerus: ut plurimũ autẽ ſenſus. Hæc pro Platone. Poteſt autẽ dici Ariſtoteli. Reprehẽdis Platonẽ, qui hæc dicit, cùm ipſe dixeris exilem, & obſcurũ ſenſum, imaginationẽ: & opinionẽ à ſenſu & imaginatione differre dicas, eo quòd hæc præcedãt opinionẽ. Hæc ergo cùm dicas, quomodo alios carpis? Et in his contẽplatio dei gratia impletur. Per hæc autẽ. Quid ſibi uult hoc uerbũ, qđ nũc dixit, per hæc? an per ea quæ ſunt dicenda, uel per præterita? Si enim oſtenſum eſt opinionẽ, & ſenſum nõ eſſe in noſtra poteſtate: non eſt ergo ex his imaginatio: ſic enim fiet, ut ipſa nõ ſit in noſtra poteſtate: cur dicit, quòd ſi omnino eſſet imaginatio ab opinione & ſenſu, oporteret eas circa idẽ uerſari? Opinionẽ dico & ſenſum? Nõ enim opinio, quòd Socrates eſt iuſtus, & ſenſus, quòd ipſe eſt albus, facit imaginationẽ: ſed oportet opinionẽ & ſenſum exiſtimare Socratẽ eſſe iuſtũ. & quãdo ambo circa idẽ fuerint, nõ oportet hoc quidẽ per ſe eſſe, illud uerò per accidẽs. ut opinio quidẽ Socratẽ rationalẽ opinatur: ſenſus uerò per accidẽs, ut exiſtimet eſſe albũ, ſed oportet ut & ipſe rationalẽ putet, & per ſe. Quare opinio, & ſenſus ſi circa idẽ uerſentur, & ambo per ſe, ſi omnino fieri poſſet, facerent imaginationem.*

Apparere itaq; eſt opinari, id, quod ſentit, non per accidens.

*Apparere, pro eo qđ eſt, imaginari, accepit, quaſi diceret: Imaginari ergo ſecundũ eos, qui dicũt eſſe ex cõnexione, eſt ex opinione, & ſenſu, & rectè adiectũ eſt illud, Non per accidens, ut per ſe ſentiat ipſum ſenſus: ut paulò ante dictum eſt.*

159 Atqui apparẽt & falſa, de quibus ſimul ueram habet exiſtimationem. vt apparet quidẽ ſol vnius pedis: creditur autem eſſe maior terra habitabili.

*Hic redarguit eos, qui dicũt imaginationẽ eſſe ex cõnexiõe opinionis, & ſenſus. Ait enim, ſi ita eſſet: quoniam ſenſus ſolem unius pedis uidet: opinio autẽ eũ terra multis partibus maiorẽ eſſe putat: eueniet imaginationẽ uerũ & falſum dicere: qđ eſt abſurdũ. Exiſtimationem autem uocauit opinionem.*

Euenit ergo, vt vel ſuã verã opinionẽ, quã habebat, amiſerit, re ſeruata, non obliuiſcens, neq; alia perſuaſione transmutatus.

*Hic incipit enumerare, quot modis poteſt quis amittere opinionẽ. Sunt autẽ quatuor, quos nos in cõtemplatiõe diximus. Dixit aũt re ſeruata, ut oſtẽdat, opinionẽ, & ſenſum operantẽ nõ lædi. Et oportebat dicere, ſeruãtẽ, & ſeruato, & ſeruata, ut ſeruantẽ quidẽ, ſit ad opinantẽ: ſeruato autẽ, ad opinabile: ſeruata uerò ad operationem. Si enim hæc ita ſint, non læditur opinio.*

Vel quia habet, neceſſe eſt eã eſſe veram, & falſam.

*Abſurdũ hic dicit. Ait enim, quòd ſi quidẽ habet eãdẽ opinionẽ, & nõ perijt ex una earũ regularũ, quæ poſſunt eã perimere, ſcilicet ſecundum nos, qui ea dicimus, imaginatio componitur ex ueris ſimul, & falſis: quod eſt abſurdum: falſo quidẽ ſenſu ſolem uidente, uera autem opinione, quæ illũ multis partibus terra maiorem cognoſcit.*

Sed falſa fuit, quando res, quæ incidit, obliuioni data eſt.

*Hic dicit, quòd contingit ſimul opinionem, & ſenſum falli, ſi obliuio inciderit, & fiat ueluti mutatio rei opinabilis.*

Non eſt ergo vnum horũ quidpiam. nec ex his imaginatio. 100

*Nõ ergo, inquit, per ſe ſenſus, nec opinio eſt imaginatio: nec ex his: hoc eſt, nec ex cõnexione opinionis, & ſenſus. & in his praxis, deo fauente, impletur, praxis, deo eſt gratia, octaua.*

Sed quoniã eſt hoc moto, ab hoc moueri, imaginatio quidam motus eſſe videtur, & nõ ſine ſenſu fieri.

*Hæc præſens quarta cõtẽplatio docet, primũ quidẽ, quid eſt imaginatio, & meritò. Nã cũ ſuperius dixerit, quid nõ eſt: nunc dixit quid eſt: & propter aliud hoc facit: quia eius inſtitutũ eſt ea, quæ in anima irrationali rationis ſpeciẽ præ ſe ferũt, docere. Quoniã ergo ſuperius de imaginatiõe nõ docuit, nũc docet. Quòd enim imaginatio rationis ſpeciẽ præ ſe ferat, declarat, eo qđ ea mens paſsiua dicatur. Propterea ergo docet, quid eſt imaginatio. Deinde in quibus cõueniant imaginatio, & ſenſus. Et ut ueriſimile, dubitauerit quiſpiã, dicẽs magis oportere dicere, quid commune habeant, quæ longè diſtant, opinio & imaginatio. Eſt enim dialectica ratio, quòd oportet dicere, quid commune habeant, quæ ſunt ualde remota: Eſt autem ualde remota opinio ab imaginatione. ſiquidem hæc quidem irrationalis eſt animæ: illa uerò rationalis. Senſus uerò nõ multũ diſtat ab imaginatiõe. Sunt enim unius animæ, dico autẽ, irrationalis: cur ergo dicit, in quibus hæc cõmunionẽ habeãt? Dic ad hoc, quòd hoc meritò fecit. Quoniã enim ſuperius dubitabatur, cur cũ propoſuiſſet irrationales à rationalibus diſcernere, nũc irrationalẽ à ſeipſa diſcernit. Vt ergo oſtẽdat bonã eſſe, quæ ſuperius facta eſt, diſcretionẽ, propterea dicit horũ inter ſe cõmunionẽ: et hoc eſt ſecũdũ caput. Tertiũ eſt caput, in quo quærit, cur imaginatio dicitur. In quarto aũt capite quærit, cur ipſa nobis ab opifice data eſt. Incipiemus à primo, & dicemus, quid eſt imaginatio. Sed antea aliquid prius præſumamus, qđ nobis ad definitionem cõferat. Scire ergo oportet, quòd ſicut in ijs, quæ ſunt, hoc quidẽ ſolũ mouet: illud uerò ſolũ mouetur: alia aũt mouent, et mouẽtur: ſic eſt etiã in nobis. Solũ enim mouẽs eſt ſenſile: quod mouet & mouetur, ſenſus: mouetur enim à ſenſili: mouet autẽ imaginationẽ. Quod aũt ſolũ mouetur in irrationalibus, imaginatio: in nobis aũt à ſenſu mota mouet opinionẽ. His prius aſſumptis ſcire oportet, imaginationẽ eſſe facultatẽ ſuſceptricem per mediũ ſenſum ſenſiliũ formarũ. & hæc eſt definitio imaginationis. Statim aũt aduerſus eã ex ipſo limine dubiũ mouent: quòd hac ratiõe imaginatio nihil differt à cõmuni ſenſu. Nã & cõmu-*

niſ ſenſus eſt facultas ſuſceptiua ſenſiliũ formarũ per mediũ ſenſum. Si quis aũt dicat hãc definitionẽ cõmuni ſenſui nõ cõuenire: Ipſe enim abſq; medio nouit differentiam albi, & dulcis, ſimul ſenſibus operans, & non per mediũ ſenſum: Dicimus illi cõtra, quòd etiamſi ſimul ſenſibus operatur, ſed tamen nõ ea citra mediũ apprehendit: ſed à uiſu quidẽ albi typũ ſuſcipiens, à guſtu autẽ typũ dulcis, & iudicans dicit differentiã. Quare non cõuenit ei præſens definitio. Dicimus autem, quòd imaginatio quidẽ eſt ſuſceptiua formarũ per omnẽ ſenſum intermediũ, & cõmunẽ & particularẽ: Cõmunis aũt ſenſus per ſolũ intermedium particularem ſenſum eſt formarũ ſuſceptor. Hæc eſt itaq; differentia cõmunis ſenſus & imaginationis. & hæc eſt ſolutio. Quòd aũt uera eſt hæc definitio, & per intermediũ ſenſum imaginatio operatur, ex cæcis apertũ eſt. Qui enim ſunt à natiuitate cæci, de coloribus nihil penitus imaginãtur. Similiter et, qui ſunt à natiuitate ſurdi, de coloribus quidnam imaginentur? Clarum eſt ergo, quòd imaginatio ſemper per ſenſus intermedios operatur. Vnde & dubitare eſt operæpretiũ. Quid igitur? nonne qualiã effingit imaginatio, quæ ſenſus non nouit? hircoceruum uidelicet, & hominẽ uertice ad cœlũ pertingentẽ ſenſus quidẽ nõ nouit, & tamẽ imaginatio hæc effingit. Quare & effingit, quæ ſenſus nõ nouit, imaginatio, & ſine ſenſu operatur. Hæc eſt dubitatio, ad quã dicimus, qđ etiam quãdo effingit, principiũ ſumit à ſenſu. Quoniã enim ſeorſum uidit hircũ, & ſeorſum ceruũ, accepit hæc principia, quæ ſunt ſimplicia, & cõpoſitũ effinxit. Si autẽ etiã hominẽ effingit uel cœlũ attingẽtẽ, ſed prius nouit hominẽ, qui eſt in ſingularibus. Hæc ergo ita ſoluẽda dubitatio eſt. Et alioqui etiã rectè dixit, per mediũ ſenſum. propter id, quod intercedit. Nã & ipſum eſt ſuſceptiuum ſenſiliũ formarũ, ſed nõ per mediũ ſenſum. Ne putes aũt ſenſum propterea eſſe meliorẽ imaginatione, quoniã per ipſum imaginatio operatur. Nõ enim, ut imaginationis effectiuus, ſenſus ei cõducit, ſed ſolũ ut ſeruiẽs, ut id, quod intercedit. Quare nõ eſt melior. Eadẽ ratiõe dic & imaginationẽ eſſe meliorẽ opinione, quãdoquidẽ ea ſeruit opinioni. Atqui in cõfeſſo eſt opinionem eſſe meliorẽ, ut quæ ſit rationalis animæ, cũ imaginatio ſit irrationalis. Quãdo aũt dico imaginationẽ eſſe ſuſceptricẽ ſenſiliũ formarũ: ne putes et typos à ſenſilibus imprimi: à ſecũdis enim delerẽtur primi typi: ſed tantũ ratiões ſuſcipit. Ex eo aũt, quòd dictũ eſt imaginationẽ per ſenſum intermediũ operari, colligit Themiſtius, oſtẽdi imaginationẽ nõ ſolũ per ſenſus operari, ſed una cũ illis. Si enim, inquit, operãtibus ſenſibus ex eis typos ſuſcipit, nõ ſimiliter ac uas inanimatũ, ſed ſimul ac ſuſceperit, ea cognoſcit: imaginatio, ſcilicet, ſimul cũ ſenſu operatur, idq; in cõtextu Ariſtotelẽ dicere oſtẽdemus. Malè aũt dicit. Nõ enim, quãdo imaginatio à ſenſibus formas ſuſcipit, tũc & operatur: ſed poſtquam ceſſarũt ſenſus, tũc imaginatio operatur. Etenim, ſi ſimul cum ſenſu operaretur, quid à cõmuni ſenſu differret imaginatio? cõmunis enim ſenſus eſt, qui ſimul cũ ſenſibus particularibus operatur. Quãobrẽ imaginatio poſt ſenſus operatur. Oportet enim eũ formas à ſenſu ſuſcipere, & ſic operari. Si itaq; ſenſus nõ miſerint, nõ operatur imaginatio. Oportet ergo eã operari, poſtquã ceſſarint ſenſus. Et dubitari meritò poteſt: ecce fixis oculis ſolẽ aſpicio, & typũ ad imaginationẽ tranſmitto, & permaneo una alia hora ſolẽ cõtemplãs, & imaginatio interea operatur, dũ fixis oculis ſolẽ intueor: Verũ enimuero contẽplatio, ſecundũ quã formã miſi ad imaginationẽ, ceſſauit. Quare poſt ſenſum operatur imaginatio, & cõfirmatũ eſt, quod dicit Ariſtoteles. Et in his primũ caput cõplectur. Secũdũ eſt caput, in quo dicit, quid cõmune inter ſe habeãt imaginatio & ſenſus. Nũc aũt ſcire oportet, eadẽ habere ſenſilia imaginationẽ & ſenſum: & ſimiliter utraq; circa eadẽ uerſantur. Sicut enim habet ſenſus & cõmunia, & propria ſenſilia, & per ſe, & per accidẽs, ut iam dictũ eſt. ſic & imaginatio circa ea uerſatur. Et hæc eſt prima ſocietas. Secũda eſt ſocietas, quòd ſicut ſenſus ſemper quidẽ eſt uerus circa propria ſenſilia: minus aũt circa ea, quæ ſunt per accidẽs: & adhuc minus circa cõmunia: ſic & imaginatio. & hæ ſunt duæ ſocietates ſenſus, & imaginationis. Atq; hæc quidẽ Ariſtoteles. Duæ autem dubitationes iure moueri poſſunt, quarũ hæc eſt prima. Quomodo nũc dicit Ariſtoteles imaginationẽ circa propria ſenſilia ſemper eſſe uerã, cùm ipſe ſuperius dixerit, imaginationẽ non eſſe ſemper uerã, ſed aliquãdo etiã falli? Et hæc eſt quidẽ dubitatio, ad quã dicere poſſumus eſſe duplicẽ imaginationẽ: hãc quidẽ, quæ formas tantũ ſuſcipit, & eſt ueluti receptaculũ: illã uerò, quæ effingit, & depingit, quod uult. Quæ ergo formas ſuſcipit, ſemper uera eſt, & de ea uerũ eſt, quod hic dicitur, imaginationẽ ſemper eſſe uerã circa propria ſenſilia. Quæ aũt quicquid uult effingit, ea eſt, quæ fallitur. Quãdo enim ea, quæ non ſunt, effingit, fallitur. Et hac ratione ſuperius dicta uera ſunt, quòd imaginatio fallitur. Hæc eſt prima dubitatio, & eius ſolutio. Secũda dubitatio: Quomodo ſuperius dixit, circa communia ſenſilia magis uerũ eſſe ſenſum, quàm circa ea, quæ ſunt ſecũdũ accidens: nũc aũt cõtrariũ dicit, quòd circa ea, quæ ſunt per accidens, magis eſt uerus, quã circa cõmunia? Et hæc eſt quidẽ dubitatio. Vt aũt ipſum Ariſtotelẽ, nec ſecũ, nec cũ rebus ipſis pugnantẽ ſtatuamus, dubitationẽ ſic diſſoluemus: quòd ſunt, ut ſuperius etiã dictũ eſt, duplicia ſenſilia per accidẽs: & indiuiduæ ſubſtãtiæ, quæ nulli ſenſui penitus ſunt ſubiectæ, ſed ex ijs, quæ ſunt in ipſis, accidentibus intelligũtur: Vel eſt per accidẽs ſenſile, quod alij ſenſui ſubijcitur, ut uiſui dulce: Eſt enim per ſe guſtui ſenſile. Cùm ergo ſit duplex ſenſile per accidẽs, poteſt &, quod hic dicitur, eſſe uerũ, &, quod ſuperius dictũ eſt. Si enim per accidens ſenſile acceperit indiuiduas ſubſtãtias, uerum eſt, qđ ſuperius dictũ eſt. Magis enim uerus eſt ſenſus circa cõmunia ſenſilia, quàm circa indiuiduas ſubſtãtias. Quòd autem magis uerus eſt ſenſus circa communia ſenſilia, quam circa indiuiduas ſubſtantias, liquet ex hoc, quòd magis afficitur ſenſus à cõmunibus ſenſilibus. A cõmunibus enim ſubſtantijs nihil omnino patitur: à ſubſtãtia enim, quatenus ſubſtãtia, nihil patitur ſenſus: à cõmunibus aũt ſenſilibus patitur, ut iam oſtẽſum eſt. Diſgregatur enim à magna, & cõgregatur à parua magnitudine. Similiter & ab alijs patitur: À quo aũt afficitur ſenſus, hoc magis cognoſcit. Quod autẽ magis cognoſcit, circa illud uerus eſt. Circa cõmunia ergo ſenſilia magis uerus eſt ſenſus, quàm circa indiuiduas ſubſtãtias, & hac ratione uerũ eſt, quod ſuperius dicitur. Si aũt ſenſile per accidẽs acceperis aliud ſignificatũ eius, quod eſt per accidẽs, quod eſt alio ſenſu ſenſile: magis uerus eſt, quàm circa cõmunia ſenſilia. Hoc autẽ ſic oſtẽditur. Quod ei, quod eſt ſemper uerũ, eſt propinquũ, eſt uerius eo, quod nõ eſt propinquũ. Semper aũt uera ſunt propria ſenſilia. Quod autẽ eſt alio ſenſu ſenſile, eſt magis propinquũ, ut oſtendã, proprijs ſenſilibus, quã cõmunia ſenſilia. Magis ergo uerũ eſt, quod eſt alio ſenſu ſenſile, quàm cõmunia ſenſilia. Quòd aũt hoc eſt magis propinquũ, nõ eſt difficile uidere. Sciendũ enim, quòd neq; propria ſenſilia, neq;, quæ ſunt alio ſenſu ſenſilia, ſunt à materia ſeparabilia. Quare ſunt inter ſe propinqua, eo quòd à materia nequeant ſeparari. Neq; enim albedo, quæ eſt propriũ ſenſile uiſus, nec dulcedo, quæ eſt ꝓpriũ ſenſile guſtus, poteſt ſine materia intelligi. Cõmunia aũt ſenſilia poſſunt ſine materia intelligi. Iis enim à materia ſeparatis philoſophi mathematicas diſciplinas cõſtituerũt. ex cõmunibus enim ſunt ſenſibus mathematicæ diſciplinæ. Si ergo, quæ ſunt alio ſenſu ſenſilia, ſunt magis ꝓpinqua ꝓprijs ſenſilibus, quã cõmunia ſenſilia: Quæ autẽ ſunt magis propinqua ꝓprijs ſenſilibus, magis uera ſunt: Quæ ſunt ergo alio ſenſu ſenſilia, quod eſt unum ſignificatum eius,

quod eſt

*quod eſt per accidens, magis uera ſunt communibus ſenſilibus. Quare uerum eſt hoc, quod dicit, circa ea, quæ ſunt per accidens, ueriorem eſſe ſenſum, quàm circa communia ſenſilia. Et rurſus uerũ eſt, quod ſuperius dictũ eſt, circa communia ueriorem eſſe ſenſum, quàm circa ea, quæ ſunt per accidens. Sciendũ autem, cõmunia ſenſilia eſſe & craſſa, & exacta. Vt enim ab uno ſenſu cõprehenſa, ſunt craſſa: ut autẽ ab omnibus, exacta. Quòd autẽ uno ſenſu non exactè cognoſcuntur cõmunia ſenſilia, declarant præternauigantes, qui terrã moueri putant, nauigium autem ſtare. Ecce enim, circa id, quod quieſcit, errabant, hoc eſt terrã: & circa id, quod mouetur, hoc eſt nauigium, eo quòd hæc ſolo uiſu uoluerunt cognoſcere. Et eſt alioqui uidere nos circa quietem errantes. Quæ enim ſunt ſemper mobilia, aſtra ſtare putamus. Et circa numerũ etiã errat uiſus, exiſtimãs, quæ in diuerſis ſunt ſphæris, in una eſſe. Ecce enim dicimus lunã eſſe in ariete, uel in tauro: in alia autem ſphæra, nẽpe in primo mobili, eſt taurus: & in alia luna. Porrò & circa figurã, & magnitudinem erramus. Quæ enim ſunt procul, quadrangula, & magna, parua exiſtimamus, & rotunda, eo quod anguli non appareant. Sed dicet quiſpiam, quòd, quantũ quidẽ ad hoc attinet, nec ea, quæ ſunt per accidẽs, cognoſci poſſunt. Si enim dicis propter longinquitatem cõmunia cognoſci non poſſe, nec, quæ ſunt per accidens, propter longinquitatem uidebuntur. Quòd enim, qui procul accedit, albus eſt, ſcimus: quòd autẽ Theætetus, uel Socrates, neſcimus. Ad quod dicere poſſumus, quòd, quæ ſunt per accidens, ſolũ propter longinquitatẽ non uidentur: cõmunia autẽ ne ex propinquo quidẽ, ut ſunt, uidentur. Ecce enim dictũ rudentem, qui eſt rotundus, perpendiculariter contemplati, eum exiſtimamus eſſe recta extenſum. Iam & in pictura uidemus alba quidẽ eminentia, nigra uerò, ut inſculpta: & ideo mammas quoq; albas faciunt. Huius autẽ figuræ cauſa eſt. Solutũ eſt ergo & hoc: & in his ſecundũ caput cõpletur. Tertiũ caput eſt, in quo quærimus, cur imaginatio dicitur, & ea quidem græcè φαντασία appellatur, quia ſtatus eſt ſenſiliũ in imaginatiõe. Quia ergo ea eſt τῶν φανέντων στάσις, id eſt eorum, quæ apparuerunt, ſtatus, propterea græcè dicitur φαντασία. φανέντα autẽ, id eſt, quæ apparuerunt, dicit omnia manifeſta ſenſilia. Omniũ enim ſenſuũ typos ſuſcipit, ſed quia uiſus eſt omnibus melior, propterea ab ei ſubiecta luce nominata eſt. ἀπὸ τοῦ φάους, id eſt, à luce enim denominata eſt imaginatio: & in his tertiũ caput cõpletur. Quartũ eſt & ultimum contemplationis caput, in quo quærimus, cur nobis data eſt imaginatio, & quis eſt eius finis. Sciendũ eſt ergo, quòd irrationalibus quidem data eſt, uel, quòd ea habeant, quod cum ratione proportionẽ, & conuenientiã habet: uel, quòd per eã ſibi alimentũ parãt. Secundũ imaginationẽ enim operantes formicæ, prius parata ordei grana ſibi ad alimentũ recondũt. Rationalibus autẽ data eſt imaginatio, uel ut ſit efficacius & accommodatius corpus ad melioris ſuſceptionẽ. Niſi enim eſſet aptum ad ſuſcipiẽdã imaginationem, quomodo etiã rationalẽ animã admitteret? Et propter aliud data eſt nobis imaginatio, ut quando delirat ratio à quibuſdã affectibus obruta, habeamus eã adminiſtrantem: ut in morbis, in ebrietatibus, quia nõ poſſunt ferè ſecundũ rationalẽ animã operari, eo quòd non ſit aptum inſtrumentum. Et in his & quartũ caput, & contẽplatio, & ſecunda ſectio deo fauente cõpletur, in qua rationalẽ animam ab irrationali ſecreuit. In prima enim ſectione irrationalis animæ diſcrimen ad ſeipſam conſtituit. In hac autẽ præſenti ſectione, ut diximus, animã rationalẽ ab irrationali ſecreuit. in ſequenti autẽ ſectione animã rationalẽ congregat ad ſeipſam, & cogit. Sed quoniam eſt hoc moto, alterũ ab hoc moueri, ab eo, quod præſumitur, incipit, & dicit, quòd quoniam in his, quæ ſunt, eſt aliquid quod mouetur ab aliquo, & ab eo quod motũ eſt alterũ mouetur, id quoq; eſt in anima. Sicut enim uidemus in rebus, quod uectẽ quidẽ manus mouet: uectis autẽ lapidẽ: ſic ſenſus quidem à ſenſili mouetur: ipſe autẽ mouet imaginationẽ. Poſtquam enim ſenſus ſe ſenſili applicarit, & ſenſilis ipſe formã ſuſceperit, ipſam cõtinet, & ei formæ ſe applicat imaginatio, & hac ratione fit imaginatio, ut inquit Plutarchus. Vnde & eam definit animæ motum, qui ab eo ſenſu, qui eſt ſecundũ actũ, proximè excitatur. Ne dubitaueris autẽ, quomodo noctu fortè imaginamur hũc hominẽ, tunc non operãte ſenſu. Manet enim imaginatio habens typos à ſpectaculo, quod iam fuit, & propterea, etiã nõ operãte noctu ſenſu, imaginor. Illud autem, Sed quoniam eſt ad ſuperiora. Quoniã enim ſuperius dixit, nõ eſſe opinionẽ, ſenſum, nunc dicit: ſed quoniã mouetur à ſenſu imaginatio, ea fuerit facultas ſuſceptrix ſenſilium formarum per medium ſenſum.*

Sed ſentientibus, & quorum ſunt ſenſus. fieri autem poteſt motus ab operatiõe ſenſus.

*Oportet, inquit, ſentire, & ſic imaginari. Qui enim ſunt à principio muti, non imaginantur: & ideo dixit ſentientibus. Quare autem dixit: Et quorũ ſunt ſenſus? propter eos, qui non ſunt ex natiuitate quidẽ cæci: ſed uiſum amiſerunt circiter ſecundũ annũ priuſquã imaginati ſint. Ii enim non poſſunt de coloribus imaginari. Et ij ergo, quibus eſt ſenſus, ſi eum à principio amiſerint, non imaginantur. Quãobrẽ de ijs, quæ in uos nõ cadunt per ſenſus, non eſt imaginari.*

Et hanc eſſe ſenſui ſimilem neceſſe eſt: nec ſine ſenſu hunc motũ eſſe contingat: neq; non ſentientibus ineſſe, & multa per eam & facere & pati quod eam habet, & eſſe & vera & falſa. Hoc autem propter hæc euenit.

*Hic eſt ſecundũ caput, in quo dicit, quid commune habeant imaginatio & ſenſus, cum nondũ definierit, quid eſt imaginatio. Vnde rurſus recurrit, & eã definit, & ſic rurſus latius, in quo nam ſocietatem habeãt, dicit. Nunc itaq; dicit neceſſe eſſe, ut imaginatio ſit ſimilis ſenſui, eo quod fieri non poteſt, ut ſit ſine ſenſu imaginatio, quæ eſt circa ſenſilia. Rectè autem additur, Cõtingat, ne quis putet, quòd non contingat ſine ſenſu imaginari: hoc enim neceſſario ſequitur. Et multa per eam & facere & pati, quod eam habet. Rectè dixit, Multa: non enim omnia faciunt ſecundum imaginationem: ſed, quæ eam habent ſine ratione, ſecundũ eã agunt. Vt formicæ per eã impelluntur, ut nutrimentũ cogant. Sed neq; ſemper patimur ſecundum imaginationem. Quando enim coeuntes ſemen emittimus nihil prius imaginati, ut aliquando nobis in ſomnis accidit, tunc non ab imaginatione patimur. Rectè ergo dixit, quòd neq; facimus, neq; patimur omnia per imaginationem, & uide, quòd priuſquam compleuerit, in quibuſnam inter ſe conueniant, quis eſt finis imaginationis, percurrit. Et eſſe uera & falſa. Ad ſocietatẽ rurſus reuertitur. Dicit ergo, quòd ſocietatẽ habẽt ſenſus, & imaginatio in eo, quod eſt uerũ eſſe, & falli. Quòd autẽ hanc habent ſocietatẽ, id illis euenit, quòd habeant eadem ſenſilia, & ea ſimiliter apprehendant.*

Senſus propriorum quidem verus eſt, vel quàm minimum falſi habens.

*Nunc tutius dixit quàm ſuperius dixerat. Superius enim dixit ſenſum nõ omnino falli circa propria ſenſilia. Hic autẽ dicit eum aliquãdo etiam falli. Cur autem dicit ſenſum parum habere falſi circa propria ſenſilia? Propter eorũ paruitatẽ: nigri enim guttam multo albo cõmixtã non poteſt diſcernere.*

Secundum autẽ eſt eius, cui hæc quoq; accidunt, & hic falli contingit.

*Secunda ſenſilia, inquit, quæ ſunt per accidẽs. Et dubitamus, ſi per accidens ſenſilia ſubſtantias eſſe dicimus, quomodo dici-*

*mus eas accidiſſe, cum ſint ſubſtantiæ? Dicimus nihil eſſe abſurdi. Quo enim modo dicimus, Accidit domino eſſe hominē, eodē modo & nūc dicimus ſubſtātiā accidere coloribus. Ecce enim illic hominē, qui eſt ſubſtātia, dicimus accidiſſe domino, quod eſt accidēs, præter naturā prædicātes. Et hic autē dixit, pro eo quod eſt, in imaginatione. Nam & in ea ſunt ſenſilia per accidens.*

Quod enim albū, non fallitur: ſi autem hoc albū, vel aliquid aliud, fallitur.

*Hic rurſus de ſenſu diſſerit. Quod enim eſt album, nouit uiſus. Eſt enim album uiſus proprium ſenſile. circa propria enim ſenſilia eſt omnino uerus: cuius autem eſt hoc album, utpote cuius indiuiduæ ſubſtantiæ, nunquid Cleonis, uel Alcibiadis, fallitur: neq; enim nouit hoc albū ab ſit Cleonis, etiāſi nouit, quòd eſt ſimpliciter album.*

Tertium autem cōmuniū, & eorū quæ ſequuntur accidētia, quibus inſunt propria. Dico autem, vt motus, & magnitudo, quæ ſenſilibus accidunt, circa quæ eſt maximè decipi ſecundum ſenſum.

*Tertium, inquit, ſenſile cōmunia ſunt ſenſilia. Deinde uolēs declarare quænā dicit, inquit, Ea quæ ſequuntur ſenſilia per accidens, in quibus & propria inſunt. Per accidens enim ſenſilia eſſe dicebamus indiuiduas ſubſtantias. In indiuidua autē ſubſtātia eſt motus, magnitudo, & alia cōmunia ſenſilia, ſicut & propria. Color enim in indiuidua ſubſtantia.*

Motus autē, qui fit ab operatione, differet à ſenſu, qui eſt ab his tribus ſenſibus.

*Hic dicit ſecundū quod eſt cōmune ſenſus, & imaginatiōis. Legēdū eſt autē, quod hic dicitur, in hyperbato. Motus, inquit, qui fit à ſenſu, qui eſt ſecundū operationē, hoc eſt imaginatio, quæ ab his tribus dictis ſenſibus excitatur, ſenſu propriorū, & ſenſu per accidens, & ſenſu cōmuniū: Hæc ergo, inquit, imaginatio differet ab omnibus ſenſibus, ex quibus facta eſt: ſiquidem manifeſtū eſt aliud eſſe id, quod omnino fit præſenti ſenſili, ab eo, quod aliquādo etiā abſente. Habet autē, inquit, uerū & falſum iuxta ſenſuū proportionē, & cōuenientiā. Sicut enim in illis, qui dictus eſt primus propriorū ſenſilium, uerus eſt: ſic & imaginatio tali m[illegible]è ſenſu præſente uera fuerit: ſicut duo, qui reſtant, ſenſus, & ſenſus per accidēs, & ſenſus cōmunium, ſunt aliquādo quidem ueri, aliquādo uerò falſi: ſic itaq; habeāt & quæ ſunt ex illis, imaginationes, ſiue ſint præſentes ſenſus, ſiue non.*

Et primus quidē præſente ſenſu verus. alij autem, & præſente, & abſente ſenſu, falſi fuerint: & maximè, quando ſenſoriū procul fuerit. Si ergo nihil quidem aliud habent, quæ dicta ſunt, quàm imaginationem: hoc eſt autē, quod dictum eſt: imaginatio fuerit motus à ſenſu, qui eſt ſecundm actum.

*Ex hoc dicto colligēs Themiſtius dixit, quòd ſimul cū ſenſu imaginatio operatur: quia dicit præſente ſenſu uerā eſſe imaginationē. Si ergo nihil aliud habēt, quæ dicta ſunt, quā imaginationē: Imaginatio autē eſt, quæ habet, quæ dicta ſunt: quæ quidē eius cōplent ſubſtantiā: dico autē definitionē: Imaginatio, ſcilicet, eſt motus, qui fit à ſenſu ſecundū actū: & cōſidera, ubi imaginationem definierit, cùm tot & tanta interea dixiſſet.*

62 Quoniā autē viſus eſt maximè ſenſus: nomē quoq; φαντασία id eſt imaginatio, ἀπὸ τοῦ φάους id eſt, à luce accepit: quia ſine luce non eſt videre: & quoniam permanet, & eſt ſimiliter ac ſenſus.

*Hic uult imaginationis dicere etymologiam.*

Multa ſecundū eā agūt animalia. Hæc quidem, quòd nō habeant intellectum, vt bruta.

*Poſtquam dixit, cur imaginatio dicatur φαντασία: uult etiam dicere, cur data ſit nobis. Hæc quidē, quòd non habeant intellectum, ut bruta. Sciendū, quòd id, quod eſt in nobis intellectus, hoc in irrationalibus eſt imaginatio. Nos enim à ſenſilibus abducti, per intellectū operamur. Irrationalia autē per imaginationē, ſenſilia enim celeriter ſeparantur. Intellectus autē, & imaginatio ſemper eſt in iis, quæ habent. Imaginationem autē duplicē arbitratur Plutarchus, & eius quidē finis, qui eſt ad ſuperiora, ſeu eius principiū eſt finis cogitatiuæ facultatis. Alius autē eius finis eſt uertex, ſeu cacumen ſenſuū. Imaginatio ergo intellectui, & cogitationi nihil cōfert: ſed etiā cōtra ab intellectu, & cogitatiōe expurgatur, &, quod eſt eius imperfectum, ab illis perficitur: ſed & ab illis ad ueritatem deducitur: quatenus natura aptū eſt habere ueritatē. Vnde imaginatio & ubiq; ſequi uult, & una cōmoueri, rationis, & ueritatis uolens eſſe particeps. Admirabilis autē Plutarchus pulchrū ipſum exēplū quoq; dixit. Vnde id etiā eſt operæpretiū referre. Dicit enim, quòd ſicut ſunt duæ lineæ, quæ in uno pūcto ſe inuicē attingūt, ſic eſt ſuperior pars imaginationis, quæ cogitatiuæ facultati cōnectitur. Sicut enim ille pūctus & idem eſt, & alius: idem quidē, ut unus: alius autē, eo quòd & cū ſuperiori recta accipi poteſt, & cū inferiori: ſic imaginatio poteſt ut unū, & ut duo accipi: eo, quòd ſenſiliū quidē, quod eſt diuiſum, in unū cogit: quod autē diuinorū eſt ſimplex, &, ut dixerit quiſpiā, ſingularum, in typos quoſdam, & diuerſas formas effingit & exprimit.*

Illa verò, quòd nōnunquā intellectus obtegatur & obruatur affectu, vel morbis, vel ſomno, vt homines. De imaginatiōe ergo quid ſit, & quam ob cauſam ſit, hucuſq; dictū ſit.

*Rectè dixit, Obtegatur: in nobis enim ſemp eſt intellectus, & operatur. Occulatur autē nōnunquam propter morbū, uel iram, uel ebrietatē: ea enim ipſum obſepiūt, & intercludūt, ut cognoſci nō poſſit eius operatio. Si autem hæc ita habent, ſatis clarum eſt eum opinari eſſe immortalē animā rationalem. Non enim dixit eam in delyrio pati, ſed obtegi. Et in his, dei gratia, ſecunda ſectio, & praxis completur.*

LIBER III ter

De particula autem animæ, qua & cognoſcit anima, & eſt ſapiens & prudēs, ſiue ſit ſeparabilis, ſiue non ſeparabilis ſecūdū magnitudinem, ſed ſecūdū rationem, cōſiderādum, quam habet differentiā, & quonam modo ſit intelligere.

*Poſtquam animā irrationalem à rationali diſcreuit: nunc aggreditur ipſam animam rationalem à ſeipſa diſcernere. Itaq; in rationali tria quærit. Primum quidem, an ſit corruptibilis, uel incorruptibilis. Secundò autem rationalem animam diſcernit à ſenſu. Nec dubites, quomodo, cùm ſuperius diſcreuerit ſenſum ab anima rationali, nunc hoc rurſus facit. Quoniam enim ei confert hæc diſcretio, ad oſtendendū, quòd eſt æterna rationalis anima: eā propterea dicit. Deinde tertium caput quærit, quomodo ſit intelligere. Præſens autē conſideratio duo prima capita quærit. Incipit autē à ſecundo capite: id eſt, à differentia rationis, & ſenſus: eo quòd ipſa confert, & argumenti rationē obtinet ad oſtendendū, quòd eſt immortalis anima rationalis. Volens autē urgentē facere differentiā, primū dicit, in quo cōueniant ratio, & ſenſus. Nec dubites, quòd, cùm ſuperius dixerit, quid cōmune habeāt, hoc quoq; nunc dicit. Scias enim, quòd eorū etiā cōmunio, et ſocietas cōfert ad oſtēdēdū immortalē animā. Incipit ergo à cōmuniōe rationis, et ſenſus. Et primā quidē*

cōmunionem

cõmunionẽ dicit, ꝙ ſint ambo potẽtia, & ratio, et ſenſus: & qd' nec anima habet rationes intelligibiliũ: nõ pictæ enim tabulæ ſimilis eſt ſecũdũ Ariſtotelẽ: nec ſenſus habet ratiões ſenſiliũ: ſed typos tantũ, & formas ſuſcipit. Senſus enim ſenſile non apprehẽdit, ſed typũ aliquẽ ſenſilis. Subſtantiã enim nõ aſſequitur ſenſus. Rationalis uerò anima, & ſi intelligat ſubſtantiã, ipſa tamẽ nõ habet typos intelligibiliũ. & hæc eſt prima cõio. Secũda cõmunio. Si eſt potẽtia & rationalis anima, & ſenſus. ſed rationalis quidẽ ſecundũ aptitudinẽ: ſenſus uerò ſecũdũ habitũ: ſed ambo tamẽ potẽtia. Si ergo ſunt omnino potẽtia, per affectionẽ ueniunt ad operationẽ. eſt ergo in eis cõe, ꝙ afficiũtur, ſeu patiuntur. Sed quoniã affici, corruptibilẽ oſtenderet rationalẽ animã, propterea dicit, ꝙ afficiũtur affectione, quæ ea perficiat, nõ corrũpat. Nõ enim ſecundũ ſubſtantiã afficitur, ſed ſecundũ operationẽ. Cognitio enim eſt mẽtis operatio, quæ mutatur ab eo, qd' eſt potentia, in id, qd' eſt actu. Et hæc eſt tertia cõio, ꝙ ambo habeãt perfectiuos affectus. ſed, ut ex cõione intelligas æternitatẽ animæ, ſciendũ eſt animã ꝓpriè magis affici perfectiua affectione, q̃ ſenſum. Senſus enim corrumpitur ob exceſſibus: anima aũt magis ab exceſſibus exercetur: quod eam declarat immortalem. Neq; enim unquã corrumpitur. Hæ ſunt quidẽ cõiones. Differt aũt ſenſus ab anima rationali, ꝙ ſenſus quidẽ circa magis ſenſilia operãs, circa minora hebetatur. Rationalis aũt anima circa ea, quæ magis ſunt, operãs, circa minora plus operatur. Vt ſi uiſus immoderatũ uiderit albũ, uel labyrinthi ſpeciẽ præ ſe ferentem figurã, ex iis afficitur, & minus albũ nõ apprehendit: intellectus uerò, etiãſi circa magna operetur, in iis exercetur, et circa minora magis operatur. Et quæ eſt huius cauſa? Quoniã ſenſus quidẽ eget corpore, nec ſine eo operatur. Et quoniã id ab exceſſibus uel cõgregatur, uel diſgregatur, & afficitur, ꝓpterea circa minora operari nõ põt. Intellectus aũt corpore non indiget, ut, illo affecto, afficiatur: ſed circa præſtãtiora exercetur: & minora facilè apprehẽdit. Porrò id quoq; animæ æternitatẽ ꝓclamat. Ex ſenſus itaq;, & animæ differẽtia oſtenſa eſt æternitas. Oſtẽdemus aũt ꝓprio quoq; argumẽto eſſe animã æternã: qd' erat primũ caput. Si omnia intelligit anima, eſt æterna. Neq; enim, ſi ſit corpus, põt omnia intelligere: nec ſi forma materialis. Si eſt enim corpus: eſt omnino tẽperatura quædã calida, uel frigida. Tẽperatura aũt nõ intelligit ſimiles temperaturas. Ergo ſimiles tẽperaturas nõ intelliget. & nõ erit omnia intelligens. Nã & tactus dicebatur nõ apprehendere, qd' eſt ſimiliter frigidũ, uel calidũ. Atqui eã dicis formã materialẽ: eãq; uti inſtrumẽto corpore. Sed ſi ipſo utitur inſtrumẽto, inſtrumẽtũ nõ intelliget: & rurſus fiet, ut nõ omnia intelligat. Si autem & ipſum intelligit, alio opus erit inſtrumẽto, idq; in infinitũ. Et alioqui inſtrumẽtũ cõfert illi, cuius eſt inſtrumẽtũ. Corpus autẽ animã impedit ad operãdũ. Nõ eſt ergo eius inſtrumẽtũ. Quoniã ergo hoc quoq; dictũ eſt, in hic cõtẽplatio, deo adiuuãte, cõpletur. De parte aũt animæ, qua anima et cognoſcit. Nõ põt ex hoc colligi id, quod dicit Plutarchus, oẽs animas eſſe unã ſubſtãtiam multis facultatibus præditã. & hoc eſſe uerum, declarat, ꝙ ipſe dicit unã partẽ animæ rationalẽ. Partẽ enim nũc dicit hoc modo. Quoniã enim multa ſunt, quæ cõferũt ad conſtitutionem corporis, dicit, ꝙ hæc quoq; una eſt eorũ, quæ corpori cõferũt, pars animæ, id eſt anima rationalis. Qui enim poſſet dicere unã ſubſtantiã multis facultatibus præditam, cùm animam poſuerit corruptilem, & incorruptilẽ? Eiuſdem aũt ſubſtantiæ non põt hoc quidẽ eſſe corruptile: illud uerò incorruptile. Sic ergo aduerſus eũ dicere poſſumus. Ita etiã aduerſus Alexandrũ: Vide, quomodo intellectũ partẽ dixit animæ. Quando ergo dicit intellectũ æternũ, ne dicas eum dicere intellectum, qui exterius aduenit: cũ enim dicit, qui eſt in nobis. Sciendũ autem ꝙ intellectus tria quædam ſignificat apud Ariſtotelem. Hæc autem tria aliter quidem dicit Alexãder Aphrodiſeus: aliter uerò Plutarchus. Sed Alexãder quidẽ primũ dicit ſignificatũ intellectus, intellectũ, q eſt potẽtia: q quidẽ eſt in pueris. In pueris enim eſt intellectus potẽtia. Secũdũ intellectus ſignificatũ, eſt intellectus ſecũdũ habitũ q eſt in perfectis hominibus. Perfecti enim homines, rerũ deincept cognitionẽ habẽtes, intellectũ ſecũdũ habitũ habere dicũtur. Tertiũ eſt ſignificatũ intellectus, qui eſt actu intellectus: qui exterius accedit: qui eſt omni ex parte ꝑfectus: qui nõ eſt ſecũdũ habitũ, uel ſecũdũ id, qd' eſt potẽtia, ut etiam ſit ſimplex, ut qui ſemp eſt actu, qui omnia gubernat. Hæc ſunt tria intellectus ſignificata ſecũdũ Alexãdrũ. Plutarchus autem hæc nõ admittit: ſed aliter dicit ſignificata intellectus. Dicit enim, primũ quidem ſignificatũ intellectus, eſſe intellectũ ſecundum habitũ, qualis eſt in pueris. Vult enim Plutarchus ſecundũ Ariſtotelẽ pueros rerũ habere rationes: & rationalem animã omnia ſcire: & diſciplinas nõ eſſe propriè diſciplinas, ſed reminiſcentias: & ꝓpterea dat in pueris intellectũ ſecundũ habitũ, & rerũ habentẽ rationes. Sed res, inquit, ignorant, ꝙ diſciplina egeant, quæ diſciplina eſt reminiſcentia. Secundũ intellectus ſignificatũ eſt intellectus, qui eſt ſecũdũ habitũ, & ſecũdũ actũ, ut eſt intellectus in perfectis hominibus. In iis enim eſt & ſecũdum habitũ, & ſecũdũ operationẽ. Res enim iam didicit, & cognouit, & eas per diſciplinã ueluti in memoriã redegit. Tertiũ ſignificatũ eſt, intellectus, qui eſt ſecũdũ actũ tantũ, cuiuſmodi eſt intellectus exterius adueniẽs, q eſt perfectus. Hæc ſunt tria intellectus ſignificata ſecũdũ Plutarchũ. Ammonius aũt utrũq; reprehẽdit, Alexandrũ, & Plutarchũ, dicẽs utrunq; admiſiſſe et propriũ, & cõmune erratũ. cõmune quidem, ꝙ tertium intellectus ſignificatũ dixerũt, intellectũ ſecundũ operationẽ, qui eſt exterius, qui eſt, ut uerbo dicã, deus. Neq; enim Ariſtoteles nũc loquitur de intellectu, qui eſt exterius, cùm non Theologicum tractatũ inſtituerit. & alioqui nunc de intellectu uerba facit, qui intellectus eſt pars animæ. Incipiẽs ergo dicit de parte animæ, quæ intelligit, & cognoſcit. Si ergo nũc dicit de intellectu, qui eſt pars animæ, quomodo hic ſignificat eũ, qui eſt exterius, intellectũ? Qui autẽ eſt exterius, is nõ eſt pars animæ. Et quòd hunc intellectum, qui actu eſt, ex intellectu, qui eſt in nobis potentia, dicit fieri, inferius oſtẽdit. Qui autẽ exterius accedit intellectus, non eſt ex intellectu, qui eſt in nobis potentia. Si autẽ dicãt, quòd, quando dicit intellectum omnia intelligere, de intellectu, qui exterius eſt diſſerit: in hoc quoq; falluntur. Qui enim eſt in nobis, potentia intellectus, habet omniũ intelligentiã: ſicut et adumbratio in imagine habet omniũ typos, licet nõ apertos, omnium, quæ ſuſceptura eſt. Et intellectus ergo habet omniũ intelligẽtias, etiamſi nõ apertas. Quãdo aũt intellexerit, tũc apertæ fiũt. Quòd aũt, & quã dixit partẽ animæ, eam dicit æternã, inferius declarat, cùm dicit. Hæc aũt ſola pars animæ, rationalis, ſcilicet, eſt æterna, & nõ aliæ. Vterq; ergo cõmune hoc erratũ admiſit. Seorſum aũt unuſquiſq; ſic errat. Alexãder quidem, quòd nihil dictioni cõtextui uult addere: ſed eum ſemper ſequens, in contradictiones quoq; nũc incidit. Accepta enim ex cõtextu occaſione, putat ipſum intellectũ, & eius ſubſtãtiã eſſe potẽtia: et nõ dicit, ꝙ ſecũdũ eius operationes eſt potẽtia, quẽadmodum, qui eſt in pueris, intellectus, eſt ſecundũ nos potentia, eo quòd rerum formas nondũ nouit: habet autẽ aptitudinẽ ad eas cognoſcẽdas: & ſic eſt potentia, eo ꝙ eius actus nondum nouit ea, quæ ſunt. Alexãder autẽ ipſum intellectus ſubſtantiam dicit eſſe in pueris potentia: & hoc confirmat dicens, quòd intellectus eſt potentia. Si autẽ eſt potẽtia, ſecundũ aptitudinem ſcilicet, nõ habet formã, ſed eſt tãtũ materia. Quicqd enim eſt primum potẽtia, eſt in materia. Intellectus ergo eſt materia: & formam non habet: ne à forma perturbata, ad propriæ formæ cognitionem tendat, & formas ſibi contrarias non cognoſcat.

Sicut enim perſpicuũ eſt coloris expers, ut nullo penitus retento, & citra omnẽ auaritiæ notã, colores ſubminiſtret: ſic & intellectus, inquit, eſt formæ expers, ut oẽs formas cognoſcat. Hæc quidẽ Alexander: ualde autem errat. Si enim propterea eſt formæ expers, ut omnia, quæ ſunt, cognoſcat: certè ſi eã rationem oportet extẽdere, neq; uſquam ulla ratione eſſe deberet. ſcit enim & id quod nullo modo eſt. Et nõ ſolum ex hoc Alexandrũ ſubuertimus, ſed & ex ipſo Ariſtotele. Ipſe enim Ariſtoteles animã formam formarũ dicit. & hoc eſt propriũ Alexandri erratum, quòd intellectũ formæ expertem dixit. Dicit enim, potentia eſſe eius ſubſtantiã in pueris. Quod eſt autẽ potentia, eſt formæ expers. Plutarchi autẽ proprium eſt erratum, quòd, quæ ſunt Platonis, Ariſtoteli tribuit. Eſt enim Plato, qui exiſtimat puerorũ mentẽ eſſe ſecundũ habitũ, & rerum habere rationes: non autẽ Ariſtoteles. Plutarchus autem exiſtimat ipſum quoq; Ariſtotelem hæc dicere. Qui fieri autẽ poteſt, ut non fallatur, cùm id Ariſtoteles refellat? Puerorũ enim intellectũ dicit nõdũ pictæ tabulæ eſſe ſimilẽ, eo quòd ſit aptus ad rerũ rationes ſuſcipiendas, nõ adhuc autẽ ſuſcepit. Quare & cõmuniter, & ſeparatim errãt Alexãder, & Plutarchus. Age ergo nos ueritatẽ dicamus. Sciendũ ergo, nos opinari intellectũ eſſe formã. eſt enim intellectus puerorũ, forma, qui potentia formarũ eſt ſuſceptor. Et quatenus quidẽ forma eſt, nõ eſt potẽtia, ut uidetur Alexandro: Quatenus autem eſt potentia formarũ ſuſceptor, non habet rerum rationes, ut Plutarcho uidetur. Dicamus ergo deinceps ſignificata intellectus. Primũ quidem ſignificatũ, eſt intellectus potentia ad res, ſicut eſt in pueris. Eſt & intellectus ſecundũ habitũ, qui res ſcit, ut in perfectis, qui res ſciũt, quieſcũt autem, & ſecundũ eas nõ operãtur. Tertiũ ſignificatũ eſt, intellectus, non qui exterius quidẽ uenit, ut illi arbitrantur, ſed eſt ſimul ſecundũ habitũ, & operationẽ, ſicut eſt intellectus perfectorũ, qui res ſciunt, & cognitionem tractant, & ſecundum eam operantur. Sic nos ergo dicimus ſignificata intellectus. De particula autem animæ: qua anima cognoſcit, & eſt ſapiens, & prudẽs. Intellectum appellat particulã animæ, nõ quòd ſit minima pars animæ: Sed ut ſi quis uniuerſum mundũ enumerauerit, & cum iis ſolẽ quoq; ſtatuerit, deinde poſtremò dicat ſolẽ eſſe uniuerſi particulã. Rectè aũt dixit, qua anima cognoſcit, & eſt ſapiens & prudens. Anima enim & cõtemplatiuam habet partem, & actiuã: & per id quidẽ quod dixit, Qua eſt ſapiens, & prudens, actiuã eius partem declarauit: per id uerò quod dixit, Qua cognoſcit, contemplatiuã. Quid autem uult dicere, quòd de ea parte animæ, qua cognoſcit, & eſt ſapiẽs, & prudẽs, quærere oportet an ſit æterna uel non, ſiue ea ſit ſeparabilis, uel nõ ſeparabilis ſecundũ magnitudinẽ, ſed ſecundũ rationẽ? Quidam autem præſentem contextũ ſic ſunt interpretati, ſiue ſit intellectus à corpore ſeparabilis, ſiue nõ à corpore ſeparabilis, ſed ſolo ſit mentis cõceptu ſeparabilis, nõ autem etiam actu. Hoc eſt ergo primum problema, ſeu diſputabilis quæſtio: An ſit intellectus ſeparabilis, & æternus. Plutarcho autem nequaquã placet præſens interpretatio: ſed eam quoq; ualde damnat. Ipſe autem interpretans inquit, quòd Ariſtoteles uolens dicere, ſiue ſit intellectus ſeparabilis ab imaginatione & ſenſu, ſiue eſt una ſubſtãtia, quæ ante intellectũ quidẽ ſtatuit imaginationem & ſenſum, ſola autem ratione multa ſunt, hæc dicit. Quòd enim ad ea reſpexit, ex hoc clarũ eſt, quòd & ipſe nuper de his ceſſauit diſſerere. Neq; enim, an ſit à corpore ſeparabilis, an non, quærit. Qui enim imaginationẽ à corpore ſeparatã eſſe dedit, quomodo de intellectu, qui omnes tranſcẽdit facultates, dubitare poſſet an ſit à corpore ſeparabilis, an non? Magnitudinem autem accepit ſubſtantiã. Quare hæc eſt quoq; prima quæſtio: an ſit intellectus ſubſtãtia ſeparabilis ab imaginatione & ſenſu, an ſit una omniũ ſubſtantia, & ſola ratione differunt. Quoniã autem meminit Ariſtoteles immixti, & impaßibilis, & ſeparabilis, ad oſtendẽdũ, q̃ eſt anima immortalis: Alexander hæc tria corrũpit. Primũ quidem, Immixtũ. Dicit enim, eũ immixtã dicere animã, quoniã lex eſt in iis, quæ miſcentur, ut primũ quidẽ per ſe ſint, & ſic cõmiſceantur. Ecce enim, in mulſo primũ quidẽ erat mel per ſe & uinũ, & ſic deinde coniuncta ſunt. Quoniã ergo non prius quidẽ per ſe exiſtens anima, corpori cõmixta eſt, ſed ſimul cũ generatione corpori cõmixta eſt: propterea immixtam dicit animã. Impaßibilẽ autẽ, inquit, dicit, quoniã nõ ipſa animæ aptitudo paſſa eſt, ſed corpus ſecundũ aptitudinẽ. Quoniã autẽ affectionem, ſeu paßionem dicimus, q̃ patiatur aptitudo: nũc autem nõ paſſa eſt: propterea ipſam dicit impaßibilẽ. Separabilẽ autẽ, inquit, eã dicit ſecundũ alteritatem, qua ratione omnino differt à corpore, uocans eã ſeparabilem. Hic autem malè dicit. Qua enim ratione oſtendit animã rationalem, immixtã, impaßibilem, ſeparabilem, eadẽ ratione in ſenſu quoq; oſtendi poteſt. Nũc autem à ſenſu rationẽ diſcernẽs, hæc dixit ineſſe rationali animæ. Non ergo ſenſui quoq; inerũt. Tu autẽ hæc, tanquã animæ æternitatem ſignificent, & nõ ut Alexãder. Si enim eſt æterna, omnino eſt & à materia immixta, & ab ea inſeparabilis, & impaßibilis. & hæc quidẽ obiter. Præſens autem dictionis cõtextus; ut diximus, dicit obiter primũ caput in enumeratione, ſiue eſt incorruptibilis anima, uel non, conſiderandũ quã habet differentiam, & quomodo ſit intelligere. Ex hoc quidẽ quod dicit, Quã habet differentiam, ſecundum caput enumeratur: in quo uult dicere differentiam rationis, & ſenſus. Ex eo autem, quod dicit, Quomodo ſit intelligere, tertium dicit caput.

Siquidem intelligere eſt ſicut ſentire, vel aliquid pati fuerit à ſenſili, vel aliud tale. Oportet ergo id affectione vacare.

Hic incipit à communionibus rationis, & ſenſus. & uidetur quidẽ à ſecũda cõmuniõe incipere: q̃ ambo patiũtur, etſi inordinatè. Oportebat enim eã, quæ eſt ex illo, qđ eſt potẽtia, præcedere. ex ea enim fit ſecũda cõmunio. Si enim ambo potẽtia: Quod autẽ eſt potẽtia, ut actu ſit, paßione, ſeu affectione opus habet: propterea & pati quoq; cõmune habẽt. Sed dici poteſt, q̃ à prima cõmunione incepit. Poſtquã enim dixit, quòd intelligere eſt ut ſentire: ſentire autem potentia: & intelligere ergo potentia. Inferius autem apertè dicit hanc cõmunionem. Eſt autem, ut ſummatim dicã, eius, quod hic dicitur, ſentẽtia. Si eſt ſicut ſenſus intellectus, pro eo, quod eſt, ſi ſuppoſueris intellectũ eſſe ſimilem ſenſui, omnino intellectus aliqđ fuerit patiẽs ab intelligibili, ut ſenſus patitur à ſenſili. Si autem nõ patitur ab intelligibili, aliud quid tale eſt, pro eo, quod eſt, impaßibilis. Quoniã enim durum eſſe uidebatur dicere, pati aut affici rationalẽ animã. ꝓpterea dixit, uel tale aliud, id eſt, affectio & paßio, quæ perficiat, & nõ quæ corrũpat. Deinde tanquã de ratiõe ſuũ iudiciũ afferẽs, infert, Oportet ergo eſſe impaßibile. Quare aũt additur illud, Ergo? non q̃ formarum eſt ſuſceptiua rationalis anima, propterea colligitur, eam eſſe impaßibilem, & affectionibus non obnoxiam: hoc enim non ſequitur. ſed quia dixit, Vel aliquid tale patitur, perfectiuã, ſcilicet, & paßionem, & affectionem: propterea collegit, quòd, quo ad hoc, eſt impaßibile.

Suſceptiuum autem eſſe formæ, & potẽtia tale, ſed nõ hoc. & ſimiliter habet, ut ſenſitiuũ ad ſenſilia, ſic intelligens ad intelligibilia.

Hic falſus eſt Alexander, & exiſtimauit eum eſſe formarum ſuſceptiuum: Dico autem intellectum, & eſſe potentia, ſed non hoc: id eſt, non formam. Malè autem accepit illud, ſed non hoc. Oportet autem illud, Sed non hoc, intelligere, ſed non actu hoc: quod intelligit, ut ſuperius diximus. Habet enim formam, uel potius forma eſt intellectus: ſed formam, quam

cognoſcit

*cognoſcit, non habet actu, ſed potentia. Potentia enim eſt intellectus intelligibilia, & ſenſus ſenſilia, & non actu.*

4 Neceſſe eſt ergo, quoniã omnia intelligit,
eſſe impermixtum, ſicut dixit Anaxagoras, vt
contineat, id eſt, vt cognoſcat.

*SI uis, inquit, intellectũ omnia intelligere, eũ à materia impermixtũ præſupponere oportet. Si enim dixeris eũ ex materia, ipſam nõ intelliget. Certè & ob eã cauſam tactus, quod eſt ſibi ſimile, calidũ nõ apprehẽdit. Propterea autẽ & Anaxagoras, cùm omnia eſſe ex ſimilaribus diceret, intellectũ ex ijs non ſuppoſuit, ut omnia cõtineat, id eſt, ut omnia cognoſcat. Apud Anaxagorã enim κρατεῖν, id eſt continere, eſt apud Ariſtotelẽ cognoſcere. et meritò ea, ex quibus eſt aliquid, ipſum nõ cognoſcit. Alterũ enim eſſe uult id, quod cognoſcit, ab eo, qđ cognoſcitur. Alexander autẽ rurſus aliter intelligit. Ait enim, ꝙ ſi omnia intelligit, eſt formis impermixtus, & formam non habet. Nos autẽ cũ adiecta circunſtantia dicimus, eũ eſſe formis impermixtum, quas cognoſcit. Nã & ipſe ex ſeipſo quoq; forma eſt. Ad hæc autẽ dixerit Alexãder. Si ſecundum uos intellectus eſt impermixtus ijs formis, quas cognoſcit: quoniã & ſeipſum cognoſcit: dicitur autẽ ipſe eſſe forma: ergo & ſeipſo eſt impermixtus intellectus: quod eſt abſurdũ. Nos autẽ ei dicimus: quòd ut intelligẽs, ab eo, quod intelligitur, eſt impermixtus, & alius.*

Quòd enim intus apparet, alienum arcet,
5 & intercludit. Quare fieri non poteſt, vt eius
ſit alia natura, quàm hæc.

*Quid dicit? Quòd, ſi eſſet intellectus ex materia, ipſa materia intus apparẽs, & intercludens, prohiberet ipſum intelligere nõ ſolum ſeipſum, ſed & aliena intelligibilia, id eſt alia. Non eſt ergo ex materia. Potes autem & aliter ipſum interpretari, & dicere. Si aliquas formas eorum, quæ cognoſcuntur, haberet actu intellectus, ſed non omnes potentia: perturbaretur, & nõ exactè cognoſceret. Sicut nec uiſus, ſi ſit coloratũ perſpicuum, omnes colores exactè cognoſcet. Ac nos quidem ſic. Alexander uerò dicit, quòd hic etiã uult intellectũ nõ habere formã ex ijs quoq; quæ infert. Ait enim nõ eſſe eius naturã, ſed tantũ, quòd eſt potẽtia. Nos autẽ dicimus, quòd per hoc dicit non eſſe eius naturam Ariſtoteles, quatenus non eſt eius natura talis, ut actu habeat formas intelligibilium, ut Platoni uidetur: ſed tantum potentia. Ipſe enim eſt forma, & actu eſt eius ſubſtantia.*

Qui ergo dicitur intellectus animæ (Dico
autem intellectum, quo cogitat, & exiſtimat
anima) nihil eſt actu eorum, quæ ſunt, priuſ-
6 quam intelligat. Quare nec eum corpori eſſe
mixtũ rationi conſentaneum. Qualitate enim
præditus eſſet, calidus, vel frigidus: vel etiam
inſtrumentum aliquod eſſet, ſicut ſenſitiuo.
Nunc verò nullum eſt.

*Quoniam imaginatio quoq; dicitur mẽs paſſiua: dicit, quòd de ea nũc uerba nõ facimus, ſed de intellectu, per quem cogitamus, & exiſtimamus. Intellectũ autẽ hic cõmunius dixit. Per id enim, quod eſt cogitare, cogitationẽ introducit: per id autem, qđ eſt exiſtimare, opinionẽ. Dicit, ꝙ intellectus nihil eſt actu, priuſquàm intellexerit, ſed potẽtia, & potẽtia nõ eius ſubſtantia, ſed actus. et propterea intellectus, nõ eſt corpus. eſſet enim qualitate præditus, calidus, uel frigidus. Neq; uerò utitur inſtrumento corpore. Poteſt enim magna, & parua ſimiliter intelligere: quod ſenſus utens inſtrumẽto, corpore, facere non poteſt.*

Et rectè quidem ij, qui dicunt animam eſſe
locum formarũ, niſi quòd non tota, ſed intel-
7 lectiua, neq; actu, ſed potentia formæ. Quòd
autem non eſt ſimilis affectionũ vacuitas ſen-
ſitiui, & intellectiui, manifeſtũ in ſenſorijs, &
ſenſu. Senſus enim ſentire non poteſt ex vehe
menti ſenſili, vt ſono, & magnis ſonis, nec ex
vehementibus coloribus, & odoribus vide-
re, & odorari. Sed intellectus, quãdo aliquid
intellexerit ualde intelligibile, non minus in-
telligit, quæ ſunt minora, ſed etiam magis.
Quod eſt enĩ ſenſitiuũ, nõ ſine corpore: Intel
lectus autẽ ſeparabilis. Quando autẽ ſic vna- 8
quæq; fiũt, vt ſciẽs dicitur, q eſt ſecũdũ actũ.

*Laudat Platonẽ. Quoniã enim ſuperius dixit, ꝙ ſuſcipit anima formas intelligibiliũ, & ſic operatur: propterea laudat Platonem, qui dixit animã eſſe locũ formarum. Sed eum in duobus reprehendit: primũ quidẽ, quòd omnem animã dicit locũ formarum, & nõ ſolũ rationalẽ: etiã ſi pro Platone dici poteſt, quòd ſolũ rationalem animã dicit, alias autẽ animationes. & ideo dicit, Omnis anima immortalis. etſi ergo animã formarũ locũ dicit: ſolam tamen dicit rationalẽ. Eum autẽ etiã in alio reprehendi, ꝙ actu dicit in anima formas, et nõ potẽtia. Ariſtoteles enim nõ pictæ tabulæ eã aſſimilat: & propriè dicit eſſe diſciplinam: Plato uerò pictæ tabulæ: & diſciplinã dicit reminiſcentiam.*

Hoc autẽ euenit, quando põt p ſe operari.

*Quid dicit? Quòd intellectus, qui eſt potẽtia, tunc eſt actu, quãdo ex ſciẽtia poteſt, & cõtemplatiuè operari. Euenit autem intellectum ex ſcientia operari, quando per ſe poteſt anima operari: hoc autem non ſemper: uix enim in ſenectute.*

Eſt quidem ſimiliter & tunc potentia quo-
dammodo, non autem ſimiliter ac priuſquam
didicerit, vel inuenerit. & ipſe quidẽ ſeipſum
tunc non poteſt intelligere.

*Et poſtquam res, inquit, didicerit, & quieſcit, eſt potentia intellectus. Non eſt autẽ ſimiliter potentia, ac erat, priuſquam didicerit, uel inuenerit. Priuſquã enim didicerit, uel inuenerit, eſt potẽtia intellectus ſecundũ priorẽ ſignificationẽ eius, quod eſt potentia, id eſt, ſecundũ aptitudinẽ. Poſtquam autem didicerit, eſt potentia ſecundum habitum, quod erat ſecundum ſignificatum eius, quod eſt potentia. quod ipſe dixit, Potentia quodammodo. Rectè autẽ meminit diſciplinæ, & inuentionis: quia omnis ſcientia diſciplina, uel inuentione comprehenditur. & in his finitur praxis, praxis dei benignitate, decima.*

Quoniam autem aliud eſt eſſe magnitudi-
nem, & eſſe magnitudine, & aquam, & eſſe a-
qua, ſic autem & in multis alijs: ſed nõ in om-
nibus. In nonnullis enim idem eſt eſſe carne,
& eſſe carnem.

*Cùm tria de intellectu quærere propoſuiſſet: unũ quidẽ an æternus, uel corruptibilis: ſecũdũ autẽ, eius cõmunionẽ, & differentiã ad ſenſum: ex quo eius rurſus apprehendebatur æternitas: & tertiũ, quomodo fit intelligere: prima quidem duo ſatis per precedẽtia demõſtrauit: nũc autẽ reliquũ ei demonſtrandũ proponitur, & nunc examinat, quomodo fit intelligere. Dubitat itaq; in principio Ariſtoteles. Cùm enim ſit duplex in nobis cognitio, hæc quidẽ irrationalis, ut ſenſuum: illa uerò rationalis ut intellectus: ſunt duplicia & ea, quæ cognoſcũtur: hæc quidẽ materialia & ſenſilia: illa uerò immaterialia. Quærit ergo per hæc Ariſtoteles, utrũ unaquæq; cognitio propriũ cognoſcit, ut irrationalis quidẽ materialia tãtũ nouit: Rationalis uerò, ut quæ ſit præſtantior, nõ ſolũ nouit, quæ ſunt immaterialia, ſed et, quæ materialia. Et cùm hæc eſſet dubitatio, fert ſententiam Ariſtoteles dicens, quòd rationalis non ſolum nouit immaterialia,*

ſed

ſed & materialia. Qui enim nouit potiora, multò magis nouit, & deteriora. Si itaq; nouit immaterialia, cõſiderabit omnino et immaterialibus deteriora, quod eſt, materialia. Si enim intellectus, qđ eſt rationalis congnitio, immaterialia ſolum nouit: materialia autẽ nõ cognoſcit: erit aliqua ex parte mens amens, & intellectus aliqua ex parte nõ intelligẽs. Cùm materialia enim nõ intelligat, erit ex ea parte nõ intelligens. Atqui abſurdũ eſt intellectũ in aliquibus eſſe nõ intelligentẽ. Nõ ſolũ ergo nouit immaterialia, ſed & materialia. Et hæc quidẽ Ariſtoteles. Poſſumus autẽ & nos exterius oſtẽdere, ꝗ materialia quoq; nouit intellectus. Si materialia enim non intelligeret, quomodo ſenſum corrigeret? Senſus enim remũ in aqua cõfractũ uidet: & ſolem unius pedis magnitudine. Intellectus autem corrigit, oſtendens, quòd neq; remus fractus eſt: et, quòd ſol eſt maior terra. Quomodo ergo poſſet ſenſum intellectus corrigere, niſi materialia cognoſceret, hoc eſt ſenſilia? Et alioqui habemus regulã, ꝗ id, quod ſcis rerũ differentiã, multò magis & res ipſas differentes nouit. Si ergo intellectus nouit differentiã immaterialiũ à materialibus: nouit ergo et materialia. Sed dices fortaſſis, eſt abſurdũ intellectum noſſe ea, quæ extra ſunt. Hæc enim ſcit ſenſus, eo ꝗ materialia, et particularia cognoſcat. Intellectus enim, quod eſt uniuerſale, tantũ nouit. Eſt autẽ ſenſus ſcire particularia, quæ quidẽ ſunt materialia. Tibi autẽ ad hæc dicã, ꝗ intellectus ſubiecto quidẽ unus eſt: ratione autẽ diuerſus. Intellectus enim uel ſecundũ ſe ſolũ operatur: & tũc uniuerſalia ſolũ nouit: uel cum ſenſu operatur, eo utens inſtrumẽto: & tunc materialia nouit, & particularia: ſicut eadẽ recta ſubiecto quidẽ eadem, ratione autẽ diuerſa. Si enim, quæ nũc recta eſt, cõfringi poteſt, & inflecti: ſic & intellectus ſubiecto idẽ exiſtens, aliquãdo quidẽ cum recta habet cõuenientiã, quãdo per ſeipſum operatur, & nouit immaterialia: aliquãdo uerò cũ recta cõfracta, quãdo ad ſenſum inflectitur. & eo inſtrumento utitur, qñ nouit materialia. Hoc eſt quidẽ primũ dubiũ, & eius ſolutio. Secundũ eſt dubiũ, pro quo tale quid prius præſumendũ eſt, ꝗ id, qđ ab eo, qđ eſt potentia, in id, qđ eſt actu, agitur, omnino alteratur. Alteratio autẽ eſt affectio, ſeu paſſio. Hoc præſumpto ꝓcedit deinceps dubium. Si materialia intellectus cognoſcit, ſcilicet ab eis patitur. Ab eis enim ducitur à cognitione, quæ eſt potẽtia, ad cognitionẽ, quæ eſt actu. Quod autẽ ab eo, quod potẽtia, ad id, quod eſt actu, ducitur, alteratur: Quod autẽ alteratur, patitur: Intellectus ergo à materialibus patitur. Et quoniã nihil patitur ab eo, quod eſt diſsimilis materiæ: clarũ eſt ergo, ꝗ intellectus eſt eiuſdem materiæ cũ materialibus. & eſt ipſe materialis, & corruptilis. materialia enim corruptilia. Quomodo ergo erit incorruptilis, uel ſecundũ Ariſtotelẽ, uel ſecundũ Anaxagorã, qui eũ eſſe dicũt materia impermixtũ? Hæc eſt dubitatio, quã diſſoluentes dicimus: Malè accepiſtis, ꝗ quicquid agit, etiam patitur. Hæc eſt enim falſa oratio. Tũc enim, quod agit uiciſsim patitur, quãdo eſt eiuſdẽ materiæ cũ eo, quod patitur. Quoniã ergo intellectus nõ eſt eiuſdẽ materiæ cũ materialibus, non eſt neceſſe ipſum à materialibus pati, quãdo ipſa cognoſcit. Agit enim & opifex nos beneficio afficiẽs, & tamẽ à nobis, nõ cõtra, patitur. Quare ex agentibus ea ſola uiciſsim patiũtur, quæ ſunt eiuſdem materiæ cũ patientibus. Et hæc quidẽ ſolutio exterius aſſumpta, dicta eſt. Ariſtoteles autem aliam dicit ſolutionẽ, quã etiã alibi dixit, quòd duplex eſt paſsio, ſeu affectio: hæc quidẽ perfectiua: illa uerò corruptiua. In corruptiua ergo ualidũ eſt, qđ dicitur, qđ ſimile fit agẽti, quod patitur: Intellectus aũt ſenſilia cognoſcens, perfectiua affectione afficitur, quæ impaſsibilitas potius dicitur, quàm paſsio. Quare rurſus nõ patitur intellectus. Quæ enim ab aliquo perficiũtur, nõ ſunt omnino eiuſdem cum eo materiæ. Ecce enim mundus perficitur ab opifice: & tamen nõ eſt eiuſdem cũ ipſo materiæ. Rurſus, quæ hic ſunt, regũtur à cœleſtibus, & perficiũtur: & nõ ſunt eiuſdẽ cum illis materiæ. Rurſus aër perficitur à lumine: & nõ eſt eiuſdẽ cum ipſo materiæ. Quare & intellectus patitur quidẽ à ſenſilibus perfectiuã affectionẽ, ab eis autẽ perfectus, nõ eſt eiuſdẽ cũ ipſis materiæ. Notandũ autẽ, quòd etiamſi dicimus eum perfectiuam pati affectionem, nõ ſubſtantiã intellectus attingit affectio, ſed eius operationẽ. Hæc eſt ſecunda dubitatio, & eius ſolutio. Quoniã autem hæ duæ dubitationes à materialibus occaſionẽ ſumpſere: æquum eſt & de materialibus hoc modo dubitare. Quoniã intellectus ſeipſum nouit, & ad ſe cõuertitur, quomodo ergo nouit? Vtrũ quatenus eſt intellectus: uel ſecũdũ aliud quidẽ eſt intellectus: ſecũdũ aliud uerò intelligibilis? Si itaq; ſecundũ aliud quidẽ eſt intellectus: ſecũdũ aliud autẽ intelligitur: clarum eſt ergo intellectũ nõ eſſe ſimplicẽ, ſed cõpoſitũ. Eſt enim cõpoſitus, quatenus intelligit, & quatenus intelligitur. Si autẽ, ut hoc abſurdũ euites, dicas ꝗ quatenus eſt intellectus, intelligitur, in aliud abſurdũ incidit: in tractatu enim de demõſtratiuo oſtẽſum eſt, ꝗ illud, ſecũdũ qđ, cõuertitur. Si ergo, quatenus eſt intellectus, intelligitur, ergo & quatenus intelligitur, eſt intellectus, ut cõuertatur. Si ergo, quatenus intelligitur, eſt intellectus: colligitur, ꝗ id qđ intelligitur, eſt intellectus. Et quoniã diſciplinæ intelligũtur, erũt & illæ intellectus: quod eſt abſurdũ. Si autẽ dicis eũ ſeipſum nõ intelligere, falſũ dicis. Si enim ſeipſum nõ intelligit, quomodo nouit, ꝗ ſeparatur à corpore? Talis quidẽ eſt omnis dubitatio. ſed quia eſt obſcurior, eã in cõpẽdiũ redactã repetimus. Quoniam intellectus ſeipſum intelligit, uel quatenus id eſt intellectus, intelligit ſeipſum: & quoniã illud, quatenus, cõuertitur: erit et, quatenus eſt intelligibilis, intellectus: ut colligatur omnia intelligibilia, & oẽs diſciplinas eſſe intellectus: Vel ſecundũ aliud quidẽ intelligitur, ſecundũ aliud autẽ intelligit: & erit intellectus cõpoſitus, quod eſt abſurdũ. Soluit autẽ dubitationẽ uno mẽbro dicẽs, ꝗ quidquid eſt propriè intelligibile, eſt intellectus. Diſciplinæ enim nõ ſunt ꝓpriè intelligibiles, & propterea nõ ſunt intellectus. Sunt enim à nobis excogitatæ. & uos eas à materia ſeparauimus, quoniã ſunt materiales. Quæcunq; ergo nõ ex nobis, ſed ex ſe habẽs, ut ſint intelligibilia, ea ſunt intellectus. Nã et ſi angelos dixeris, ſunt et ij, ſecũdũ Ariſtotelem, intellectus. et ſi eũ dicas, qui in primo mobili circũagitur, quẽ opificẽ dicit, hic quoq;, ſecundũ Ariſtotelem, eſt intellectus. Sed quoniã nec Platoni uidetur Deum eſſe intellectũ, nec pijs dogmatibus: Deus enim eſt ſuper mentẽ ſeu intellectũ: Vnde & πρόνοια, quod eſt prouidẽtia, nominatus eſt, ut qui ſit πρὸ τοῦ νοῦ, id eſt ante mentem ſeu intellectum: age nos aliter dubitationem ſoluamus. Dicimus enim, ꝗ non colligitur, quidqđ eſt intelligibile eſſe intellectũ. Primũ enim intelligibilia, uel ſunt ꝓpriè intelligibilia, ut quæ ſunt penitus immaterialia: uel nõ ꝓpriè, ſed, quatenus ſenſilia, ſunt intelligibilia, ut lapis. Nũc autẽ de propriè intelligibilibus agitur. Si autẽ ita eſt, erũt, quæ ſunt ꝓpriè intelligibilia, intellectus. & nihil abſurdũ ſequetur. Secũdo autẽ, ꝗ nõ colligitur, quidquid eſt intelligibile, eſſe intellectũ: ſed, quidquid ſeipſum intelligit, eſſe intellectũ. Quid enim dicit dubitatio? Quatenus eſt intellectus, intelligitur ab aliquo, uidelicet, à ſeipſo. Si uis ergo, cõuerte, ꝑ illud, Quatenus, ꝓpoſitionẽ illã, & dic. Quatenus à ſeipſo intelligitur, eſt intellectus. Hæc eſt enim uera. & recta cõuerſio. Si ergo ex cõuerſione collectum eſt, ꝗ nõ utiq; intelligibile, intellectus, ſed qđqđ à ſeipſo eſt intelligibile, intellectus: nõ utiq; quicquid eſt intelligibile, eſt intellectus. & nõ ſolũ ꝓpter deũ Ariſtotelis ſolutione nõ cõtenti ſumus, ſed, quòd etiam uniuerſalia ſunt intelligibilia, & non intellectus. Dicere autẽ, ꝗ nõ, quatenus intellectus, ſeipſum cognoſcit, abſurdũ. Primũ enim, ut diximus, erit duplex, eiuſdẽ formæ, et ipſe intelligẽs, et intellectus, et nõ totũ ſeipſumcognoſcens. Quatenus enim intelligitur, ſeipſum

ipſum intelligit, & nõ quatenus intelligit. Quare, quatenus intellectus, ſeipſum cognoſcit intellectus. Et hæc eſt tertia quæſtio. Quarta eſt quæſtio. Si intellectus ſeipſum intelligit: ſibi autem ſemper adeſt intellectus: cur non ſeipſum intelligit? Videmus enim, rarò nos homines ad nos ipſos conuerti, ſed uel de deo mente aliquid agitamus, uel de mundo: rarò autem de nobis ipſis. Atqui oportebat ſeipſos ſemper intelligere, eo quòd ſemper ſibi adeſt intellectus: hæc quidẽ dubitatio. Dicimus autem, quòd propter commixtionem, & conſiderationem eorum, quæ ſunt, hoc fit. Sicut enim, ſi duo adſint, & unus quidem ſit amicus, alius autem illuſtris, & ſplendidus quiſpiam, amicum ne ſalutamus quidem, ut qui ſit familiaris: alteri autem dextram iungemus: ſic & intellectus cognoſcens, quod ſibi ſemper adeſt, rarò ſeipſum intelligit: ſed res mũdanas, uel ſupermũdanas ſæpe. Nõ quatenus ergo intellectus, intellectus nõ ſeipſum ſemper cognoſcit: ſed hoc fit, propter eius operationẽ. Sicut enim in furore intellectus omnino nõ intelligit: eo q. à ſe diuertitur: ſic & quãdo circa corpus ſtudens, res alienas agit, non ſeipſum cognoſcit: quo tempore non eſt actu intellectus, ſed potentia. Plotinus uerò dicit, eſſe intellectum, qui ſeipſum ſemper cognoſcit, & qui ſemper nõ ſeipſum cognoſcit. Vt rurſum accipias hunc quidem actu, qui ſeipſum ſemper cognoſcit: illum autem qui & potẽtia, nõ ſemper. Illud autem, ſemper cognoſcere, dicebat propter Platonem, qui dicit animam ſemper mobilem. Illud autem, ſemper mobilem, in hoc, quòd ſemper uiuum corpus faciat, accepit: ſed & in hoc, quòd ipſum ſemper cognitiuũ reddat. Et ſemper quidẽ, inqt, cognoſcit intellectus. Si autẽ non ſentimus etiã, cum ſemper cognoſcere: hoc fit propter turbã & tumultũ corporis. & in his cõtemplatio dei gratia cõpletur. Quoniã aũt aliud eſt eſſe magnitudinẽ, et eſſe magnitudine: & aquã, et eſſe aqua. Dictũ eſt & in prædicamẽtis, & in Phyſica, quòd aliud eſt, uerbi gratia, hoc: & aliud, quod per hoc. Illud nempe, hoc, utrunq; ſimul ſignificat, quod eſt, formam cũ materia, ut aqua, & magnitudo: Illud autẽ, per hoc, formam tantũ ſine materia ſignificat, ut eſſe aqua, et magnitudine. Et in materialibus quidẽ rebus ſic eſt ſignificatio: In rebus uerò immaterialibus idem eſt illud, hoc, & per hoc, ut in deo, & ſigno, et talibus. Idem enim ſignificat in duobus caſibus. Hæc eſt ergo tota Ariſtotelis ſententia. Nunquid intellectus nouit in quibus aliud eſt eſſe hoc, & per hoc, id eſt materialia: an intellectus illa ſolum nouit, in quibus idem eſt hoc, & per hoc, id eſt immaterialia. Magnitudinẽ ergo dicit utrunq; ſimul: magnitudine autẽ eſſe, formã tantũ. & aquam, dicit utrunq; ſimul: aqua autẽ eſſe, formã tantũ. In nõnullis enim idem eſſe carnẽ, & eſſe carne. non apto exemplo uſus eſt. In carne enim non idem ſignificat hoc, & per hoc. Hoc eſt enim in ſolis intelligibilibus: alioqui diximus, quòd in materialibus quidem aliud ſignificat accuſatiuus, & aliud ablatiuus. Hoc autẽ fecit, propter ingenij magnitudinem contemptis exemplis, ut ſæpe mos eſt.

Et alio, vel aliter habẽte, iudicat intellectus.

Adhuc quidem dubitat. Sunt hæc autem ſuperioribus cõiungenda. ſuperius enim dubitabat, an intellectus intelligit materialia. Nũc autem tanquam tacitè conceſſerit cũ materialia intelligere, dubitat nunquid alia quidem ſui parte intellectus materialia intelligit: alia uerò immaterialia. Hoc eſt ergo quod dicit. Vel alio, & alio iudicat, pro eo quod eſt, alia quidem ſui parte intelligibilia: alia uerò materialia. Plutarchus itaq; et Alexãder uult immateriali quidem immaterialia cognoſci: materiali autem materialia. Ariſtoteles autem dicit, quòd eodem intellectu ambo cognoſcuntur, & materialia, & immateriaria, ſed aliter, & aliter habente: aliquando quidem utens inſtrumento, corpore, in materialibus: aliquando autem nõ, ut in materialibus, & intelligibilibus.

Caro enim non ſine materia, ſed ſicut hoc ſimum, in hoc.

Hoc dictum eſt defenſio oppoſiti dogmatis, uel nuper dictæ dubitationis. Quoniam enim dubitauit, dicens, nunquid intellectus alia quidem ſui parte materialia intelligit: alia uerò immaterialia: per hæc defendit dubitationẽ, et dicit. Caro enim nõ eſt ſine materia: ſed res eſt materialis. Sicut enim hæc ſimitas in hoc eſt, pro eo quod eſt, forma in materia: ſic & caro forma eſt in materia. Quare eſt rationi conſentaneũ intellectũ non eadem ſui parte intelligere materialia, & immaterialia.

10 Senſitiuo ergo calidum, & frigidum iudicat, & quorum ratio quædam caro.

Hinc Plutarchus, & Alexander ſui dicti fidem faciũt. Ecce, inquiunt, dicit ipſe materiali materialia cognoſci. Senſitiuo enim dixit calidum cognoſci. Quid nos ergo dicimus? Quòd non hoc dicit, ſed defendens dubitationem, deinde ab hoc loco ueram ſolutionem adducit. Dicit enim, intellectum ſenſitiuo utentem inſtrumento, iudicare materialia, id eſt calidum, & frigidum. Deinde quoniam frigidi, & calidi meminit: non ſolum autem hæc caro iudicat: ſed & ex quibuſcunq; alijs eſt eius commoderatio, ut ſiccum: humidum: & huiuſmodi alia: non poterat autem in dictionis contextu omnium meminiſſe: ne nimis eam produceret, propterea breuiter reliqua ſignificauit, ſubiungens. Et quorum ratio quædã eſt caro, hoc eſt, ex quibus cõſtat ratio carnis, uel eius definitio. Intellectus ergo utens ſenſitiuo inſtrumento, iudicat frigidum, & calidum, & alia, ex quibus conſtat carnis definitio. Et huius eſt opinionis Ariſtoteles: Primum quidem ex hoc, quòd ſoluit tertiam dubitationem, quæ dicit, quòd ſi intelligibile intellectus, erit & lapis, qui eſt intelligibilis, intellectus. Illic enim dicit, quòd intelligibilia uel ſunt propriè intelligibilia, uel non propriè, ut ſenſilia. Senſilia ergo intelligibilia dixit, & nõ propriè. Quòd ſi ita eſt, ſic, uidelicet, ab intellectu ea intelligi exiſtimat. Et ex alio etiam probari poteſt. Ipſe eſt enim, qui dicit, quòd ſicut diſciplinæ, ratione ſeparantur: ſic & intellectus ratione à ſeipſo differt. Si autem differt à ſeipſo ratione: ſcilicet, ideo differt, ut cognoſcat materialia, & immaterialia. Si ſola enim immaterialia cognoſceret, quid opus eſſet differentia?

Alio autem, ſiue ſeparabili, vel vt obliqua, & inflexa habet ad ipſam, quãdo extenſa fuerit. Carne enim eſſe etiam iudicat.

Hoc dictum rurſus interrogatiuè procedit ex diuiſione interrogans. Eſt autem hæc ſententia. Quoniã alio quidem intellectus materialia iudicat: alio uerò immaterialia: nunquid hæ partes intellectus, per quas materialia iudicat, & immaterialia, ſunt à ſe inuicẽ ſeparatæ: uel ſicut recta eſt ſubiecto quidem eadẽ, ratione autẽ diuerſa? Aliud eſt enim eſſe rectam, & aliud obliquã, & inflexã. Et hic eſt quidẽ ſcopus. Interrogatiuè autẽ oportet & ſic dictionẽ circũloqui, quæ in hyperbato dicta eſt. Aliud enim iudicat carne eſſe, pro eo qđ eſt: alia parte iudicat immaterialia. Sic in hyperbato. Alio autem, ſiue ſeparato, ab alia parte quæ materialia iudicat: uel ut recta inflexa ſubiecto quidem unus eſt intellectus: ratione autem diuerſus.

11 Rurſus autem in ijs, quæ ſunt in abſtractione, quod eſt rectum, vt, quod eſt ſimum. cum continuo enim.

Ad aliud uenit exemplũ diſciplinarũ: & quid dicit? Quòd ſicut ſimũ, et rectũ eſt omnino in ſubiecto, cõtinuitate: Sunt enim in aliquo corpore, cõtinuo. & tamen ea cõtinuitatis ratione ſeparantur: & dicimus, quòd aliud eſt in his, quòd quid eſt eſſe, id eſt forma ſeparata, & aliud materia ipſa continuitas. Declarauit id per hoc qđ dixit, rectũ eſſe, Sicut ergo in his formã à ma

teria

*teria ratione ſeparamus: ſic & intellectus à ſeipſo differt ratione. Nūc autē pro hoc facit, quòd ſunt materiales diſciplinæ. Materia enim eſt, ut dicit, figurarum continuitas. Forma autē ipſæ figuræ. Sunt itaq; materiales diſciplinæ.*

Quod quid eſt autem eſſe, ſi aliud eſt eſſe recto, & rectum, alio.

*Si, inquit, quod quid eſt eſſe, id eſt forma diſciplinarum (quod quid eſt enim eſſe formam ſignificat) aliud habet eſſe rectum, id eſt, aliud eſt hoc ab eo quod eſt per hoc, tunc aliquid aliud eſt quod alio, pro eo quod eſt, tunc alia ſui parte diſciplinas iudicat intellectus, & non ea, qua immaterialia iudicat. Si enim aliud eſt hoc ab eo, quod per hoc: ſunt, ſcilicet, immaterialia. Et notandum eſt, ut Plutarchus in commentario ſignificat, quòd diſciplinas habere ſubiectum dicit Ariſtoteles. Eſt autem hoc, quod dicit, uidelicet: Si quod quid eſt eſſe, id eſt, ſi forma aliud habet eſſe recto, quod eſt, per hoc, & alterū rectum, quod eſt, hoc, ſunt materialia. Si autem materialia, alia ſui parte intellectus hæc iudicat: & non, qua immaterialia iudicat.*

Sit enim dualitas. alio ergo, vel aliter habēte, iudicat: & omnino ergo, vt res à materia ſeparabiles. Sic &, quæ ſunt circa intellectum.

*Hoc ut ad aliquid, ut ad formas, quæ ſunt in continuitate. Quæ enim ſunt in abſtractione, unam tantum formam ſignificant. Quæ autē non ſunt in abſtractione, duo declarant, formā ſimul cum materia. Et hæc meritò dicuntur, ut materialia, & quæ diuiſionem recipiunt, ut duo. Quæ enim ſunt in abſtractione, ut quæ ſunt indiuiſibilia, ſunt unitati ſimilia. Certè & inflexa recta, ut quæ ſit duo materiale aliquid ſignificabat. Sunt ergo & diſciplinæ duplices: hæ quidem ſecūdum ipſarum formā: quòd ſignificauit, cùm dixit, Eſſe recto: uel ſecundum formam, & materiam, quod ſignificauit, cùm dixit, Rectum. Alio ergo, uel aliter habente, iudicat. Concluſio, quòd neceſſe eſt uel alio, & alio iudicare materialia & immaterialia: uel eodem aliter habente. Deinde totius dicens dubij ſolutionē inquit, Omnino ergo, ut res à materia ſeparabiles: ſic et, quæ ſunt circa intellectum, id eſt, ut compendio dici poteſt, Sicut formæ ſolo mentis conceptu, & ratione à materia ſeparantur, non autem ipſa ſubſtantia: ſic & intellectus inſeparabilis, quod ad ſe quidem attinet, ſemper eſt, ut qui ſit ſubiecto ſemper idem: mentis autem conceptu, & ratione ſeparatur ad ea, quæ cognoſcuntur.*

12 Dubitauerit autem quiſpiam, ſi intellectus eſt ſimplex quid, & affectione vacat: nec cum vllo quidquam commune habet, vt dicit Anaxagoras: quomodo intelliget, ſi intelligere eſt aliquid pati? Si aliquid enim eſt ambobus cōmune: hoc quidem uidetur facere: illud pati.

*Hic eſt ſecunda dubitatio, quæ dicit, quòd, ſi intellectus ſenſilia cognoſcit, patietur ab ipſis. Nihil autē ab eis patitur, quod non ſit eiuſdem cum eis ſubſtantiæ. Hoc enim ſignificauit, in cōtextu ſubiungens, Si enim aliquid eſt commune ambobus, hoc quidem facit, illud uerò patitur, pro eo quod eſt, ſecundum cōmune, i. eſt, ſecundum materiam patitur. Si ergo ea cognoſcit intellectus: & ab eis patitur Si autem ab eis patitur: eſt eiuſdem cum eis materiæ. Si autem eſt eiuſdem cum ſenſilibus materiæ: non eſt intellectus ſimplex, ſed cōpoſitus. Hoc autem dictum eſt ſecundum reſolutionem.*

13 Præterea, ſi intelligibilis & ipſe, vel enim etiam alijs intellectus inerit, ſi non ſecundum aliud ſit ipſe intelligibilis, vnum autē aliquod ſpecie intelligibile: vel mixtum quid habebit, quod facit ipſum intelligibilem, ſicut alia.

*Antequam ſecundi dubij ſolutionem dicat, tertium hic dubium proponit, & dicit, Si ipſe intellectus eſt intelligibilis: quomodo ergo ſeipſum intelligit? Et primum dicit, quòd ſi, quatenus intellectus, ſeipſum cognoſcit, erit in omnibus intelligibilibus intellectus: ergo & in lapide: & erit lapis intellectus. Conuertitur enim. Hoc autem innuit in contextu, cùm dicit, Vel enim etiam alijs intellectus inerit, pro eo quod eſt, alijs intelligibilibus inerit, hoc eſt, eſſe intellectus, ut omnia intellibilia ſint intellectus: deinde priuſquam diceret aliud abſurdū, utpote, ſi autem non, quatenus eſt intellectus, cognoſcit, erit duplex & intelligens, & intellectus, & non undiq; ſeipſum cognoſcens: neq; enim intelligens: ante hoc infert ſecundi dubij ſolutionem, quòd intelligibile non eſt unum numero, ſed ſpecie. eſt enim propriè intelligibile, & non ſpecie. Quod autem eſt propriè intelligibile, eſt & intellectus. Deinde infert aliud abſurdum à ſecundo: quòd ſi non, quatenus eſt intellectus, cognoſcit, erit duplex: ut ſit intelligibilis, & intelligens. Hoc autem ſignificauit cùm dixit, Aliquid habebit mixtū, quod facit ipſum intelligibilem, ut alia: pro eo quod eſt, habebit aliquam compoſitionem: quæ compoſitio ſecundum aliud quidem facit ipſum intellectum, ſecundum aliud uerò intelligibilem, ſicut & alia intelligibilia. Nō hoc autē dico, quòd alia intelligibilia ſunt cōpoſita: Sunt enim ſimplicia omnia intelligibilia: Sed habebit, inquit, aliquid intellectus, quod facit ipſum intelligibilem, ut faciebat alia immaterialia, intelligibilia.*

Vel pati quidē eſt ſecūdū aliquid cōmune. 14

*Hic ſoluit duas dubitationes. & primum quidem ſecundam, quæ collegit, intellectum eſſe eiuſdem materiæ cū ſenſilibus: et dicit, eſſe nomen cōmune paſſionis ſeu affectionis. Hic eſt enim perfectiua: illa uerò corruptiua. Affectio ergo, quam patitur intellectus, eſt perfectiua. Quod autem eſt perfectiuum, non dicitur propriè affectio, uel paſſio.*

Quare prius dictū eſt, quòd potentia quodāmodo eſt intelligibilia intellectus, ſed nullum actu, priuſquam intelligat. Sic autem oportet, vt in tabula, in qua nihil actu depictū eſt: quod euenit in intellectu. Ac ipſe quidē 15 eſt intelligibilis, vt intelligibilia. In ijs enim, quæ ſunt ſine materia, idem eſt quod intelligit, & quod intelligitur. Scientia enim cōtemplatiua, & ſcibile idem eſt.

*Cùm paulo ſuperius dixiſſet eſſe duplex intelligibile, & quod propriè, & quod non propriè, nunc dicit, quòd intellectus potentia propriè eſt intelligibilia, quando autem ea intelligit, actu. Neq; enim habet, inquit, intelligibilia intellectus, niſi ea intelligat. Non pictæ enim tabulæ ſimilis eſt. Et uide, inquit. Iamblichus, quòd γραμματεῖον græcè dixit, & non chartæ. γραμματεῖον autem non diceret, niſi γράμματα hoc eſt literas haberet. Hoc autem dixit, uolens animam puerorū, quod eſt intellectus potentia, habere rerum rationes. Quare ſi eam γραμματεῖον aſſimilauit, habet rerum uidelicet rationes, ſicut γραμματεῖον habet γράμματα, hoc eſt literas. Si aūt ἀγράφου dixit, id eſt non ſcriptæ, intelligit malè ſcriptæ, eo quòd habeat exiles, & obſcuras literas. Nam & ἄφωνον dicimus tragœdū, id eſt mutum, eum qui eſt κακόφωνος, id eſt, qui malam habet uocem. Quare & Ariſtoteles, inquit, exiſtimat eſſe in anima intelligibilia, ut Plato, & omnium rationes, & eſſe reminiſcentiam, non diſciplinam. Hæc autem dixit, ut oſtenderet Ariſtotelem quoq; eſſe in eadem opinione.*

Ac ipſe quidem eſt intelligibilis, ſicut intelligibilia.

Hic

*Hic eſt tertij dubij ſolutio: quòd quidquid eſt propriè intelligibile, eſt intellectus. Scientia enim contemplatiua: Quod eſt autem ſic ſcibile, idem eſt. Quid dicit? Quòd nihil abſurdum idem eſſe intellectum, & quod intelligitur. Quod eſt enim propriè intelligibile, qđ dicit ſcibile, & qui eſt ꝓpriè intellectus, quod dixit ſcientiam, idem eſt. Illud autem, Propriè, additũ eſt, quòd diſciplinæ non ſunt propriè intelligibiles: à nobis autem omnino intelligibiles dicuntur, quòd à nobis efficta ſint, & in noſtræ mentis agitatione uerſentur.*

16 Cur autem non ſemper intelligat, cauſa eſt conſideranda. in ijs autem, quæ habent materiam, potentia ſolum eſt vnumquodq; intelligibile. Quare illis quidem nõ erit intellectus: Sine materia enim potentia eſt intellectus talium: Illi autem erit intelligibile.

*Hic eſt quartum dubiũ, cur nõ ſemper intelligit intellectus. & dubitat quidẽ, ipſum autem non ſoluit: nos autẽ iam ſoluimus. Sed poſt hoc rurſus uenit ad ſolutionẽ dubij dicentis, quòd erunt intelligibilia intellectus. Cùm enim dixiſſet, quòd in propriè intelligibilibus uerum eſt, nunc dicit, quòd in materialibus, quæ ſunt intelligibilia potentia, & non propriè, non eſt idem intelligibile, quod intellectus. Intellectus enim res eſt materialis. Et in his Praxis, deo eſt gratia, completur.* Cap. 3.

17 Quoniam autem, ſicut in omni natura eſt aliquid, hoc quidem materia vnicuiq; generi: id verò eſt quod eſt, quod omnia illa potẽtia: alterum autem quod eſt cauſa, & effectiuum, quòd omnia faciat, quomodo ars ad materiã affecta eſt: neceſſe eſt & in anima has eſſe dif-
18 ferentias. & eſt hic quidem intellectus talis, quòd omnia fiat: ille verò, quòd omnia faciat, vt quidam habitus: vt lux. quodammodo enim etiam lux facit eos, qui ſunt potentia, colores actu.

*Poſtquam quatuor quæſiuit in intellectu, qui eſt potẽtia: uenit deinceps & ad intellectum, qui eſt actu: & in eo decẽ quærit. Primũ quidẽ, quòd omnia facit intellectus. Secundũ autem, quòd ſubſtantia operatur. Neq; enim ut aliæ ſubſtantiæ operationes proponunt, ſic eſt & in intellectu, qui actu eſt. Neq; enim ſubſtantia intellectus, qui actu eſt, proponit operationem: ſed ex ſeipſa, ipſa ſubſtantia ipſius eſt operatio: & nõ eſt ſubſtantia intellectus, qui actu eſt, aliud ab eius operatione. Tertium, inquit, ineſt intellectui, qui actu eſt, quòd ſemper intelligat, & operetur, & ab operando nunquã deſiſtat. Quartum, quòd eſt animalis. Quintum, quòd immortalis, & quòd ſeparabilis. Sextum, quòd cũ habitu, & luce habet proportionẽ. Sicut enim lux nõ ipſa facit colores, ſed, quæ ſunt, formas apertas reddit: ſic & intellectus, qui actu eſt, res non facit, ſed formas imprimit & inſculpit in eo, quod poteſt. Octauum, quòd qui eſt potentia intellectus, ab eo, qui actu eſt, differt tempore, & ipſo ſubiecto. Nonum, obliuiſcitur intellectus. Decimum, quòd ſemper cum imaginatione operatur. Hæc ſunt capita dictionis contextus, quæ dicit ineſſe intellectui, qui actu eſt. Et cùm nihil aliud dixiſſet, interpretes ad multas, & uarias uias uerſi ſunt, alijs aliter accipientibus intellectum, qui actu eſt. Alexander quidem actu intellectum appellauit unum omnium principium, ſiue intellectum, qui eſt foris. Marinus autem intellectũ actu dixit, non unum omniũ principiũ, ſed quendã dæmonis intellectum, uel angelicũ. Vt ſemel itaq; dicam, nec noſtrum dicit intellectũ, qui actu eſt, nec eum, qui eſt unius omniũ principij. Plotinus autem actu intellectũ intellexit humanũ intellectum: hunc quidem ſemper operantem: illum uerò aliquando. Errauit autẽ Plotinus ex Platone. Cùm enim ex illo audiuiſſet, eſſe ſemper mobilem animam: exiſtimauit eũ illam ſemper mobilem dicere, quòd ſemper intelligat. & propterea eſſe exiſtimat intellectum ſemper intelligentem. Plutarchus autem, quod & nos ponimus, non exiſtimat eſſe apud nos duplicem intellectum, ſed ſimplicem. & hunc ſimplicem dicit non ſemper intelligentem, ſed aliquando intelligentem. Exiſtimat ergo Plutarchus intellectum, qui actu eſt, eum dicere humanũ, quem putat etiam quandoq; intelligere. Tot fuerunt opiniones de intellectu, qui actu eſt, quatuor numero: Alexandri: Marini: Plotini: Plutarchi. Et una quæq; earum probabilibus ad ſui defenſionem rationibus utitur. Aequum eſt ergo exponere, quid unaquæq; pro ſe afferat. Alexander quidem dicebat eſſe actu intellectum, primam cauſam. Errabat autem ex eo, quòd audiret, eum omnia facere. Quis eſt enim, qui omnia facit, niſi prima cauſa? Si ergo dicit Ariſtoteles, quòd, qui ſecundum actum eſt, intellectus omnia facit: uidelicet, intellectum ſecundum actum, primam cauſam dicit: & quòd rurſus dicit cum ſubſtantia concurrentem habere operationem intellectũ, qui actu eſt: quod eſt ſoli deo proprium. Neque enim noſter uidetur intellectus per potentiam facere operationem. Et rurſus, quòd ſemper operatur. Hinc ergo fallebatur Alexander, & dicebat hæc nulli, niſi ſoli deo, cõuenire. Eſt enim ſolius dei proprium cum ſubſtantia concurrentem habere operationem, & ſemper operari & agere. Plotinus autem fallebatur ex eo quod eſt ſemper operari: & ſupponebat eſſe in nobis intellectum ſemper operantem, & eum dicebat eſſe actu intellectum. Marinus autem utriuſq; rationibus utens, dæmonij intellectum dicebat Ariſtotelem dicere. Humanus enim nõ eſt, eo, quòd dicit eum omnia facere, & per ſubſtantiam operatur, & ſemper intelligit. Sed neque, qui exterius eſt, intellectus. Si enim dicit, Cum luce, & habitu habet proportionem, & quòd cum imaginatione operatur, & obliuiſcitur: non ſunt autem hæc intellectus, qui exterius aduenit. Dicere ergo, quòd cùm luce, & habitu habet proportionem, oſtendit hæc eſſe propria alicuius intellectus, qui eſt medius inter exterius accedentem, & humanum, nempe angelici intellectus. Nam & lumen eſt medium inter id, quod illuminat, &, quod illuminatur. & habitus eſt medius inter aptitudinẽ, & propenſionem: his autem intellectum aſſimilauit. Quare intellectum, ſcilicet, dicit medium quendam inter eum, qui exterius accedit, & humanũ. Plutarchus autem ſe iuſtis rationibus defendit, dicens, quòd eſt hic de anima tractatus, nec fuit, quòd Ariſtoteles de intellectu, qui exterius aduenit, diſſereret: ſed actu intellectum appellat humanũ. Deinceps aduerſus ea, quæ à tribus, Alexandro, inquam, Marino, & Plotino dicuntur, communis fit incurſio. Inuenimus enim Ariſtotelem dicentem, quòd actu intellectus ſubiecto quidem idem eſt: tempore autem diuerſus ab eo, quod eſt potentia, & quod actu. Nam, cùm prius ſit potentia, actu poſtea factus eſt. Si hæc ergo in cõtextu dicit Ariſtoteles, uidelicet nec deũ nunc dicit intellectũ, qui eſt ſecundũ actũ, ut Alexandro uidetur, Deus enim nõ erat prius potẽtia, ſed eſt actu, ut qui ſit fons bonitatis. Neque dæmonius, uel angelicus prius eſſet potẽtia. Nam & hos uult Ariſtoteles eſſe actu intellectus. Quare malè quoq; dicit Marinus. Sed & Plotino aduerſatur: Si enim ſecundũ eũ, ſemper agit: nõ erat prius potentia. Ariſtoteles autẽ dixit, quòd erat prius potentia. Per hæc ergo clarum factũ eſt, quòd nec deũ dicit, nec dæmoniũ ſiue angelicũ intellectum nec intellectum, qui ſemper operatur: ſed de eo intellectu agit, qui eſt in nobis. Hæc eſt prima oppugnatio. Secunda autem hæc eſt. Quomodo dicit Ariſtoteles, quòd intellectus ſolus eſt immortalis, & æternus? Ait enim Et hoc ſolum eſt immortale, & æternũ. Siue enim primam cauſam intellexerimus,*

*non eſt ſola immortalis. Sunt enim & alia immortalia. nec ſi angelicum, uel dæmoniũ intellexerimus, is eſt rurſus ſolus immortalis. nã et prima cauſa eſt, immortalis. Nec rurſus ſi, ſecũdũ Plotinũ, intellexerimus intellectũ, qui ſemper intelligit, is eſt ſolus immortalis. Sunt enim et alia immortalia, ut, qui aliquã intelligũt, intellectus. neq; enim ſoli intellectus, qui ſemper intelligũt, ſunt immortales: ſed et, qui quãdoq; intelligũt, ſecundũ Plotinũ. Quare & hæc eſt cõmunis aduerſus eos incurſio, quòd ipſi non inueniant, de quonã intellectu dicit Ariſtoteles, cùm dicit eſſe ſolum immortalem. Qui autẽ dicunt intellectũ humanũ aliquãdo intelligere, & hoc ſolum eſſe, & nos non habere alium intellectum, poſſunt reſpondere, & ſic dicere, quòd, cùm multa ſint, quæ hominẽ perfectum, & abſolutũ conſtituant, ſolus intellectus eſt immortalis, & æternus. Illud ergo, ſolus, ad ea, quæ hominem perficiunt, & cõplent, referendũ eſt. Plotinus autẽ hanc reſponſionem pro ſe afferre nõ poteſt. Duos enim ſupponit intellectus: eum, qui ſemper intelligit: et eum, qui quãdoq;. Quẽ ergo poteſt ſolũ dicere immortalẽ? Siue enim eũ, qui ſemper intelligit, fallitur: Nam & is qui aliquando intelligit, eſt immortalis. Siue eum, qui quandoq; intelligit, dicat immortalem: ſed &, qui ſemper intelligit, ſecundum eum. Quare nec Plotinus dicere poteſt, quomodo nos dicimus, ſolummodo immortalẽ intellectum. Pulchre autem adiectum eſt, immortalem, & æternũ eſſe intellectũ. Nam & irrationalis, & uegetatiua ſunt quidem immortales, nõ autẽ æternæ. Si enim uitam ſuppeditant: nihil autem ſuſcipit contrariũ eius, quod ſuppeditat: Si ergo uitam habent: & ſunt immortales, nõ autem æternæ. Aeternũ enim dicitur, ſecundũ id, quod ſemper eſt. Immortale autem, ſecũdum id, quod eſt ſemper uiuere. Quare intellectus ſolũ ex iſs, quæ ſunt in nobis, & ſemper eſt, & ſemper uiuit. Irrationalis autem, & uegetatiua ſemper quidẽ uiuere dicitur, nõ autem ſemper eſſe. Quare & hoc humano intellectui ineſt. Hæ ſunt cõmunes incurſiones aduerſus tres. Aduerſus Alexandrũ autẽ, & Marinũ hoc poſſumus dicere, quòd eum, qui eſt ſecundum actum, intellectum ſeparabilem dicit, non ſeparatum. Prima autem cauſa, quam dicit Alexander eſſe actu intellectum, uel dæmonius, ſeu angelicus, quem dicit Marinus, ſunt ſeparati, non autem ſeparabiles. Separabile quidem ſignificat, quod nondum quidem eſt ſeparatum, ſed poteſt ſeparari: Illi autem ſunt iam ſeparati, & prima cauſa, & dæmonius, ſeu angelicus intellectus, non ſolum ratione, ſed & ſubſtantia, quod eſt, ſubiecto. Quare & ex ipſis uerbis textus incurſio eſt, quòd dixerit eum, qui eſt ſecundum actum, intellectũ eſſe ſeparabilem, & non ſeparatũ. Sed & alia eſt incurſio, quòd hunc, qui eſt ſecundũ actum, intellectũ animalem appellat. Non autem prima cauſa eſt animalis ò Alexander, nec dæmon, ſiue angelicus, ò Marine. Quare nec eũ, qui eſt ſecundũ actum, intellectum, nec angelum poſſumus intelligere, nec primam cauſam: ſed eum ſolum, qui in nobis quandoq; operatur, humanum: Et, quòd in contextu dicit intellectum, qui eſt ſecundum actum, cum imaginatione operari. Non autem prima cauſa cum imaginatione operatur, nec dæmon, nec angelus: ſed ſolus, qui eſt in nobis, intellectus. Et hæc ergo cõmunis eſt aduerſus Alexandrum, & Marinum incurſio. Aduerſus Alexandrum autem ſeorſum hæc poſſumus dicere: Quomodo poſſumus mente comprehendere, quòd intellectum, qui eſt ſecundum actum, primam cauſam dicat? ſi quidem luci & habitui eum cõparat. Prima enim cauſa ſubſtantia eſt, & non habitus: & ſubſtantias producit: & nullam cum luce habet proportionẽ, ſed cum ipſo ſole. Quare & hoc ei, qui in nobis ineſt, intellectui cõuenit. Et rurſus dicit Ariſtoteles, quòd, ſicut lux nõ facit colores, ſed eos eſſe manifeſtat, ſic & intellectus omnia facere uidetur, quòd omnia manifeſtet. Eſt autem abſurdum hoc de prima cauſa dicere. Prima enim cauſa ipſam ſubſtantiam producit eorum, quæ ſunt: & nihil eſt, quod ipſa non fecerit. Et rurſus, ò Alexãder, ipſum habitum appellauit. habitus autem eſt, quod eſt ſecundũ potentiã. Prima autem cauſa nullo modo eſt potentia. Et rurſus de eo dicit Ariſtoteles, quòd ſubiecto quidem idem eſt, tempore autem diuerſus ab eo, quod eſt potentia, & actu. Prima autem cauſa nullo modo ſe prius quid habet uel potentia, uel actu. Et aliòqui obliuiſci quoq; dicit intellectũ: hoc autem quì inerit ei, qui eſt exterius? Qui enim ineſt in nobis intellectus, is eſt qui obliuiſcitur, per eam, quæ eſt corpus, habitudinem impeditus. Quæcunq; ergo dicit Ariſtoteles conuenire ei intellectui, qui eſt ſecundum actum: ea dicit de humano intellectu, qui à potentia fertur in actum. Hoc autem demonſtratur, ſi ea, quæ illi non ineſſe uidẽtur, dico autem omnia facere, & ſubſtantia operari, & ſemper intelligere, oſtendemus ei ineſſe. Scire ergo oportet, quòd omnia facere dicitur intellectus, qui actu eſt, quòd omnium typos deſcribat in intellectu, qui eſt potẽtia. Quare & eum Plato ſtylo, quo ſcribitur, aſſimilat: Ariſtoteles autem ex ſeipſo ipſum ſcriptorem ſupponit. Si enim, qui potentia eſt intellectus, fit omnia: qui ergo actu eſt omnia facit. Quare hoc in intellectu humano ineſſe poteſt. Qui enim exterius aduenit, non deſcribit omnia, quæ ſunt in intellectu potẽtia: ſed is qui in nobis actu eſt. Ei autem conuenit & aliud, quod dicit, quòd per ſubſtantiã operatur. Et ut hoc intelligamus, paulo altius præſumamus. Sciens neq; anima eſt ſolum: neq; ſcientia ſolum: ſed eſt quid ex utriſq; commixtum. Componitur enim ſciẽs ex anima, & ſcientia: & proportionem quidem habet anima cum materia: ſcientia cum forma. Et quoniam cuiuſuis rei, ut in Phyſica nouimus, magis ſubſtantia eſt forma, quàm materia: ſubſtantia ergo ſcientis eſt ſcientia: & ſciens ſecundum ſcientiam operatur. Oſtenſum eſt autem ipſam eſſe ſcientis ſubſtantiam. Neq; enim ſecundum altam illam, & ſublimem contemplationem, quòd, ſicut in deo, ipſa eſt actu ſubſtantia. Nam in animis, & alijs ſubſtantijs, ſeorſum à prima cauſa, & ſubſtãtia eſt, & potentia, & actus. Subſtantia ergo operari dicitur, quòd ſcientia dicatur ueluti ſubſtantia animæ. Ex meliori ergo intellectum nominauit. Quoniam enim actu agit, & operatur intellectus: & actu exiſtẽs operatur: in omnibus autem actu melior eſt ſubſtantia: propterea ergo uolens dicere cum actu operari, dixit, ſubſtantia. ut ab uno pretioſiore totum ſæpe ſignificamus. O mihi dilectum Teucer caput. Et hoc ergo conuenit intellectui hominis, qui actu eſt. Actu enim exiſtens intelligit. Qui autem eſt exterius, ex ſeipſo actus eſt. Quòd autem, quatenus pretioſum quid eſt, ſubſtantiam accepit, declarat dicens: Quod enim hoc ſic eſt, clarũ. Agens enim eſt patiente pretioſius, & principium materiæ. Qua de cauſa ſubſtantiam ut pretioſiorem accepit. Porrò & tertium ei conuenit, quòd intellectus ſemper intelligit: non, ut Plotinus putat, quòd ſemper ipſe per totũ intelligit: nõ enim unũ numero intellectũ ſemper intelligere dicimus: ſed quòd in toto mũdo humanus intellectus ſemper intelligit. Quòd ſi ego non intelligo, alius quidem certè intelligit. Et ſucceſſione illud ſemper fit, ne apud nos deficiat dei illuminatio. Si enim non ſemper intelligimus: quando nõ intelligimus, deficiat. Si autem ſic dicimus illud, ſemper intelligere: hoc ineſt in humano intellectu. Semper enim intelligere dicimus non in uno ſecundum numerum, ſed in omnibus: ſicut & hominẽ ſemper uiuere dicimus, nõ propter Socratem, ſed quòd homo quiſpiam ſemper uiuit. Vel quòd ſemper dicitur intelligere, quoniam poteſt ſemper intelligere. Qui enim habet intellectũ, in quacunq; hora uult, intelligit. Quare hoc humano intellectui ineſt. Qui enim exterius accedit intellectus, qui unus eſt numero, omnia intelligit. Et hæc quidem dicta ſunt ad exprimendam contemplationem. Plurimum autem à nobis laboris ſuſcipitur, ut hæc decem capita in dictionis contextu oſtendamus, eaq;*

*mus, eaq; dilatemus, & in his finitur contemplatio. Quoniam ſicut in omni natura eſt aliquid, hoc quidem materia unicuique generi: illud uerò, quod omnia illa potentia. Ex his quidem uult oſtẽdere, quòd omnia facit intellectus, & eſt animalis. Orationem autem ſic producit, quòd ſicut in naturalibus, & artificialibus, eſt, quod eſt potentia, &, quod effectricem cauſam dixit: ſic & in anima, inquit, eſt intellectus potẽtia, & intellectus actu. Et per hoc quidem quod dixit, In anima, oſtendit eſſe animalem. Actu ergo omnia facit: ex quo habes, quòd omnia facit. Ecce ergo duo capita. Quare autem, poſtquã dixit in unaquaq; natura, dixit & in unoquoq; genere? Dic, quòd illud, In natura, uniuerſalius dixit: Hoc uerò, Vnicuiq; generi, particularius, ut ſit eiuſmodi: quòd, ſicut in unoquoq; animali, quod, naturam, dixit, eſt, quod eſt potentia, &, quod actu: ſic & in unoquoq; genere ſunt hæc, ut humano, uel equino, uel hoc, uel illo. Vt habitus quidam ſicut lux. Lux enim quodammodo facit colores, qui ſunt potentia, eſſe actu colores. Ecce aliud propriũ intellectus, quòd cum habitu, & luce proportionem habeat: & meritò. Quemadmodum enim lux facit colores uiſibiles: non enim facit ipſos colores, ſed ipſorum operationem profert: & ſicut habitus operationem producit, nõ ſubſtantiam: ſic &, qui eſt in nobis, intellectus operationem profert, non ſubſtantiam. & ideo cum his habet proportionem. Si autem hæc ita ſunt: non de diuino intellectu agitur. ille enim etiam ſubſtantias producit. Porrò & ſecundum aliud habet noſter intellectus proportionem cum habitu: non, quòd ſit qualitas, ſed quemadmodum ſe habet habitus ad id, quod eſt primum potentia, ipſum enim perficit: ſic &, qui eſt ſecundum actum, intellectus, ea, quæ ſunt potentia intellectus, perficit. Eo autem, quòd illum luci aſſimilauit, falſus eſt Alexander, propterea quòd dixit Ariſtoteles ipſum omnia facere, ſicut lux. Sed falli non debuit. adiecit enim Ariſtoteles, Quodammodo. Deus autem non quodammodo omnia facit: ſed per omnem modum omnia facit.*

19 Et ſic intellectus ſeparabilis, & immixtus, & affectione vacuus, cùm ſubſtantia ſit actu. Semper enim pretioſius eſt, quod agit, eo quod patitur: & principium materia.

*Ecce aliud proprium dicit, quòd eſt ſeparabilis: & cur non diximus in cõtemplatione id, quod immixtum eſt, & impaſſibile, cũ intellectum dicere? Quoniam hæc comprehenduntur in ſeparabili. Quod enim eſt ſeparabile, eſt immixtũ, & impaſſibile. Per hoc autem quod dicit, Cum ſubſtantia ſit actu, aliud dicit proprium, quòd ſubſtantia operatur. Et quòd hoc ſecundum id, quod eſt pretioſum, accepit, ſignificat, dum dicit, Semper enim quod agit melius eſt eo, quod patitur: id eſt, quod actu eſt, eo, quod eſt potentia. Quod enim agit actu eſt: Quod patitur autem, potentia. Et principium materia eſt pretioſius. Principium dico formam. Et ſubſtantia ergo ut pretioſior nunc dicta eſt: non quòd intellectus habeat ſubſtantiam ſine potentia: hoc enim eſt in intellectu, qui eſt extra: non in eo, qui in nobis eſt. Hic enim habet potentia.*

Idem eſt autem ſcientia ſecundum actum, quod res.

*Hoc in medio interiecit, quòd, qui ſecundum actum eſt, intellectus ſit res ipſæ, ſicut intellectus, qui eſt potentia, potentia res ipſæ eſt.*

20 Quæ autem ſecundum potentiam, tempore prior eſt: in vno omnino autem nec tempore: ſed non quãdoq; quidem intelligit, quandoq; verò non intelligit.

*Aliud dicit propriũ intellectus, quòd, qui eſt potentia, intellectus, tempore prior eſt eo, qui eſt actu. Et ne quis dicat quòd hoc falſum eſt in uniuerſo mundo, hoc, ſcilicet, alio actu, alio potentia, prius eſt, inquit. Non enim quandoq; operatur intellectus, quandoq; uerò non, in uniuerſo mundo: ſed ſemper. Alio actu, non potentia, prius eſt. Et ex hoc habes aliud proprium, quòd ſemper intelligit. Propterea ergo dixit, quòd in eodẽ homine, quod potentia eſt, prius eſt eo, quod actu eſt, non in uniuerſo mundo. In uniuerſo enim mundo, dicũt nonnulli, nihil alio prius eſt: nec, quod potentia eſt, eo, quod actu eſt: neque, quod actu eſt, eo, quod eſt potentia. Si enim æternus eſt mundus ſecundum Ariſtotelem: neutrum altero prius eſt: ſed ſunt contemporanea. Et hoc ſimile eſt ei, quod uulgo apud idiotas quæritur, utrum ſit prius ouum, an gallina. Hoc autem innuit cùm dicit, Omnino autẽ nec tempore, pro eo quod eſt, in toto mundo: & omnino, pro eo quod eſt, in uniuerſum ſeu in totũ, & mundanè: tempore autem præcedit id, quod actu eſt, id, quod eſt potẽtia.*

Separatus autem, eſt tantum id, quod eſt.

*Et hoc rurſus interiectum eſt, quòd, quando intellectus fuerit ſeparatus, & fit ſecundum actum, tunc fit id quod eſt, id eſt, propriè intellectus. Qui enim eſt potentia, non eſt propriè intellectus.*

Et hoc ſolum immortale, & æternum.

*Ecce rurſus aliud dicit proprium, quòd immortalis, & æternus eſt intellectus. Hoc autem ſolum dixit eorũ, quæ hominem conſtituunt. Solus enim hic eſt æternus, & immortalis. Irrationalis enim, & uegetatiua anima, ut dictum eſt, immortalis quidem eſt, non autem æterna. Immortalis autem dicitur, etiamſi corruptibilis putetur: quoniam non quatenus eſt anima, corrũpitur, ſed quatenus eſt in corpore. Quamobrem Plato quoq; dicit omnem animam immortalem, hoc dicens de uegetatiua, & irrationali. Materia autem uiceuerſa æterna quidem eſt, ſed nõ immortalis. Quamobrẽ intellectus exitij expers dicitur, ut qui ſit & æternus, & immortalis. Vide autem, quòd hoc non dicit de intellectu, qui eſt exterius. illud enim, Solum, in neutro poſitum, ad id, quod ſuperius dictum eſt, conſtruitur, quòd μόριον ἐςὶ ψυχῆς, id eſt, pars eſt animæ, ut ſit ſenſus. Hæc autẽ pars animæ eſt & immortalis, & æterna. Qui autem eſt exterius, non eſt pars.*

Non meminimus autẽ, quòd hoc quidem eſt affectione vacuum: paſſiuus autem intellectus, corruptibilis.

*Vide, quòd aliud propriũ dicit, quòd intellectus obliuiſcitur. Plutarchus quidem dicit, quòd hoc tanquã aduerſus dubitationem dictum eſt, quæ dicit: Cur intellectus nõ ſemper intelligit, ſiquidem intus habet cognitiuam facultatem? & ſoluens dicit, quòd hæc cauſa eſt, quòd ipſe cũ imaginatione operatur: illa autem corrupta, nõ amplius per illã operatur, & nõ per ſeipſum. Dubitant autem hoc modo. Certè obliuiſcitur intellectus particularium, quæ in alia uita egit, in quibus imaginatio cooperata eſt, quòd ea corrupta ſit: cur ergo eorum nõ meminit intellectus, quorũ typos ab imaginatione retinuit, & quæ ipſe per ſeipſum operatus eſt? Scimus enim, quòd ipſi etiam Ariſtoteli uidetur, eſſe quædã, quæ intellectus agit ſine imaginatione: ut ad ſeipſum cõuerſionẽ: incorporeorũ cogitationẽ: ad diuina cõuerſionẽ: uniuerſaliũ cognitionẽ: & , ut ſemel dicã, quæcunq; ſine ſenſu intelligit, ea etiã ſine imaginatione intelligit. Ad quod dici poteſt, quòd ſi in morbo particulari diuertuntur, et eorũ, quæ nuper acta ſunt, obliuiſcũtur, ut etiã Thucydes ſcribit, dicẽs, eos ſuipſorũ eſſe oblitos: quanto magis in totius uitæ mutatione obliuiſcũtur eorũ, quæ paulò antè facta ſunt? Ex hoc autẽ tria habe placita: quòd imaginationẽ corruptibilem exiſtimat: ecce enim dicit, intellectum paſſiuum eſſe corruptibilẽ: et aliud placitum, quod quem dicit intellectum non recordari, cum impaſſibilem & affe-*

*ctibus non obnoxium dixit. Qui enim eſt exterius, non dicitur obliuiſci.*

Et ſine hoc nihil intelligit.

*Aliud propriū dicit, quòd ſine imaginatione intellectus nō agit. Vide autē, quòd hoc dictū opus habet aliquo, quod ipſum parumper recreet & leniat. Non enim ſemper agit cum imaginatione: niſi fortè dixeris, quòd, quādo circa paticularia uerſatur. Vel dic etiam aliud, quòd ſine imaginatione paucæ ſunt operationes. Nā & quando circa diuina operatur, prætercurrit imaginatio, ijs, quæ figuris, & typis carent, typos & figuras imponens. Et propterea eam Plato dicit extremū malum. Si ergo ferè in uniuerſum cum imaginatione operatur: quod fit ut plurimum, pro eo, quod ſemper, accepit. Vel dic etiā aliud, quòd intellectus ſemper cum imaginatione operatur. Si enim omnis ſcientiæ principium eſt ſenſus: & ſi defecerit ſenſus, & imaginatio deficit. Si autem imaginatio deficit, & intelligentia. Quā ob cauſam & ij, qui ſunt à natiuitate cæci, nec de coloribus imaginātur, nec intelligunt. Clarum eſt ergo quòd ſine imaginatione intellectus non agit. & in his finitur, deo eſt gratia, praxis, praxis, deo annuente, quartadecima.*

Cap. 4
21
Indiuiſibilium itaq; intelligentia in ijs eſt, circa quæ non eſt falſum: In quibus autē falſum eſt, & verum, iam quædam eſt compoſitio mentis conceptuum.

*Poſt intellectum potentia, qui habuit quatuor capita, & intellectum actu, qui decem, quæ dicta ſunt, habuit capita, uenit deinceps ad intelligibilia. Sciendū autem, quòd in rationali quidem anima ab intellectu incipere oportet, ut qui ſit intelligibilibus manifeſtior: in irrationali autem à ſenſilibus, ut manifeſtioribus. Vbiq; enim à manifeſtioribus doctrinæ initium capiendū eſt. Poſtquam ergo de intellectu docuit, uenit ad intelligibile. Dicit ergo, intelligibile eſſe indiuiſibile. Ex hoc autem ne exiſtimaueris, quòd intellectum dicat ſola indiuiſibilia noſſe. Nouit enim, & indiuiſibilia, & ea, quæ diuiduntur: ſed indiuiſibiliter, & centricè nouit, quæ diuiduntur. Nam & centrū circulū, ſeminis inſtar, continet. Omnia ergo intellectus indiuiſibiliter intelligit. Hoc eſt enim proprium intellectus, quòd diuiſibilia colligat, & uniat, & ea indiuiſibiliter intelligat. Quòd autem etiā diuiſibilia indiuiſibiliter nouit, apertè oſtendit, quòd ipſe dixit, ubi agitur de demonſtratiuo ſyllogiſmo, nō ſolū eſſe ſcientiam, ſed & ſcientiæ principiū, quo terminos nouit, principiū ſcientiæ, intellectum appellans, ſcientiam aut ē cogitationē: & ecce intellectum determinatè, & indiuiſibiliter dicit res cognoſcere. Quoniam ergo de indiuiſibili agitur: ſcire oportet, quòd quinq; modis accipit indiuiſibile. Dicitur enim indiuiſibile, terminus. Scimus enim, propoſitionē duos habere terminos, ſubiectum, & prædicatum. Quemadmodū, Propoſitio eſt, Plato ambulat. Et Plato, eſt terminus: & ambulat, terminus: &, ut ſemel dicam, terminus eſt, ut in libro Peri hermenias didicimus, uox ſimplex. Hoc eſt ergo primum ſignificatum indiuiſibilis, terminus. Secundū eſt ſignificatū, continua magnitudo. Hæc enim eſt potentia quidem diuiſibile, actu autem indiuiſibile. Tertium autem eſt ſignificatum, quod eſt in quantitate indiuiſibile, ut punctus: unitas: nunc. Hæc enim ſunt, quæ in quantitate ſunt indiuiſibilia. Quartū ſignificatum indiuiſibilis, eſt materialis forma. Ipſa enim non diuiditur, ſed, quod ei ſubiectum eſt. Quintū ſignificatū eſt forma immaterialis. Hæc ſunt indiuiſibilis quinq; ſignificata. Vnde & dubitationes duas mouere poſſumus: unam quidē, quomodo à termino alia quatuor indiuiſibilia diſtinxit: ſiquidē & alia quatuor ſunt termini? Vnumquodq; enim eorum eſt uox ſimplex, et propterea terminus: Neq; enim propoſitio eſt, ſi dicas, continua magnitudo: nec rurſus propoſitio eſt, ſi dicas, forma immaterialis. Vnus enim terminus eſt ſolum unumquodq; eorū. Ex uno autē termino ſolū nō fit propoſitio. Si hæc ergo ita habent, quomodo ea à termino diſtinxit, ſiquidem ipſa quoq; ſunt termini? Hæc eſt prima dubitatio. Ad quā dicemus, quòd aliud eſt dicere terminum ſimpliciter: & aliud eſt dicere, talem terminum. Primū ergo indiuiſibilis ſignificatū terminū ſimpliciter ſignificat: alia uero quatuor talem terminū. Non ergo præter rationem, ſed cū magna ratione id, quod eſt ſimpliciter terminus, à tali termino diſtinxit. & hæc, eſt ſolutio. Secundū hoc dubiū mouent, cur formam materialem à magnitudine ſecreuit? Atqui ipſa magnitudo eſt forma materialis. Informi enim materiæ prima forma, ante omnes alias formas, hæc accedit magnitudo. primū enim quantitatem, deinde ſic qualitatem ſuſcipit. Si ergo magnitudo immaterialis forma eſt: cur ipſam à forma materiali ſeiunxit: ſiquidem magnitudo ſub formam materialem reducitur? Hæc eſt dubitatio, ad quam dicemus, quòd non quamuis materialem formam à magnitudine diſtinxit: ſed illam, quæ accedit, poſtquam magnitudinē materia ſuſcepit. Materia enim, formæ magnitudinis ſuſcepta, manet in mētis conceptu: reliquis autem formis ſuſceptis, fit ſenſilis. Seiunxit ergo formam, quæ eſt actu, a forma, quæ eſt in intellectu, id eſt, à forma magnitudinis. Ea enim, etiamſi materiæ acceſſerit, ipſam intellectui relinquit: neq; enim uideri poteſt materia magnitudine prædita per ſe ſine alia forma, niſi intellectu tantū. Quare & ſi materialis forma eſt magnitudo: ipſam tamen à forma materiali ſecreuit, non quauis, ut iam dixi, ſed ab ea, quæ actu eſt, & quæ ſenſilem oſtendit materiā. Quare ſub diuiſionē aliquā cadunt hæc quinque indiuiſibilis ſignificata. Eſt autem hæc diuiſio. Terminus uel ſimpliciter eſt terminus, uel talis. Si itaq; eſt ſimpliciter terminus, facit unum ſignificatū indiuiſibilis, terminū. Si uerò eſt talis terminus: uel eſt potentia quidem diuiſibilis: actu autē indiuiſibilis. Si ergo potētia quidē eſt diuiſibilis: actu autē indiuiſibilis: uel per ſe eſt diuiſibilis: uel per accidens. Si ergo fuerit per ſe diuiſibilis: facit continuam magnitudinem. Si autem per accidēs fuerit diuiſibilis: facit formam materialem: & ſic quidem eſt, ſi potentia quidem fuerit diuiſibilis, actu autem indiuiſibilis. Si autem & potentia, & actu eſt indiuiſibilis: uel cum materia quidem eſt, & facit indiuiſibile, quod eſt in quātitate: ut unitatem: punctum: nunc. Vel eſt immateriale, & facit formam immaterialem. Quoniā ergo ex diuiſione didicimus, quòd quinq; ſunt ſignificata indiuiſibilis, uideamus deinceps, quomodo intellectus unumquodque eorum intelligit. Sciendum ergo, quòd intelligit terminum, qui eſt indiuiſibilis, cùm ſit ipſe indiuiſibilis, ut uocē ſimplicē. Quare neq; ut uera, neq; ut falſa. Circa enim ſimplices uoces non conſideratur nec uerū nec falſum, ſed circa cōpoſitas. Et quamnā ob cauſam in contextu falſi tantū meminit, & non itidem ueritatis? Dicit enim, In indiuiſibilibus quidē intelligētia, circa quæ nō eſt falſum, & nō ſubiunxit, et circa quæ nō eſt ueritas. Nouit enim in libro Peri hermenias, nō ſolū falſum, ſed & uerum non eſſe in ſimplicibus uocibus. Quomodo ergo ipſe in contextu ſolius falſi meminit? Et dicimus, quòd in libro, qui eſt poſt naturalia, quē Metaphyſica uocant, in cōtraria eſt opinione ei, quòd in libro Peri hermenias dixerat. In libro enim Peri hermenias nec uerum nec falſum dixit conſiderari circa ſimplices uocēs, ſeu in terminis: ſed in propoſitionibus uerum, & falſum apparere dixit. In Metaphyſicis autem ait, in ſimplicibus uocibus, ſeu in terminis falſum quidem nō conſiderari, ſed conſiderari ueritatē. Intellectus enim, quando ſimplici aggreſſione ſe applicans ad unam quamq; ſimplicem uocem, idem eſt autē dicere, terminū, ſeorſum, & per ſe intellexerit: uerè intellexit nullo alio adiecto: ut dum dicitur, Ambulat, intellectus quidem protinus inceſſum intellexit, nullo alio addito: ſed per hoc tantū. Rurſus in comedēdo, manducationē, & cibi cōmmutionē*

protinus

proximus intelligit, hoc eſt dentē conuerſione circūagentē, ſine alia additione. Hoc itaq; dicit in Metaphyſicis: nunc autem cum tractatū ſequitur: & propterea à ſimplicibus uocibus ueritatē non arcet, ſed ſolū falſum: eo quòd intellectus nunquā fallitur, ſed eſt ſemper uerus, ſecundum Plotinum dicentem: Intellectus uel attigit, uel non attigit. Quare errare non poteſt. Sciendum autem quòd duplex eſt ueritas, uel ſubſtantiua, uel falſo oppoſita. Subſtantiua quidē, ut ſi ita dicā, Hic homo eſt propriè: Hoc autem dico, ut ad eum, qui eſt in pictura. Ille enim non eſt homo propriè: Illud ergo, eum eſſe, uel ſubſiſtere, de ſolo homine uerè dicitur. Hæc cùm de intellectu dixiſſet, quòd terminum uerè cognoſcit, conuertitur ad cogitationem, & dicit ipſam non ſolum eſſe ueram, ſed etiam falli. Iam uerò & aliud eſt, quòd intellectus quidem omnia uniformiter nouit: cogitatio autem, ut in cōpoſitione: & non idem eſt. Intellectus enim, ut continuū, & unum, nouit, quod nouit. cogitatio autem, ut compoſitū ex multis, ipſum nouit: quemadmodum in portæ: ipſa enim ex multis lignis eſt cōpoſita. Et ſimilis eſt cogitatio Empedoclis amicitiæ, quæ ea compoſuit, quæ ſunt ex contentione diuiſa. Certè & ab Empedocle dictum eſt, quòd niſi eſſet amicitia, multorum uertices collo carentes germinaſſent: hoc eſt, fuiſſent capita ſine collo, niſi eſſet, quæ ea connectit, amicitia. Tertiū ad hæc dicit eſſe cogitationis proprium, quòd ipſa fallatur, uel propter prædicatum, uel propter tempus. Si enim dixero, Homo alatus uel eſt, uel erit, uel fuit, falſa eſt propoſitio, propter prædicatū terminum, dico autē alatum. Si autem dixero, Heri troiana fuerunt, hic propter tempus fuit falſa propoſitio in æternis autem circa id tantū, quod prædicatur, fit falſum: nō ita autem & circa tempus. Si enim dixero, erat, uel eſt, uel fuit deus, ſemper uerum dico: Quod enim ſemper eſt, dico. In non æternis autem, & ſecundum tempus falſa fit propoſitio, & ſecundum prædicatū. Secūdum prædicatum quidem, ut ſi dixero, Hircocerus eſt nunc, falſum enim extitit, non ſecundum tempus nunc, ſed ſecundū prædicatum, eſt: & rurſus ſi dixero, Vmbra nunc eſt corpus, falſum extitit, non ſecundū illud, nunc: nō ſolum enim nunc non eſt corpus, ſed neq; erat, neq; erit, ſed ſecundum id, quod dixit, corpus eſt. Quare in generabilibus falſum fit dupliciter in cogitatione, uel ſecundum prædicatum, uel ſecundum tempus. in æternis autem ſecundum prædicatum tantū. Intellectus autem nihil habet horum. Semper enim omnia intelligit: & nō habet falſum, nec ſecundum prædicatū, neq; ſecundum tempus. Quartum autem in his dicit cogitationis proprium, quòd ipſa quidem circa propoſitiones uerſatur: intellectus autē circa terminos. Quando autem dico circa propoſitiones, ne exiſtima me hoc dicere iuxta modum dictum in logica, quòd circa affirmationem uerſatur, tanquam compoſitionem, quoniam ipſa componit prædicatum cum ſubiecto: circa negationem autem, ut diuiſionem, quoniam ipſa negat, & diuidit prædicatum à ſubiecto: non albus enim, inquit, homo: nunc enim dicimus quòd cogitatio & circa affirmationem uerſatur, ut diuiſio, & compoſitio. Si enim affirmatio, quatenus quidem coniungit, compoſitio dicitur: quatenus autem eſt in duobus, quæ poſſunt diuidi, diuiſio eſt. Negatio autem, etiamſi dicit, non albus Socrates, ei nigrum coniungit, et rurſus eſt compoſitio: eſt & diuiſio, quatenus album ab eo ſeiungit: & ſic nunc cogitatio dicitur circa propoſitiones uerſari. Hæc cùm dixiſſet tanquam per digreſsionem, quoniā dixit, quomodo intellectus intelligit terminum: querit deinceps, quomodo intelligit indiuiſibilē magnitudinem, quod erat ſecundum indiuiſibilis ſignificatum. hoc autem eſt & tertiū. Magnitudo enim eſt tertium: & totum enim eſt, & partes habet, & eſt compoſitum. Et, ut totum quidem, ipſam intellectus ſine tempore intelligit, & in inſtanti. Neq; enim poteſt intellectus ipſam in tempore intelligere. Omne enim tēpus eſt diuiſibile. Si enim in diuiſibili intelligeret: &, quod intelligitur, quod eſt magnitudo, eſſet diuiſibile. Sicut enim habet tempus, ita & magnitudo. Atqui eſt indiuiſibile actu: ut totum enim ipſum intelligit: totum autem eſt indiuiſibile. non ergo ipſum in tempore intelligit, ſed in inſtanti, ſiue nunc. Quòd niſi ſine tempore, & in inſtanti ea intellectus ſciret, non amplius totum intelligeret in ipſo tempore: & inueniretur aliquando non cognoſcens. Cogitatio autem in tempore ipſam cognoſcit. Atqui & ut partes habentem, ipſam intelligit magnitudinē intellectus, diuerſas partes in diuerſis inſtantibus intelligens, unamquanq; partem actu nunc intelligens: ut compoſitum autem, ipſas non amplius intelligit intellectus, ſed cogitatio. Cùm ergo magnitudo tribus modis intelligatur: ut totum: ut partes habens: ut compoſitū: duo quidem intellectus intelligit: ut totum, & ut partes habētem: Vt compoſitum autem, cogitatio. Materialem uerò formam nouit intellectus, nō utiq; per ſe, ſed per mediam imaginationem. Senſilia enim non poteſt per ſe intelligere intellectus: opus enim habet imaginatione. Hæc ergo nouit per intermediam imaginationem. Non autem, quia per intermediam imaginationem intellectus intelligit, iam propterea diuiſibiliter intelligit. Ineſt enim & in imaginatione aliquid indiuiſibile. &, quòd hoc uerū ſit, manifeſtum eſt: eo, quòd primi typi à ſecundis non delentur: nempe, quòd in ea, uidelicet, ſit quid indiuiſibile. Et ſecundum hoc indiuiſibile eam intelligit intellectus, ut ipſam rurſus indiuiſibilem intelligat. Rurſus, quod in quantitate eſt indiuiſibile, intelligit intellectus ſecundum negationem. Sicut enim lucis negatione tenebras intelligimus: ſic numeri negatione intelligimus unitatem: & temporis negatione, inſtans, & quod nūc eſt: & magnitudinis negatione, punctum. Quare ſecundum negationem intelligimus, quod eſt in quantitate indiuiſibile. Si quis autem dicat, & nigrum ſecundum albi negationem cognoſci, fallitur. Ambo enim formam ſortita ſunt: & ambo agunt: hoc quidem congregans: illud uerò diſgregans: & ambo per ſe affirmatiuè cognoſcuntur. Niſi fortè nigrum pro tenebris acceperis: ut illud, Nigræ mortis. Et hæc quidem noſter intellectus negatiuè cognouit. Diuinus autem intellectus omnia affirmatiuè, & applicatiuè cognouit, præter malū. Hoc enim nō nouit, ut id nō faciat. Quod enim oouit, id & facit. Eſt eius enim ſubſtantialis cognitio. & ideo dictum eſt, Dixit, & facta ſunt. Hoc autem ſacræ ſcripturæ uerbum poteſt duobus modis exponi. Quoniam, quod cognoſcit, & dicit, hoc etiam fit: uel quoniam eſt repentina, & quæ momento temporis perficit, eius operatio, propterea dictum eſt, Dixit & facta ſunt. Ex hoc autem habes quoddam corollarium, quod ſequitur. Si enim negatiuè dicit intellectum operari: non utiq; de intellectu diuino uerba facit. & ſic qui in nobis eſt intellectus, cognoſcit id quod in quantitate eſt indiuiſibile. Immaterialem autem formam cognoſcit ſecundum hæc quinq;. Vel enim ut cauſam, idq; uel effectiuam, uel perfectiuam. Neque enim ut finalem tantum, ut quidam putant, ipſam cognoſcit: &, ut nō habentem contrarium, ipſam cognoſcit. Noſtro enim lumini, & bono eſt aliquid contrarium. Apud ipſum autem nō eſt: cognoſcit autem ipſum, ut &, quod intelligit, &, quod intelligitur. Intus enim habens deus cognoſcendi facultatem, etiam ſeipſum intelligit. Quoniam ergo hæc dicta ſunt, in his finitur contemplatio, deo eſt gratia.

Vt qui vnum ſint, vt ait Empadocles, certè multorum quidem vertices colli expertes germinarunt: deinde, amicitia componit: ſic & hæc ſeparata componuntur.

Vide, quid dicit, quòd intellectus quidem uera ſolum nouit: in ijs autem, in quibus eſt falſum, & uerum, hoc eſt cogitationis: & in ijs, in quibus eſt compoſitio, rurſus eſt hoc cogitatio-

nis. Et ecce duo interea dixit cogitationis propria. Hanc autem, inquit, compoſitionem, tanquam unum, diuidit cogitatio. & rectè dixit illud, tanquam. Neq; enim, ut unũ, propriè nouit ipſa. ut unum enim noſſe, propriè eſt intellectus, ſed, ut in appoſitione unum, ipſam nouit intellectus. Quare & cum Empedoclis amicitia ſocietatem habet, quatenus illa quoque in appoſitione unit, & non propriè.

Vt incommenſurabile, ſiue diſcrepans, & diameter.

Quid uult dicere? Quòd etiam iuxta prædicatũ uel uera eſt uel falſa cogitatio. Si enim dixerit diametrum commenſurabile, fallitur propter prædicatum, commenſurabile. Eſt enim ſemper incommenſurabilis, & diſcrepans latere. Si autem dicat, Incommenſurabilis, & diſcrepans eſt diameter, uera eſt propter prædicatum.

22 Si autem eorum, quæ fiunt, vel futura ſunt, tempus, ad vnũ mente agitans, & cõponens. Falſum enim ſemper in compoſitione. Nam & album non album, quod non album, compoſuit. Contingit autem & diuiſionem omnia dicere. Eſt ergo nõ ſolum verum vel falſum, quòd Cleon eſt albus, ſed & quòd erat, vel erit.

Quid per hæc dicere proponit? Quòd ſecundum tempus rectè, uel malè compoſitum, fit falſum, uel uerũ in rebus. Si enim dicis, Erunt troiana, falſum dicis propter futurum tempus. Si autem dicas, Fuerunt, uerum dicis propter tempus præteritum. Semper enim, inquit, in compoſitione eſt uerum, uel falſum, nõ in rebus ſimplicibus. Si enim album Socratem dixeris non albũ, falſum dicis. Et ſi nõ album dixeris album, ſalſum dicis propter compoſitionem non congruam. Et quia utiq; dixit affirmationem, & negationem eſſe compoſitionem: dici autem, inquit, poteſt ambo quoq; eſſe diuiſionem, quia ſunt ex rebus diuerſis: & fieri poteſt, ut diuidantur in terminos, ex quibus ſunt compoſiti. Rectè autem dixit illud, Contingit: certè dici quidem poteſt affirmatio, diuiſio, ut quæ aperte diuidat in ſubiectum, & prædicatum: negatio autem quædam compoſitio, ut quæ ex ſubiecto, & prædicato componatur. Et hic quidem ſic dicit: in logica autem affirmationem quidem dicit compoſitionem: negationem autem diuiſionem. Sed & quòd erat, uel erit, quid dicit? Quòd ſi ſit prædicatum falſum, qui in uno quoq; tempore dicitur, falſa eſt. Vt ſi dixeris Cleonem album, qui non eſt albus: et ſi dixeris, quòd eſt albus, uel erat, uel fuit: falſum dicis propter prædicatum. Tempus enim in hoc differentiam non inducit. & uide, quòd alia quoq; duo propria cogitationis adiecit, quod eſt circa negationem, & affirmationem uerſari, quam compoſitionẽ appellauit: & eam eſſe falſam uel propter prædicatum, uel propter tempus dixit.

Quod autem vnum facit, hoc intellectus, vnumquodꝙ.

Hoc eſt, quod & ſuperius dictum eſt. in hyperbato autem orationẽ ſic lege: Quod autem facit unumquodq; horum unum, intellectus. Diximus enim, quòd intellectus etiã diuiſibilia indiuiſibiliter intelligit. Et uide, quòd pro eo, quod eſt intelligere, facere dixit ualde admirabiliter. Sicut enim id, quod eſt, omnibus eſſe impertit: & pulchrum pulchris ut pulchra ſint: ſic & intellectus ſecundum ſuam ipſius ſimplicitatem, & unitatẽ, quæ ſunt compoſita, facit ſimplicia. Tanquã enim ſimplicia, ea intelligit intellectus, & non ut compoſita.

23 Indiuiſibile autem quoniam duobus modis, vel potẽtia, vel actu, nihil prohibet intelligere indiuiſibile, quando intelligit longitudinem. Indiuiſibile enim actu, & in tempore indiuiſibili.

Ad ſecundũ indiuiſibilis uenit ſignificatum, quod eſt magnitudo, ſiue continuũ. Vel, potentia quidem eſt diuiſibile: actu autẽ indiuiſibile, ut magnitudo: uel, actu quidẽ diuiſibile, potẽtia autem indiuiſibile, ut aqua. Intellectus ergo, inquit, &, quod eſt potentia diuiſibile, ut actu indiuiſibile, nouit: &, quod eſt actu diuiſibile, ut potentia indiuiſibile. Nouit autem hæc, inquit, & in tẽpore indiuiſibili, ne in dimidio ſit dimidium. Vocat autem tempus indiuiſibile, inſtans, & quod nunc eſt, malè dicẽs. Inſtans enim, & illud, nunc, non eſt tempus, ſed principium temporis. Nunc autem dico momentũ. Si autẽ acceperis illud, nunc, quod eſt in latitudine, hoc & principium habet & finem: & tempus eſt. Nunc autem de momẽto temporis, quod nũc eſt, a nobis ſermo habetur. Non quia autem duobus modis eſt indiuiſibile, dixit, quòd ſolum eſt indiuiſibile duobus modis: ſed quòd ſecundũ ipſam magnitudinis ſectionem in duo tantum diuiditur. Magnitudo enim uel potentia eſt indiuiſibilis, uel actu. Longitudo autem actu quidem eſt continua, potentia autem diuiſa. Longitudinem autem nunc audi, pro eo quod eſt, continuum. Dicit ergo, nihil eſſe, quod prohibeat intellectum longitudinem, non quatenus eſt diuiſa, intelligere, ſed quatenus continua. Eſt enim actu continua. Hoc autem ut cõfirmatorium accepit eius, quod ſuperius dictum eſt: quòd compoſita intellectus, ut ſimplicia, apprehendit.

Similiter enim tempus diuiſibile, & indiuiſibile, vt longitudo.

Quoniam dixit, quòd in indiuiſibili tempore intelligit: ne quis dicat, quòd tempus eſt indiuiſibile, dicit tempus eſſe & diuiſibile, & indiuiſibile, malè dicens. Ipſum enim, Nunc, accipit pro tempore indiuiſibili, neſciens, quòd eius, quod eſt quãtum, principia non ſunt quãtitate prædita. Principium ergo temporis non eſt tempus.

Dici ergo poteſt, quid in vtroꝙ dimidio cogitet. non poteſt autem, niſi fuerit diuiſa, præterquam potentia.

Hoc rurſus eſt confirmatorium eius, quod ſuperius dictum eſt, quòd, quatenus tempus eſt diuiſibile, id mente comprehendimus, & non, quatenus eſt indiuiſibile. Decem pedum lignum in dimidio fortaſſe temporis dimidium ligni mente concipimus, quod eſt quinq; pedes: & in alio rurſus dimidio temporis, alios quinq; pedes. Quod quidem non ſic uidetur. Magnitudo enim, inquit, non eſt actu diuiſibilis, ut dicas, quòd dimidium in dimidio temporis intellexit: ſed eſt potentia tantum diuiſibilis. Intellectus autem ipſam, ut actu indiuiſibilem, nouit.

Seorſum autem vtrunꝙ dimidiorum intelligens, tempus etiam ſimul diuidit: tũc autem veluti magnitudines. Si autem, ut ex vtriſque, & in tempore, quod eſt in vtriſꝙ.

Illud autẽ, Intelligens, pro eo quod eſt, cogitans, dixit, abuſiuè loquens. Nunc enim ab eo de cogitatione agitur. Quoniam enim dixit, intellectum indiuiſibiliter intelligere, dicit, quòd cogitatio diuiſim, & ſeorſum unumquodq; nouit. Porrò & quando ipſa unita nouit, & ſimul: ſic ipſa nouit, ut magnitudines ex duobus quibuſdã cõpoſitas, quod dixit, ex ambobus. & in tempore ea nouit, quod eſt, in utriſq;: id eſt diuiſa: & nõ amplius, ut magnitudinem: ſed, ut diuerſas magnitudines. Hoc eſt enim, quod dicit, ueluti magnitudines. & rectè additur illud, Veluti magnitudines. Vna enim ſubijcitur magnitudo, quam ſi ſecundũ diuerſa tempora intelligit intellectus, erũt magnitudines, quod actu una eſt magnitudo, quod eſt abſurdum.

Quod

24 Quod autem eſt, non ſecundū quantitatē, indiuiſibile, ſed forma, id in indiuiſibili tempore intelligit, & indiuiſibili intelligētia animæ.

Tertium eſt ſignificatum indiuiſibilis. Quaſi diceret, quòd continuum quidem nihil probibet intelligere, ut indiuiſibile. Quod autem eſt forma unum, & indiuiſibile, citra controuerſiam in indiuiſibili tempore, & in indiuiſibili animæ facultate cognoſcitur. Quæ eſt autem indiuiſibilis animæ facultas, niſi ſcilicet intellectus?

Per accidens autem, & non, quatenus illa diuiſibilia, id quo intelligit, & in quo tempore: ſed quatenus indiuiſibilia. Ineſt enim & in his quid indiuiſibile, ſed fortaſſe non ſeparabile, quod facit unum, tempus & magnitudinem.

Materialem, inquit, formā intellectus indiuiſibilē intelligit per accidēs. Per ſe enim materialis forma eſt indiuiſibilis, quatenus etiam cum extenſione aliqua conſideramus in infinitum factam continui diuiſionem. Per accidens autem dicuntur habere indiuiſibile: eo quòd eis exterius, & aliunde acceſſerit unio. Hoc eſt ergo, quod dicit, non, quatenus, pro eo quod eſt, non ſicut formæ illæ materiales ſunt diuiſibiles, ſic eas intelligit intellectus: ſed, etiāſi ſint diuiſibiles, ipſas indiuiſibiliter intellectus intelligit: quia eas indiuiſibili ſui parte anima intelligit. Eſt aūt indiuiſibilis animæ pars intellectus, et in tēpore indiuiſibili. Expone autē & ſic, quòd formas, & ſpecies intellectus cognoſcit in tempore indiuiſibili, & in indiuiſibili animæ facultate per accidens: eo quòd ne illæ quidem per ſe ſunt indiuiſibiles: ſed habent unionem per accidens. Quid eſt ergo, quod intellectus intelligit per accidens? & dicimus quòd ipſe quidē à natura habet, ut indiuiſibiliter intelligat: Per accidens autem indiuiſibile intelligit: quoniam ipſis intelligibilibus accidit, ut ſint indiuiſibilia per accidens. Quidā autem dicūt ipſum dicere animam imaginationem: & quid uult dicere, quòd utēs imaginatione intellectus formam materialem intelligit? Vtitur autē, inquit, indiuiſibili parte imaginationis. Habet enim partem indiuiſibilem, ut oſtenditur ex hoc, quòd, qui ſunt in ea primi typi, à ſecundis non delentur. Per accidens autem, inquit, diuiditur & imaginatio, quòd ſit in ſubiecto diuiſibili. Nam & forma ea eſt ratione diuiſibilis. Quo ergo, inquit, inſtrumento utens intellectus intelligit, utpote imaginatiōe. Eſt autem ipſa diuiſibilis per accidens, & nō, quatenus eſt imaginatio. Iam & in tempore, in quo intelligit, intellectus eſt indiuiſibilis: rurſus autem tempus, inſtans, ſeu, quod nunc, appellauit. Eſt autem & ipſum, nunc, diuiſibile per accidens, quòd ſit in tempore diuiſibili. Quantum ergo colligi poteſt, hoc dicit, quòd etiamſi per accidens imaginatio diuiditur, & quod nunc tempus: ſed tamē hæc, ut indiuiſibile, & unum, accipiens intellectus, formam materialem intelligit. Nunquid autem dici poteſt, quòd ſocietatē quoq; uoluit dicere, quam inter ſe habet imaginatio, & forma materialis, quòd ambo ſunt diuiſibilia per accidens. Ineſt enim & in his aliquid indiuiſibile, ſed fortaſſe, nō ſeparabile. Eſt, inquit, & in tempore, quod nunc, indiuiſibile: rurſus autem abutitur: ſed & in imaginatione eſt indiuiſibile, quo utitur intellectus. Cur autem dixit fortaſſe, & dubitauit? Nondum in confeſſo eſt imaginationem non eſſe ſeparabilem, ſed corruptibilem. Nunquid ergo dici poteſt, quoniam eam intellectum paſſiuum appellauit, & eam cum intellectu cooperari dixit, propterea non potuit eam dicere inſeparabilem, ut intellectum: & ideo dubitauit. Deinde quoniam dixit nō eſſe ſeparabilem, ait, quòd non eſt ſeparabilis. Quo quidem ſeparabili omnia, ut unum, intelliguntur, & magnitudo, & tempus. Hoc enim ſeparabile in omni magnitudine, uel tempore, uel continuo, ut in uno eſt: & ideo intellectus, ut qui ſit ſeparabilis, omnia, ut unum, nouit.

Et hoc eſt ſimiliter in omni continuo, & tēpore, & magnitudine.

Hoc eſt, pro eo quod eſt, forma indiuiſibilis, & inſeparabilis in toto eſt tempore, & magnitudine.

Punctus autem, & omnis diuiſio. 25

Hic eſt aliud ſignificatum indiuiſibilis, quod in quantitate eſt indiuiſibile: idem eſt autem dicere de omnibus diuiſibilibus. Sed quoniam eorum, quæ ſunt omnino diuiſibilia, hæc quidem per priuationem cognoſcuntur: illa uerò per ſe: primum dicit de iis quæ per priuationem, ut quæ ſunt nobis notiora, ut punctus, inquit. Ipſe enim, ut in contemplatione dictum eſt, cōtinui negatione cognoſcitur, & poſt pūctum inducit, quod ſic quoq; eſt indiuiſibile, ut uerbi gratia, linea, & ſuperficies. Hæc enim ſunt aliorum fines: & fortaſſe dixerit aliquis: Quid ergo, linea & ſuperficies ſunt indiuiſibilia? & dicimus, quòd quatenus quidem ſunt aliorum fines, ſunt indiuiſibilia. Horum autem omnino meminit, quòd non ſolum punctus eſt diuiſio lineæ: ſed quòd & linea eſt diuiſio ſuperficiei: & ſuperficies ſolidi.

Et, quod ſic eſt indiuiſibile, declaratur, vt priuatio, & ſimilis eſt ratio in aliis.

Et, quod ſic eſt, inquit, indiuiſibile. Sicut autem punctus, ſic & ipſum declaratur ſecundum priuationem. Hoc autem dixit propter incorporea, & diuina, quæ priuatione non cognoſcuntur. Priuatiōe enim profundi ſuperficies cognoſcitur. Linea autem cognoſcitur priuatione profunditatis, & latitudinis. Punctus autem priuatione profunditatis, latitudinis, longitudinis. Hæc autem diuiſiones meritò appellauit. Punctus enim lineam diuidit: & linea ſuperficiem: & ſuperficies corpus: per ſe autem ſunt indiuiſibilia.

Quemadmodum, quomodo cognoſcit malum, vel nigrum: contrario enim quodammodo cognoſcit.

Quòd malum honeſti eſt priuatio in confeſſo eſt. Quòd autem nigrum albi priuatio eſt, falſum eſt. Eſt enim nigrum forma præditum, ut diximus. Nunquid ergo pro tenebris dixit nigrum, ut albi priuatio ſint tenebræ: album autem, ut intelligas lucem? eius enim priuatio ſunt tenebræ.

Oportet autem potētia eſſe, quod cognoſcit, & ineſſe in ipſo. Si autem non eſt alicui ex cauſis contrarium, ipſum ſeipſum cognoſcit, & eſt actu, & ſeparabile.

Ineſſe dicitur, pro eo quod eſt, intus eſſe: nunc autem quærit, quomodo oportet Deum intelligere: & duo quidem præſumit. Primum quidem, quòd oportet id, quod intelligit, eſſe potentia, ut, quod intelligitur. Potentia autem dicit ſecundum aptitudinem: non uult enim Ariſtoteles eſſe rerum rationes in anima. Sicut ergo, inquit, potentia eſt, quod intelligitur: ſic oportet eſſe &, quod intelligit. Oportet enim, quod cognoſcit, ei ſic aſſimilari, quod cognoſcitur, & ſimile ei reddi, & idem eſſe potentia: & rurſus, quod cognoſcitur, ineſſe in ipſo, quod cognoſcit: quod eſt ſecundū. Et quia hæc ſic habet, quod intelligit: Deū cognoſcit ſecundū quinq; quæ dicta ſunt, & ea dicit, præterquā illud, ut cauſam. Dixit autē ipſum nihil habere contrariū, utpotè qui nullam cum alio cōiunctionem, uel omnino oppoſitionē habeat: quoniā ipſe trāſcēderit: Quòd aūt actu quoq; eſt, ſcilicet, & ipſum ſeipſum cognoſcit. Illud autē ſepa-

rabile, ut Plutarchus inquit, nō ſolū intellige à materia corporum, ſed etiā ab animalibus ſpeculantibus. Quod quidē dicere uolens ſeparatum, dixit ſeparabile. Diuina enim ſunt ſeparata. Quare ſecundū rationē Ariſtotelis, Cuicunq; rei cauſæ exiſtēti nō eſt cōtrariū, illa res ipſa ſeipſam cognoſcit: & actu eſt, et eſt ſeparabilis: & nō ſolum intellectus, ſed et aliud tale fuerit.

26 Eſt autē propoſitio enūtians aliquid de aliquo, vt affirmatio, & vera & falſa omnis: intellectus autem non omnis.

Poſtquā oſtendit Ariſtoteles, quòd eſt æternus intellectus: & quòd à ſenſu differt: & quomodo intelligere ſit ſecundum differentiā intelligibiliū: non prius ab intellectu recedit, quàm abſolutè dicat, quomodo diſcernatur, & diſtinguatur. Et tribus quidē modis diſcernit intellectū: eū, qui circa ſimplicia uerſatur, ab eo, qui uerſatur circa compoſita, quod eſt cogitatiōis, intellectū, qui eſt potētia, ab eo, qui eſt actu: actiuū intellectū à cōtemplatiuo. Et primū quidē una differentia diſcernit: ſecūdum autē duabus: & tertiū tribus. Differt ergo, inquit, qui circa ſimplicia uerſatur intellectus, ab eo qui circa cōpoſita uerſatur, id eſt, à cogitatiōe: ipſa enim circa cōpoſita uerſatur: quòd intellectus quidē ſemper eſt uerus: cogitatio autē & uera eſt, & fallitur: & neq; ſimile eſt uerū cogitatiōis uero intellectus. Eſt enim intellectus uerū ſubſtantiale: cogitationis autē eſt in cōpoſitione alicuius ſecūdū aliquid: & eſt intellectus quidē ſenſui ſimilis, qui uerſatur circa propria ſenſilia, qui eſt ſemper uerus. Cogitatio autē eſt ſimilis ſenſui, qui uerſatur circa ſenſilia per accidens. Ipſe enim aliquando quidem fallitur, aliquando uerò eſt uerus, & eſt in cōpoſitione: aliud enim ex alio cognoſcit, ut ex albo, quòd homo eſt. Simplices ergo mētis cōceptus, ut qui habeāt ꝓportionē, & cōuenientiā cū ſenſu, qui propria gerit negotia, & eſt ſemper uerus, ueri ſemp ſunt. Mētis autē cōpoſiti conceptus, ut qui proportionē habeant cū ſenſu aliena gerente negotia, & qui aliquando quidē eſt uerus, aliquādo uerò fallitur, propterea & ipſi aliquando quidē ſunt ueri: aliquando uerò falluntur. Sic ergo diſcernit eū, qui circa ſimplicia uerſatur, intellectū, ab eo, qui circa cōpoſita uerſatur. Deinde diſcernit intellectū, qui eſt potentia, ab eo, qui eſt actu. Primū quidē, quòd intellectus actu res ipſæ eſt. Qui eſt autē potētia, non eſt res ipſæ, niſi ipſas intellexerit. Secundò autē, quòd intellectus quidē potentia, in particulari tēpore, eo, qui eſt actu, prior eſt: in uniuerſo autē non eſt prior: eſt enim ſemper & actu & potētia. Oportet enim ſemper eſſe, quod actu eſt, ut id, quod eſt potentia, in id, quod eſt actu, reducat. Poſtquam ergo hoc ſic diſtinxit, diſcernit & intellectū contēplatiuū ab actiuo: & hanc dicit primā differentiā, quòd actiuus quidē intellectus ſemper circa particularia uerſatur: contēplatiuus autem etiā circa uniuerſalia. Secundā dicit differentiā. Actiuus quidē ſemper imaginatione utitur: contēplatiuus autē non ſemper. Tertia eſt differentia, quòd ſit in contēplatiuo quidē uerū, & falſum: in actiuo autē bonū, & malū: atq; adeò hæc eſt melior differentia. Secunda enim non eſt ualde neceſſaria: nam & intellectus ſemper contēplatione utitur. Sciendū eſt autē, quòd non eſt alius ab actiuo contēplatiuus intellectus, ſubiecto. Sicut enim non eſt alius, qui eſt potentia, intellectus, ab eo, qui eſt actu, ſubiecto: idē enim eſt: ſed ſolum tēpore differt: ſic & habet intellectus actiuus ad contēplatiuū. Subiecto enim idem eſt, ſed eſt habitudine diuerſus. Contemplatiuus enim habet proportionem cum uiſu, qui colorum ſpecies tantum uidet, et cognoſcit, quòd hoc quidem eſt album, illud uerò nigrum. Actiuus autem intellectus habet proportionem cum uiſu non ſolum colorum ſpecies cognoſcente, ſed &, quod delectat, ſibi aſciſcente, quod autem moleſtia afficit, auerſante. Sicut enim uiſus qui præter nigrum, & album, quod eſt iucundum, & moleſtum, cognoſcit: ſic & actiuus intellectus non ſolum uerum, & falſum cognoſcit, ſed & bonum, & malum, & proportionem quidem habet, quod in uiſu eſt iucundum, cum bono: quod autem in uiſu eſt moleſtum, cum malo. Sæpe autem intellectus, quod moleſtū eſt, pro iucundo eligit: eo quòd ſit, quod moleſtum eſt, bonum, quod autem iucundum eſt, aliquando etiam malum. Quare hæc eſt differentia, quòd contemplatiuus quidem intellectus operatur ſine appetitu, ueritatem ſolum & falſum cognoſcens. Actiuus autem intellectus cum appetitu operatur, quòd ſciat quidnam bonum quidem eſt, quidnam uerò malum. Poſtquam huc uſq; produxit differentiam inter actiuum, & contemplatiuum, aliam quoq; tradit differētiam intellectus à ſenſu. Quoniam enim & in diſcernendo intellectu à cogitatione, & rurſus in tradenda differentia contemplatiui ab actiuo, intellectū ſenſui aſsimilauit: ne quis exiſtimaret, quòd in omnibus ſimilis eſt intellectus ſenſui: propterea nunc tradit differentiam inter intellectum, & ſenſum: & dicit, quòd particularis ſenſus, ut uiſus, nouit album, & nigrum: & eſt commune uehiculum albi, & nigri, uiſus: albi autem, & dulcis, communis ſenſus cōmune eſt uehiculum. Differentiam, quam habet album ad dulce, non nouit uiſus, ſed communis ſenſus. Sicut ergo particularium ſenſuum terminatio eſt communis ſenſus: ſic & contemplatiuorum intelligibilium commune eſt uehiculum, intellectiua cognitio, & actiuorum: quemadmodum boni & mali, intellectiua actio. Vtrorumq; autem, & contemplatiuorum, & actiuorum intellectus eſt uehiculum. Et intellectiuam quidem cognitionem Plato προσεκτικόν, id eſt attentiuū appellat: intellectiuam autem actionē συνειδός, id eſt conſciū. Hæc autem dicebat eſſe ſubiecto eadem. Nam & cognoſcens agit: cum cognitione enim uita coniuncta eſt: & unum eſt quod dicit: ego intellexi, & conuerſus ſum. Si hoc enim non ſic habet, eſt rationi conſentaneum dicere, quòd tu quidem hoc, ego uerò illud ſenſerim. Hæc autem ratione differunt, quòd hic quidem agat, ille uerò cognoſcat: & in hac quidem eſt opinione Ariſtoteles. Porrò & ſecundum ipſa ſubiecta communionem habent, & ſocietatem. Quod enim bonum, etiam uerū eſt: Quod autem malum, falſum. Sed differunt, quoniam bonam ad aliquid dicitur. Quod enim ad animam bonum eſt in uirtutibus, hoc eſt malum corpori. Verum autem non dicitur ad aliquid: ſed ſemper idem eſt uerum & honeſtum. Neq; enim Plato eſt admittendus dicens, quòd furenti enſis depoſitum confiteri, uerum quidem, malum autem. Verum enim ſecundum Ariſtotelem, quatenus uerum, ſemper honeſtum. Sciendum autem, quòd, etiamſi diximus ſimilem eſſe communem ſenſum intellectui: quoniam, ſicut communis ſenſus eſt terminatio omnium particularium ſenſuum, ſic & omnium intelligibilium terminatio eſt intellectus, & cogitabilium, & opinabilium: uerumtamen eſt quædam differentia. In ſenſibus enim eſt alius communis ſenſus præter quinq;: in intelligibilibus autem non eſt aliud, quod cognoſcit præter tria: ſed unum eſt ex tribus, quod cognoſcit differentiā. Intellectus enim, cū ſit pars triū: & opinionis dico, & cogitationis, & intellectus: ipſe nouit differentiā intelligibiliū ad cogitabilia, & cogitabiliū ad opinabilia. Hæc eſt ergo differentia intellectus à cōmuni ſenſu. Sciendū autē, quòd ſicut cōmunis ſenſus non ſolū ea nouit, quæ cognoſcunt ſenſus particulares, ſed et alia præter hæc: nouit enim cōmunis ſenſus differētiā ſenſiliū, quæ cadūt ſub ſenſum, hoc ſenſibus, ut iā diximus, neſcientibus: Particulares enim ſenſus dulce & album tantum cognoſcunt: Communis autem ſenſus non hæc tantum, ſed & ipſorum nouit differentiam: ſic ergo & intellectus non ſolū intelligibilia, & cogitabilia, & opinabilia nouit, ſed & eorū differentiā. Quæ enim deteriora cognoſcit, & meliora ſcit. Quæ

autem

autẽ meliora nouit, deteriora neſcit. Differentiã ergo cogitabilium, & intelligibiliũ, uel cogitabiliũ, & opinabiliũ nõ nouit, nec cogitatio, nec opinio: eã autẽ intellectus cognoſcit: utriſq; ergo melior eſt, & cogitatiõe, & opinione. Eſt ergo eiuſmodi proportio. Sicut nigrũ ad propriũ mẽtis conceptũ: ſic & albũ ad propriũ mẽtis conceptũ: & è conuerſo, ſicut nigrũ ad albũ, ſic mẽtis conceptus albus ad mentis conceptũ nigrũ. Et in his, deo eſt gratia, finitur contẽplatio. Eſt autẽ propoſitio enunciãs aliquid de aliquo, ſicut affirmatio. Quid uult dicere? quòd differt quidẽ, qui circa ſimplicia uerſatur intellectus, ab eo, qui circa cõpoſita uerſatur: circa mente enim conceptã, & internam propoſitionẽ, inquit, uerſatur affirmatio: Ipſa enim ueluti ſimplex eſt, dum in animi adhuc diſpoſitione ſita eſt, & ſemper uera eſt. Qui autẽ circa cõpoſita uerſatur intellectus, in affirmatione, quæ eſt ſecundũ probationẽ, uerſatur, quæ habet uerum, & falſum. Dicere ergo ipſum uera, uel falſa, in omni accepit affirmatione, quæ eſt ſecundũ prolationẽ, nõ autẽ de interna. Nõ enim omnis intellectus, pro eo quod eſt, uerus eſt, uel fallitur. Simpliciũ enim mentis cõceptuũ & intelligẽtiarũ intellectus uerus eſt tãtũ, nõ etiã fallitur. Quare nõ omnis uerus eſt intellectus, uel falſus, propter actiuũ ait dictũ eſſe. Cõtẽplatiuus enim ſimplices, & puros mentis conceptus, & intelligẽtias apprehẽdens, nõ fallitur. Actiuus autẽ, quoniã & ſecũ, & inter ſe formas materiales cõponit, in eo, inquit, cogitat, & propterea fallitur. Quare propter cogitationẽ rurſus falſum ſequitur.

Sed, qui eſt eius, qđ quid eſt, et ſecũdũ qđ quid eſt eſſe, verus, & non aliquid de aliquo.

Quaſi diceret, illũ ſolũ uerũ eſſe intellectũ, qui eſt ſecundũ quod quid eſt, & ſecũdũ quod quid eſt eſſe. Illud ergo, quid eſt, ſubſtantiã declarat: Quid eſt autẽ eſſe, formã, tanquã tale ſit, quod dicitur: ille ſolus uerus eſt intellectus, qui ſubſtantiã, quæ eſt ſecundũ formã, apprehendit, id eſt, qui ipſam formã per ſe apprehendit: is eſt autẽ contemplatiuus, qui & ſemper uerus eſt, & non eſt aliquid de aliquo, id eſt, non circa cõpoſita uerſatur. Circa compoſita enim uerſari nõ eſt intellectus propriè, ſed cogitationis. Ne exiſtima autem quòd intellectus quidem idem eſt ſubiecto, quod cogitatio: eſt autem ratione diuerſus: nam & intellectus à cogitatione eſt ſubiecto diuerſus.

Sed ſicut videre proprium, verum: ſi autẽ homo, quod eſt albũ, vel nõ, nõ ſemper verũ.

Quid eſt illud, uidere propriũ? pro eo quod eſt, quod eſt ſibi propriũ uidere, & propriũ negotiũ gerere, ut uidere, quod eſt albũ, & ſoliũ, nõ itidẽ autẽ & ſubſtantiã, cui quidẽ hoc album ineſt: hoc enim non ſemper uerũ. Fallitur enim quãdoq; ſenſus circa ſenſilia per accidens, ſicut ſuperius dictum eſt.

Sic autem habent, quæcunq; ſine materia.

Quid dicit? quòd ſicut ſe habet ſenſus ad propria ſenſilia et non propria: ſic &, quæ ſunt ſine materia, ad intelligibilia. Sine materia autẽ dicit cogitationẽ, & intellectũ: Immateriales enim ſunt hæ facultates, & cogitabilia, & intelligibilia ſunt rurſus res immateriales, & intelligibilia quidẽ, quæ quidẽ etiam ſimplicia dicit, ait cũ uiſu habere proportionẽ, qui propriũ uidet: cogitabilia autem, quæ etiam compoſita appellat, dicuntur cum uiſu habere proportionem, qui gerit alienum negotiũ, & qui non uult ſolum cognoſcere, quòd album, ſed etiam quòd albus homo, uel equus.

27 Idem eſt autẽ ſciẽtia, quæ eſt ſecundũ actũ, quod res. Quæ eſt autem ſecũdum potentiã, tempore prior in vno.

Rem dicit, ſcibile. Dicit ergo ſcientiã, quæ actu eſt, idẽ eſſe, quod ſcibile. Non cognoſcit enim ſciẽtia ſcibile, niſi ei aſſimiletur, & fiat quale ipſum. Hoc autẽ nõ temere interiectũ eſt: ſed quoniã de intelligibilibus agitur: intelligibilia autẽ per mediã ſcientiã fiunt intelligibilia: et intellectu cognoſcũtur: propterea ſciẽtiæ mentionẽ fecit, dicẽs, ſciẽtiã, quæ actu eſt, ſimilẽ eſſe ſcibili. Quæ autẽ eſt ſecundũ potentiã ſcientia, eſt prior ſcientia, quæ eſt ſecundũ actum in uno indiuiduo.

Omnino autem & ſimpliciter, nec tempore quidem. Sunt enim ex eo, quod perfectiõe & actu eſt, omnia, quæ fiunt.

Quidam libri habent græcè ὅλως, id eſt, omnino. Quidam uerò ἁπλῶς, id eſt, ſimpliciter: hoc eſt autem, quod dicit, quòd, ut in uniuerſum, & ſemel dicatur, in uniuerſo mũdo non eſt prius, quod eſt potẽtia, eo quod actu eſt: quia omnia ex aliquo, quod perfectiõe, & actu eſt, producũtur in actum, per id quod poteſt producere. Illud autẽ, Ex eo, quod perfectione, & actu eſt, quidam dicunt nõ debere ad opificẽ referri: ſed quòd quidquid eſt potẽtia, eſt in alio, quod eſt actu aliquid aliud, ut ſemen potẽtia quidẽ eſt fœtus: actu autẽ ſemẽ: & panis potẽtia quidẽ eſt ſanguis: actu aũt panis. Exiſtimo autẽ eos nõ rectè dicere, nihil enim ſolũ ſemper actu eſt, ex quo omnia pducũtur, niſi ſolus opifex. Cùm hic autẽ eſſet Alexãder, dixit perturbatã eſſe orationẽ, ſiquidẽ ſuperius quoq; diſcreuit intellectũ, qui eſt potẽtia, ab eo qui eſt actu. Porrò & nũc hoc ipſum facit. Ad qđ dicimus, quòd duobus quidẽ modis loquitur: nõ eſt aũt pturbata oratio: hoc enim nũc fecit, ut totã ſimul differentiã dicat.

Videtur autẽ ſenſile quidẽ, ex eo, quod eſt potentia, ſenſitiuo actu faciẽs. Nõ enim patitur, neq; alteratur. Quare hæc eſt alia ſpecies motus. Motus enim imperfecti actus eſt. Actus autẽ ſimpliciter alius eſt, qui eſt perfecti. Cap. v. 28

Quid ſibi uult hic cõtextus? Vult diſcernere intellectum actiuũ à cõtẽplatiuo. Priuſquã autẽ ad tradendã differẽtiã accedat: uult aliquid de ſenſu dicere, propter duas cauſas: uel quòd hoc habet cõmune intellectus cũ ſenſu, quòd citra mediũ operatur: uel quia in hac diſtinctiõe in afferendis ſenſus exẽplis magnopere delectatur: propterea dicit aliquid de ſenſu iã dictũ, quòd potẽtia ſenſus eſt ſecundũ habitũ, & nõ ſecũdũ aptitudinẽ, ut cogitatio, quãdo nõ operatur. Quãdo autẽ ſenſile adfuerit, & ſenſus operatus ſit, tũc à præſentia ſenſilis deducitur in actũ: uenit autẽ ad id, quod actu eſt, nõ per motũ, nihil enim patitur, nec alteratur ſenſus, qui deducitur ab eo, qđ eſt ſecundũ potẽtiã, ad id, qđ eſt actu. Vult enim Ariſtoteles id qđ à ſecũdo potẽtia ad id, quod ſecundũ actu eſt, deducitur, nõ alterari, nec pati. Vnde uel non eſt motus, uel eſt alia ſpecies motus. Siquis enim uult hũc motũ dicere, aliã ſpeciẽ motus dixerit præter eas, quæ in Phyſica dictæ ſunt, et naturã innouauerit. Deinde cõfirmat etiã, quòd nõ eſt motus, à ſecũdo potẽtia, ad ſecũdũ actu progreſſus. Dicit enim motũ eſſe imperfecti actũ: motus enim ab imperfecto ad perfectũ fertur, & patitur, & alteratur. Quod eſt autem ſecundum potentia, perfectum eſt. Perfectorum autem actus non eſt motus, ſed aliquid aliud præter motum. Non eſt ergo motus, à ſecundo potentia deductio ad ſecundum actu, ſed mutatio.

Sẽtire ergo ſimile eſt ei, quod eſt dicere ſolũ intrinſecus, & intelligere. Quãdo autẽ iucundũ, vel moleſtũ, veluti affirmãs, vel negãs perſequitur, vel fugit; & eſt delectari, vel moleſtia affici, operari ſenſitiua medietate ad bonum, vel malum, quatenus talia. 29

Diſcreuit intellectũ contẽplatiuũ ab actiuo, & quid dicit? quòd, ſicut ſenſus, qui habet tantũ dicere intrinſecus, id eſt cognoſcere, & intellectu cõprehendere, dicitur contemplatiuus.

Qui

*Qui autē habet ut moleſtia afficiatur & delectetur, affirmare ait, & perſequi, quoniam ipſum ſuſcipimus, & ad ipſum uenimus. Suſcipere ergo ipſum dixit & affirmare. Moleſtū aūt negamus: ipſum enim nō ſuſcipimus, ſed & fugimus. Tāquā autē, inquit, indicatiua facultate actiui intellectus indicatur bonū & malū. Ne ergo omnia de eodē accipe. Deinde quoniā oſtenſum eſt ſuperius, idē eſſe ſubiecto ſenſum, quod appetitiū: cūm oporteret autē dicere, quòd actiuus intellectus cū appetitu operatur, dixit, quòd cum ſenſu, eo quòd ſubiecto idē ſit ſenſus, et appetitus. Ad bonū, uel malū, quatenus talia. Rectè autē adiectum eſt illud, Quatenus talia: neq; enim ipſa per ſe ſunt bona uel mala, ſed ut ad animal: ut, quod ſeruat quidē, dicatur bonū: quod autem corrumpit, dicatur malum.*

Porrò & fuga, & appetitus idē, qui eſt ſecundū actū, & non eſt aliud appetitiuū, & fugiendum, nec à ſeinuicem, nec à ſenſitiuo: ſed quod quid eſt eſſe, aliud eſt.

*Quid dixit? Quod actu moleſtū eſt, cum uoluptate, quæ eſt actu cōparans, ait ratione differre: uocauit autē fugiendū quidem, quod moleſtū: appetitum autē, iucundum. Deinde, ne quis exiſtimaret, quòd alia quidē facultate aliquod iucundū appetimus, alia autem, quæ moleſta ſunt, fugimus, nunc dicit, quòd nō differt uoluptas à moleſtia, niſi ratione, ſeu definitione: nō enim ſubiecto: ambo enim ſunt ſub anima irrationali. & quid hoc dico, cùm nec ſentire quidem ab eo, quod eſt uoluptate affici, ſubiecto differat? nam & hæc ambo ſunt ſub irrationali: in eo autem, quod quid eſt eſſe, differunt: id eſt, in ratione, ſeu definitione. Hoc autem dixit, ut oſtendat, contemplatiuū etiam intellectum ab actiuo ratione tantum differre.*

30 Cogitatiuæ autem animæ viſa, vt ſenſa, inſunt. Quādo autē bonū, vel malū affirmarit, vel negarit, fugit vel perſequitur. Quare nunquam ſine viſo intelligit anima.

*Cogitatiuam animā dixit, abuſiuè loquens, contemplatiuum intellectū: & quid dicit? quòd ipſe quoq; imaginatione utitur, ut & actiuus intellectus. Sed ſi utitur, inquit, imaginatione, huic uiſa, inſunt, inquit, ut ſenſa: hoc eſt ſenſus ſolū, ſine dolore, & uoluptate. Actiuo aūt intellectui, qui habet bonū, & malum, ſubiecta, inquit, ſunt ueluti affirmationes, & negationes: & ſic uoluptate utitur, & triſtitia: & iucundū quidem perſequitur, fugit autē, quod moleſtū. Hic autē ſemper quoq; imaginatione utitur: eo quòd ſemper delectetur, uel moleſtia afficiatur, quod quidē non eſt ſine imaginatione. Primus autē nō ſemper: nihil enim particulare ſine imaginatione intelligit. Vniuerſalia autem etiā ſine imaginatione intelligit. Ne exiſtimes autem idem eſſe bonū & iucundū, & malum & moleſtū. Eſt enim iucundum malū rebus uti uenereis: & eſt moleſtiam exhibens bonum, eſſe circa omnia continentem. Ne ergo putaueris actiui iucundum idem eſſe, quod eius bonum.*

31 Sicut autē aër pupillā talē fecit: ipſa autem aliud: & auditus ſimiliter: extremū autē vnū, & vna medietas: ei autem eſſe plura tribuunt. Quonā aūt dijudicat, qua ratiōe differat dulce & calidū, dictū eſt quidē et pri⁹: dicēdū aūt & ſic: eſt em̄ vnū quidpiā: ſic aūt vt & terminus.

*De cōmuni uehiculo nunc agitur: & quid dicit? quòd ſicut aër pupillā alterat: & pupilla ſpiritū: & ille facultatē cryſtallinam: & ipſa excitatur, & uidet, cùm ſit una. In eo autē, quod eſt eſſe, hoc eſt, ratione, ab alijs iudicantibus diuerſa eſt. Nā & auditus ſimiliter habet unum, quod iudicat: Sicut ergo in his, ſic in intellectu eſt cōmune uehiculum, quod quidē eſt extremū diſcretiuū mediū, & primum quidē dicit contextus de uiſu, & auditu: Illud autem, Sic habet intellectus uehiculum, non dicit: ſed cùm prima dixiſſet philoſophus, reliqua ſubaudiri permiſit, quæ ſunt de intellectu, & ad alia conuertitur, dicens, quòd ſic quidē particularis ſenſus indicat: albū, & dulce non ipſe iudicat: ſed quiſnā ſit ſuperius diximus, & nunc quoq; dicemus, nempe communis ſenſus: ipſe enim, inquit, horum eſt cōmune uehiculum, exiſtens, inquit, ut terminus. Terminū autē nunc uocat centrum circuli, à quo multæ lineæ procedunt.*

Et hæc quidem in proportiōe & numero, 32
quem habent ad vtrunq;: vt illa ad ſeinuicem.

*Quid dicit? Quòd, ſicut terminus, hoc eſt centrū, ſic habet & communis ſenſus, & proportione, & numero. Proportione quidē, quòd, ſicut centrū ſe habet ad utranq; ex his lineis, quæ à centro procedunt, ſic habet & cōmunis ſenſus ad utrunq; ex ſuis ſenſibus: & ſicut rectæ ſe habent inter ſe, ſic & particulares ſenſus, inquit, habent aliquā proportionē. Sic quidē proportione: numero autē quomodo? quòd ſicut centrū, cùm ſit unum, ad multas habet lineas habitudinē: ſic & cōmunis ſenſus, cùm ſit unus, habet ad multos ſenſus habitudinem.*

Quid enim refert hoc dubitare, quomodo, quæ ſunt eiuſdē generis, iudicat, vel cōtraria, vt albū, & nigrū? Sit autē vt. A. quidē albū ad B. nigrū. G. ad. D. vt illa ad ſeinuicem. Quare & è conuerſo ſi. G. D. vni inſint, ita habebūt ſicut &. A. B. idē autem & vnum. eſſe autē nō idem. & illud ſimiliter. eadem autem ratio & ſi. A. dulce quidē ſit. B. verò album.

*Quoniam dixit, quòd ſicut cōmunis ſenſus ſe habet ad propria: & ne dubita, inquit, quomodo, quæ ſunt eiuſdē generis, nouit ſenſus particularis, ſiquidem nō dubitas, quomodo, quæ ſunt diuerſorū generū, nouit cōmunis ſenſus: idem eſt enim Eiuſdem autem generis uocauit albū, & nigrum: ambo enim ſub colore. Diuerſorum autem generū, album, & dulce: hæc enim, ut quæ ſub diuerſos ſenſus cadunt, ſunt diuerſorum generū. Sit autē, ut aliquod quartū album ad ſecundū nigrū, tertium ad quartū, ut illa ad ſeinuicem. Nunc accipit elementa, primū quidem ſignificans albū, ſecundum autē nigrum: aliquando autem & dulce: tertium autem & quartum pro intelligibilibus accipit: ut ſit tertium quidem ratio albi, quartum autem ratio nigri: & quid dicit? Quòd ſicut cōmunis ſenſus nouit primū & ſecundum: ut accipias primum quidem ſimiliter ſignificans album: ſecundum autē dulce: ſic & intellectus nouit tertium & quartum, id eſt eorum rationes. Nouit autem & è conuerſo, inquit, intellectus primum tertiū, & ſecundū quartū, hoc eſt, etiam ſenſilia. Idem autem & unū: eſſe autem non idem: & illud, Similiter, ſubiecto quidem, inquit, idem eſt, formam dico albi, uel nigri, uel nigrū, uel album: ratione autem ſunt diuerſa: aliter enim uidet albū, & nigrum, & aliter intelligit.*

Formas ergo intellectiuū in viſis intelligit:
& , ſicut in illis, ipſo definitum eſt, id, quod eſt 33
perſequēdū, & fugiēdū: & intra ſenſum, quādo in ipſis viſis fuerit, mouetur: vt ſentiens facem, quia eſt ignis, communi cognoſcit, dum videt moueri, eſſe hoſtem.

*Quid dicit? quòd actiuus intellectus formas rerū intelligit, utens imaginatiōe: et ſicut in ipſa, inquit, eſt pſequi, et fugere, cū ſit appetitus: ſic et in intellectu. Hæc ſūt quoniā delectatur, et moleſtia afficitur. Vel hoc ergo dixit, uel aliud, qđ uiſa, quæ ſuperius ſenſilia, appellat: inferius aūt imaginationē. & quid dicit? quòd intellectus quidē ſimul cum ſenſilibus aliquando operans,*

*rari, & lætatur, & dolet. Aliquando autem ſine ſenſu imaginatione utitur, & operatur. Quando enim face uiſa intellexerit, eſſe hoſtem, cum ſenſu cooperatus eſt. Quando autem cõſultãs ubi bellum gerere oporteat, tunc imaginatione utitur, ut ſentiens facem, quòd ignis, cõmuni cognoſcit? Quid eſt, Comuni cognoſcit? nonnulli quidã dicũt? motu ignis. Motus enim eſt cõmune ſenſile. Eſt autẽ abſurdũ in cognoſcẽte dicere de cõmuni ſenſili, cognoſcẽs enim dixit. Dic ergo eũ hoc dicere, quòd ignẽ cõmuni ſenſu cognoſcimus: hoc autem dixit, ut ſciens, quòd, quæ particulari ſenſui ſubijciuntur, ſubijciuntur quoq; communi.*

Quando autẽ in ijs, quæ ſunt in anima, viſis, vel mentis conceptibus, ſicut vidẽs, ratiocinatur, & conſultat, futura ad præſentia com
34 parans, & quãdo dixerit, quòd illic iucundũ, vel moleſtum hic fugit, vel perſequitur, & omnino in actione, & quod ſine actione eſt verum, & falſum, in eodem eſt genere bono, & malo: ſed differt quidem eo, quod ſimpliciter, & quod alicui.

*Quid dicit? quòd quando imaginatus conſultauerit, ubi bellum gerere oporteat, & accommodatũ quidem locũ, & iucundum elegerit, moleſtum autẽ fugerit, tũc imaginatione utitur. Scire autem oportet, quòd iucundum quidẽ, & moleſtũ ſemper eſt in actiuo intellectu, in quo eſt & bonũ. Differt autem eo, quod eſt ſimpliciter, & alicui: quia uerum quidem ſemper ſimpliciter dicitur, & ſemper eodem modo ſe habet: Bonũ autem ad aliquid quidem malum eſt, & inutile. Quod enim ad aliquid bonum eſt, ut ad animam, hoc ad corpus bonum non eſt. Et in his praxis, deo eſt gratia, completur.*

35 Quæ autẽ ſunt in ablatione ſeu abſtractiõe intelligit. Queãdmodũ ſi ſimũ, quatenus quidẽ ſimũ, nõ ſeparatè. Quatenus autẽ eſt cõcauum, ſi quid quidẽ actu cogitaret, ſine carne cogitaret, quatenus cõcauum, ſic mathematica ſeparata, ut ſeparata, intelligit, quando illa intelligit.

*Poſtquam ſimplicem intellectum à cõpoſito diſcreuit: & actiuum à contẽplatiuo: & eũ qui eſt potentia, ab eo, qui actu: rurſus uenit ad intelligibile: & hoc nũc docet. Et quoniã intelligibile forma eſt: Forma aũt triplex: uel omnino materialis, ut res naturalis: uel formæ penitus expers: uel partim quidẽ materialis, partim aũt materiæ expers, ut mathematica: Superius aũt examinauit & materialem formã, quãdo dixit hoc, illud quidpiã eſſe: Sed & immaterialẽ, ubi quærebat hoc per hoc qđ quid eſt eſſe: nũc uenit ad mathemata, & quærit, quomodo ea nouit intellectus? & dixit quòd non ut materialia ipſa nouit, ſed ut immaterialia. Non nouit enim ipſa, ut ſimum, quod omnino in materia, nẽpe nare, intelligitur: ſed nouit ea, ut incuruũ, hoc enim ſine materia intelligitur. Mathemata autẽ intelligit intellectus inſtrumento utens indiuiſibili, imaginatione. Imaginatio enim eſt indiuiſibilis. Quando enim currentẽ Socratẽ mente agitarit imaginatio, ut unũ ipſum intelligit, & nõ qui ſit diuerſus, quatenus currit. Si enim imaginatio eſt à ſenſu, qui tranſmigrare non poteſt, ſcilicet & ipſa eſt indiuiſibilis, & ab alio in aliud nõ deſcẽdit: ſed ſimul imaginatur. Ex hoc autẽ colligitur imaginationẽ ſolũ eſſe uerã, ſicut & intellectus & ſenſus, nõ autem etiã falſam eſſe: eo quòd nõ imaginatur in cõpoſitione. Ex hoc autẽ oſtenditur etiã animã eſſe ſeparabilẽ: ſiquidẽ ea, quæ ſeparari non poſſunt, dico autem mathemata, intellectu ſeparat, eo quòd ſubſtãtiale habeat ſeparabile. Hæc poſtquã dixit, quærit, ſi intellectus ſecundũ actũ res ipſe eſt, & ſi eſt in generatione, an res immateriales poteſt cognoſcere, an nõ. Et id dubiũ quidẽ mouet, in præſentia autẽ non ſoluit. Ad hoc autẽ dicit Plato, quòd poteſt intellectus quidẽ, qui eſt in generatiõe, eſſe ciuis cœleſtis, & circa immaterialia operari, & corpus negligere. Si enim, quæ extra ſunt animæ, quæ corporis ſunt amãtes, cũ corpore ſunt ſemper, & in ſepulchris: quid abſurdũ etiam eas, quæ ſunt in generatione, animas circa immaterialia operari? Et ſic quidẽ Plato. Ariſtoteles autẽ inferius dicit triplicia eſſe intelligibilia Sunt enim immaterialia intelligibilia prima. Secũda intelligibilia media: & tertia materialia. Et in immaterialibus quidẽ dicit non eſſe opus imaginatione: imaginationis enim expertes ſunt intelligentiæ. Quando autẽ, inquit, mathemata intelligit, ſubiecto imaginatione utitur. Etſi autẽ ea, ut ſubiecto, utitur ad cognoſcẽda mathematica: non ob id eadẽ ſunt uiſa, & mathemata. Viſa enim ſoli ſubijciũtur imaginationi: Mathemata autẽ animæ, quæ ſubiecto utitur, imaginatione. Materialia autẽ cognoſcit anima, inſtrumento utens, ſenſu, & imaginatione. Si ergo actus eſt imaginationis expers, fieri nõ poteſt, ut intellectus, qui eſt in generatione, hunc actũ intelligat. Nullo enim indiget ad eũ cognoſcendũ. Hoc autẽ facit pro opinione quæ dicit, intellectũ nõ cognoſcere formas, quæ ſunt omnino immateriales. Hæ autẽ ſunt à materia ſeparabiles. Deberet ergo & ipſe eſſe à materia ſeparabilis, ut ipſas intelligeret. Siquidẽ aſſimulari oportet in omnibus id, quod cognoſcit, ei, qđ cognoſcitur. Atqui in animali nõ ſeparatus eſt: ipſas ergo non cognoſcit. Hæc eſt autẽ prima illius opinionis defenſio. Falſa eſt autẽ ô Ariſtoteles. Si enim intellectus qui eſt in animali, nõ intelligit ea, quæ ſunt omnino immaterialia: quomodo in tuo tractatu qui eſt poſt naturalia, & formas omnino immateriales quæſiuiſti, & inueniſti, & nobis renunciaſti? Quare clarũ eſt, eũ etiã, qui eſt in animali, intellectũ cognoſcere formas omnino materiæ expertes. Hæc eſt prima defenſio, & ad eã oppoſitio. Secunda defenſio. Intellectus nõ intelligit formas immateriales: quoniam nec omnino quidem ſunt formæ materiæ expertes: & quoniã nõ ſunt, propterea nec intelligit. Hæc eſt ſecũda defenſio, ad quã dicimus: Quomodo hæc dicis Ariſtoteles, qui in alijs tractatibus apertè clamas eſſe diuinas formas, quæ ſunt materiæ expertes? Tertia defenſio. Intellectus ſemper cũ imaginatione operatur. Si autẽ nunquã per ſe ipſum operatur, ſed ſemper cũ imaginatiõe, etiã quãdo circa diuina operatur: nam tunc quoq; cũ imaginatiõe operatur: Si autẽ imaginatio ſemper materialia cognoſcit: ex eo enim, quòd intellectus cognoſcit pulchrũ mũdi ordinẽ, & rerũ uirtutẽ, erigitur ad cognoſcendam, quæ illa exornauit, & adminiſtrauit, prouidentiã: Quare neq; quãdo diuina intelligit ſine imaginatione agit. Imaginatio autẽ, ut dictũ eſt, ſemper materialia cognoſcit. Sola enim illa nouit imaginatio, quæ ſenſus nouit. Si ergo intellectus, quæ nouit tantũ imaginatio, nouit, quòd ſine ea nõ agat: imaginatio autẽ illa nouit, quæ nouit ſenſus: Senſus autẽ ſola materialia nouit: Intellectus ergo ſola nouit materialia: nequaquã autẽ, & immaterialia. Et hæc eſt tertia defenſio, & aduerſus eã cõtradicimus, & dicimus, quòd intellectus, quando circa particularis ſenſilia operatur, tũc cũ imaginatiõe operatur, & ab ea nõ recedit à principio ad finẽ uſq;, ſed cũ ea eſt in ſenſilibus. Quãdo autẽ diuina intelligit, tũc per imaginationẽ quidẽ operatur: dicimus enim, nos ex pulchro ordine, & ornatu, qui à nobis cõſideratur, ad diuina traduci. Quare per imaginationẽ quidẽ, ſed nõ utiq; cũ illa: neq; enim ea amplius indiget. Incorporea enim etiã ſine imaginatiõe intelligũtur. & hæc eſt defenſiõis ſolutio. Quarta defenſio. Nõ poteſt intellectus materialia intelligere, eo qđ intellectus idẽ eſt cũ imaginatiõe. Sicut enim imaginatio, nec eſt uerus, nec falſus. Si ergo intellectus idem eſt cum imaginatiõe: imaginatio aũt nõ intelligit formas immateriales,*

nec

nec ergo intelliget intellectus formas materiæ expertes. Hæc eſt quarta defenſio, ad quam dicimus non idem eſſe intellectū, quod eſt imaginatio. Imaginatio enim qualitates ſolum cognoſcit, quas etiam ſenſus cognoſcunt. Nihil enim nouit imaginatio, quod non ſenſus nouit. Intellectus autem nouit ſubſtantias. Si ergo imaginatio non nouit ſubſtantias: Intellectus autem nouit ſubſtantias: non eſt ergo intellectus imaginatio. Vnde & Plato inquit in Theæteto. Imaginatio autem ſubſtantiam non aſſequitur, pro eo quod eſt, non eſt illi cognitio ſubſtantiæ: non eſt ergo idem intellectus, & imaginatio. Hæc poſtquam dixit Ariſtoteles, & de cognitiuis operationibus hucuſq; diſſeruit, uult de communibus operationibus communem oratione cōcluſionem colligere. Dicit ergo, quòd propter ſui cognitiuas facultates, & operationes, omnia eſt anima quæ ſunt. Quæcunq; enim ſunt, uel ſunt ſenſilia, uel intelligibilia, quæ etiam ſcibilia uocat. Et eorum unumquodq; eſt duplex. Quicquid enim eſt, uel potentia, uel actu eſt. Quicquid enim potentia eſt, fit actu. Quatuor itaq; ſunt omnia: potentia ſenſilia: actu ſenſilia: potētia ſcibilia: actu ſcibilia: & in iis, quæ ſunt, non ſunt præter hæc quatuor. Atqui ſunt & hæc quatuor in anima: habet enim anima ſenſus potentia: & potentia ſcientiam: & actu ſenſus: & actu ſcientiam. Non autem, quia diximus omnia eſſe animā, iam ſecundum id dicimus lapidem ineſſe in anima, uel lignum: ſed quòd rebus aſsimilatur, & ad earū imaginem reducitur: ſiquidem ſimile ſimili cognoſcitur. Et rurſus, ne quis exiſtimet iuxta ea, quæ à Platone ſupponuntur, eſſe rationes in anima: neq; enim hoc dicit Ariſtoteles: ſed quando ſunt potentia quidē ſenſus, potentia uerò ſcientiæ, tunc habent ſolum rerum aptitudinem: Quando uerò actu fuerint ſenſus, & ſcientiæ, tunc ſenſilium, & ſcibilium rationes cognoſcit, &, ut ſemel dicam, tunc fit actu cognitio. Hæc ubi dixiſſet, eo quòd ueluti ſummatim totam orationem dixit, poſt intellectum ad id cōuertitur, quod ſecundum locum mouetur. Ac oportebat quidem poſt ſenſum ad ipſum uenire: ab iis enim, quæ pluribus inſunt, oportebat cōuerti etiam ad ea, quæ paucis inſunt: ſed de eo tractatū collocauit poſt ea, quæ de omni anima rationali, et irrationali dixit: quoniam his opus habemus, & in docēdo, quid eſt, quod ſecundum locum eſt, & quid non eſt. Dicimus enim quòd nō eſt imaginatio, nec ſenſus, nec nutritiua facultas, nec quid aliud eiuſmodi. Si ergo hæc non prænoſceremus, quomodo id hæc non eſſe cognoſceremus? Hoc autem eſt id, quod ſecundum locum mouet, appetitus commixtus ab irrationali, & rationali. Appetitus enim irrationalis animæ nos mouet, quando affectus ſequimur. Appetitus autem rationalis nos mouet, quando rationem ſequimur. Si ergo non cognoſceremus, quid eſt irrationalis, & quid eſt rationalis: quomodo cognoſceremus, quod ex eis commixtum eſt? & ideo poſterius uenit ad id, quod ſecundum locū mouet: & quod de eo dicturus eſt. Platonem autem in tribus quibuſdam reprehēdit, primum quidem, quòd animam diuidit, ut totum in partes, cùm deberet eam diuidere, ut ſubſtantiā in facultates. Pro Platone autem reſpondemus, quòd uniuerſalem quidem animam diuidit, ut totum in partes: in uegetatiuam: irrationalem: rationalem: Particulares autem animas, ut ſubſtantiam in facultates diuidit: Nouit ergo & hanc differentiam. Si autem dubitas, quomodo, quod eſt animoſum ſeu iraſcibile, & deſideratiuum, quod concupiſcibile dicūt, partes eſſe diximus, cùm ſint ſub una irrationali anima? dic & tu ò Ariſtoteles, cur partem animæ eſſe dicis intellectum? Secundò Platonem reprehendit, quòd multa prætermiſerit. In tria enim animam diuidit: in animū ſeu irā: in cupiditatē: & rationē. & rationē quidem in cerebro collocat: irā in corde: cupiditatē uerò in iecore. Prætermiſit ergo & uim imaginatiuam: & ſenſitiuam: & ſecundum locum mouentem: & appetitiuam. Dicimus autem, quòd & hæc nouit, & horum in Timæo meminit, de natura differēs. In republica autem harum trium meminit, quoniā his opus eſt ad omnes reſpublicas. Ratio enim dominatum obtinens facit Ariſtocratiam, & regnum. Ira autem Democratiam, ſeu populi imperium. Cupiditas uerò, quæ eſt belua uariis formis prædita, ſecundum pecuniæ quidem cupiditatem, facit Oligarchiā, id eſt, paucorum dominatum: Secūdum autem uoluptatis amorē, & libidinem: Si iure quidem, & legibus conſtitutam, facit Ariſtodemocratiam, quæ ex optimatum, & populi dominatu compoſita eſt: Si autem nullis legum uinculis conſtrictam, facit Tyrannidem. Eorum ergo tantum, quæ ſibi conducebant, meminit. Quis tota nouit tria. Reprehendit Platonem, quòd cùm dicat, inquit, in cerebro eſſe rationem, in corde iram, in iecore concupiſcentiam, appetitum à ſeipſo diuellit. Appetitus enim, inquit, eſt commixtio rationalis ad irrationalem: hæc autem in diuerſis locis. Appetitus ergo diuulſus, & diſtractus eſt. Ad quod dic, quòd in unaquaq; parte dicit omnem ineſſe animam, ſecundum aptam autem & accommodatam partem, magis apparere rationem, uel iram: & non diuellit appetitum. & in his contemplatio.

Quæ autem in ablatione ſeu abſtractione dicūtur intelligit, ſicut quod eſt ſemper ſimū. 36

Illud, Quæ autem in ablatiōe ſeu abſtractione, eſt ueluti inſcriptio, ſeu titulus eius, quod eſt dicturus: quemadmodum & in libris Hippocratis inuenimus, ſicut in muliebribus prologū, Quæ autē de muliebribus: ſic ergo & hic dicit. Quæ autem in ablatione, ſeu abſtractione, uolens oſtendere, quomodo intelligūtur, quæ in ablatione, infert, intelligit, inquit, ut ſimū. Quod enim eſt ſimum, cum materia intelligitur. Quod autem eſt incuruum, ſine materia. Mathemata ergo, quæ dicit in ablatione, cū incuruo habent proportionē. Incuruū enim ut immateriale eſt, cùm ſit in abſtractiōe: ſic mathematica, quæ ſunt nō ſeparata, ut ſeparata intelligit. Vult per hæc naturā mathematū dicere, quòd hæc ſeparata intelliguntur, ſed non ut ſeparata actu, ſed tantum intellectu. Hinc autem corollariū colligimus animā eſſe ſeparabilem, quòd inſeparabilia ſeparet: nam ſi non eſſet ſeparabilis, nequaquam ea ſepararet.

Omnino autem intellectus eſt, qui ſecūdū actum res intelligit.

Quoniam dixit intellectum ſeparare formas mathematicas, & ſic eas intelligere, propterea addidit eundem eſſe intellectū cum rebus, ut & eius ſubſtantia ſit ſeparata, quando ſeparabilia cognoſcit: & ſit ipſe ſeparabilis, eo, quòd ſimile ſimili cognoſcimus.

Nunquid autem contingit ſeparatorū aliquid intelligere, cum ſit ipſe non ſeparatus à magnitudine, an non, conſiderandum poſtea.

Hic dubitationē, quam diximus, in contēplatione proponit, quòd ſi intellectus, qui eſt ſecundum actum, res ipſæ eſt: res autem, utpote intelligibiles, materiæ expertes: materiæ ergo expers eſt intellectus. Et quomodo eſt materiæ expers, ſiquidem in generatione continetur? Quomodo autem immaterialia cognoſcet, cùm in generatione contineatur? ſolutionem autem in iis quæ ſequuntur dicere pollicitus eſt. Oſtēſum eſt autem etiā ſuperius, quòd poteſt etiam, quæ ſunt omnino immaterialia, cogitare, ſiquidem non utitur inſtrumento, corpore, ſed ab omnibus eſt immixtus. Cap. VI

Nūc autem quæ de anima dicta ſunt, ſummatim colligētes rurſus dicamus, animā quidem eſſe quodāmodo omnia, quæ ſunt. Vel enim ſunt ſenſilia, quæ ſunt, vel intelligibilia. 37

Eſt autē

Eſt autem ſcientia quidem ſcibilia quodam-
38 modo: ſenſus verò ſenſilia. Quomodo autem hoc, quærere oportet. Diuiditur autē ſcientia, & ſenſus in res: Quæ potentia quidem, in ea, quæ ſunt potentia: Quæ verò actu, in ea, quæ ſunt actu. Animæ autem ſenſitiuum, & ſcientiæ perceptiuum potentia ſunt: hoc quidem ſcibile: illud verò ſenſile. neceſſe eſt autē vel ipſa, vel formas eſſe. Ipſa quidē certè non. non enim lapis in anima, ſed forma.

*Hic communem infert concluſionem cognitiuarum operationum. Eſt autem concluſio, quòd omnia, quæ ſunt, uel ſunt ſenſilia, uel intelligibilia. Vocat autem, ut diximus, intelligibilia ſcibilia. & hæc diuidit in id, quod eſt potentia, &, quod actu. & oſtendit hæc omnia ineſſe in anima: &, quod eſt potētia quidē, ſcire ea, quæ potētia: &, quod actu, ea, quæ actu ſunt. Dubitant autem nonnulli, ſi quæcunq; ſunt, uel ſunt ſenſilia, uel intelligibilia: Senſile autem, & intelligibile ſunt ad aliquid: ergo & quæcunq; ſunt, erunt ad aliquid: & ipſe quoq; deus, quod eſt abſurdum. Dicimus autem, quòd quæcunq; ſunt, quatenus quidē ſunt uel intelligibilia, uel ſenſilia, ſunt ad aliquid: Quatenus autem ſubſiſtunt, & ſubſtantiam habent, per ſe ſunt. Nam & ipſum quoq; nigrum, quatenus quidē habet per ſe ſubſtantiam, non eſt ad aliquid: quatenus autem eſt ſenſile, eſt ad aliquid. Quod anima quidem eſt quodammodo omnia quæ ſunt. Rectè additur illud, Quodammodo: quoniam formæ ſunt materiales, & eas nouit anima immaterialiter, non materialiter. non enim lapis eſt in anima, ſed eius forma ſine materia: Similiter et in alijs. propterea ergo dixit illud, Quodāmodo. Quomodo autē hoc quærere oportet: quòd ſecūdū id, quod eſt potētia, &, quod actu eſt, ſenſus, & ſenſilia, & ſcientia, & ſcibilia. Neceſſe eſt autem ipſa, uel formas eſſe. ipſa quidem certè non. Quoniam ſuperius dixit, quòd quærere oportet, quomodo ſenſus ſenſilia apprehendit, nunc dicit, quòd neceſſe eſt uel ipſas compoſitas formas eſſe in anima, id eſt, cum materia & forma, uel ipſam per ſe formam. Atqui, inquit, ipſæ compoſitæ non ſunt in anima: neq; enim ipſa eſt lapis. neceſſe eſt ergo formas ſolas eſſe in anima.*

Quare anima eſt ſicut manus. manus enim eſt inſtrumentum inſtrumentorum. eſt autem & intellectus forma formarum: & ſenſus forma ſenſilium.

*Quod dicit eſt eiuſmodi. Sicut manus, quæ eſt inſtrumentum corporis, inſtrumentis utitur, ut ſecuri, uerbi gratia, faber, uel arundine: Sic & anima, quæ eſt ipſa forma, aliarum eſt formarū ſuſceptrix: quia formarum rationes apud ſe habet. Similiter & intellectus, & ſenſus ſunt formæ, & formarum ſuſceptrices, eo quòd formarum rationes habeāt. Sed intellectus quidem omniū formarum forma eſt. omnes enim formæ inſunt in ipſo, dum actu eſt. Senſus autem eſt forma ſenſilium tantum: eo quòd in ſenſu, qui eſt ſecundum actum, ſunt ſenſilia.*

39 Quoniam autē nulla res eſt præter magnitudines, vt videtur, ſenſiles ſeparata: in ſenſilibus formis ſunt intelligibilia, & quæ in ablatione, ſeu abſtractione dicuntur, & quæcunq; ſenſilium habitus, & affectus.

*Hic ſunt primæ defenſiones, quarum primam dicit eſſe, quæ dicit, quòd nec in uniuerſum quidem ſunt penitus formæ immateriales. Eſt ergo hoc quod dicit, lectum in hyperbato. Nulla res eſt præter ſenſiles magnitudines, ut uidetur omnibus, ſed omnia, quæ ſunt, ſunt magnitudines ſenſiles. Vult autem dicere, quòd mentis conceptus ſeu intelligentiæ, uel ſunt primæ, uel ſecundæ, uel tertiæ. & primas quidem citra imaginationem nouit: ſecundas autem & tertias cum imaginatione: etiamſi partim quidem ut inſtrumento, partim autem, ut ſubiecto, ea utitur. Quid ergo dicit? Quoniam nulla res eſt præter magnitudines ſeparabilis, id eſt, ſine materia, ut uidentur nonnulla ſenſilia, ut mathematica. hæc enim uidentur eſſe ſeparabilia, ſed non ſunt. Propterea, inquit, in formis ſenſilium ſunt intelligibilia, ut mathemata: etiamſi uidentur eſſe ſeparabilia, quod eſt ſecunda. Porro & tertia ſunt inſeparabilia, ut ſenſilia. Et ſecunda quidē dixit per hoc, quod dixit: Quæ autē dicuntur in ablatione. Tertia autem per hoc quod dixit: Et quæcunq; ſenſilium habitus, uel affectus. hæc enim ſunt formæ materiales, & affectus, ut qualitates materiales uiuæ: quarū magnitudo ſolū ratione ſeparatur.*

Et propterea, qui nihil ſentit, nec didicerit, nec comprehenderit.

*Quoniam hæc tria ſunt ſenſilia: & hic obſcurè dixit, quòd in libro de demonſtratione dilucidè dictum eſt. Illic enim dixit, omnis ſcientiæ principium eſſe ſenſum: quoniam, ut nunc dicit, intelligibilia omnino ſunt in formis materialibus. In quibus ergo deficit ſenſus, in iis etiam eiuſmodi ſcientia deficit. Deinde poſtquam dixit, Nihil didicerit, ſubiūgit, Nec comprehenderit, id eſt nec inuenerit. Duæ enim ſunt uiæ cognitionis, diſciplina, & inuentio.*

Et quando contemplatur, neceſſe eſt ſimul cum viſo cōſiderare. Viſa enī ſicut ſenſa ſunt.

*Quoniam dixit, formas intelligibiliū eſſe in ſenſilibus: propterea dixit, Neceſſe eſſe intellectum ſimul cum uiſo cōtemplari, hoc eſt, cum inſtrumento, imaginatione: ſiquidem eius eſt effector ſenſus. Quare ſiue dicamus, quòd imaginatione, ſiue, quòd ſenſu utitur, idem eſt. Per hæc autem ſecundam dicit defenſionem, quod intellectus ſimul cum imaginatione operatur. Imaginatio autē nō nouit immateriales formas: nec ergo intellectus.*

Sed ſine materia.

*Quoniam dixit uiſa eſſe ueluti ſenſa, dicit, quòd ſine materia. Senſus enim operantur circa immaterialia. Imaginatio autem circa formas tantum. Quidam autem dicūt, quòd illud, Sine materia, intellectui coniungit. Poſtquā enim dixit, quòd, etiamſi imaginatione, & ſenſu dicas uti intellectum, idem eſt, dicit, Sed intellectus, quod eſt ſine materia, cognoſcit.*

Eſt autem imaginatio aliud ab affirmatione, & negatione. eſt enim connexio mētis conceptuum, ſeu intelligentiarum, verum, & falſum. Primæ autem intelligentiæ in quonā different, vt viſa non ſint?

*Nam circa ſimplicia uerſatur. Vnde & eſt indiuiſibilis, ut quæ circa terminos uerſetur. Quare ſubſtantialis eſt in ea ueritas, & non in compoſitione. Si ergo neq; uera eſt, neq; falſa, ut quæ nec affirmet, nec neget: Similiter autem & intellectus nec uerus eſt, nec falſus ſecundum defenſionem: quid ergo differunt primæ intelligentiæ, id eſt ſimplices, ut uiſa non ſint, quemadmodum & intellectus, ne ſit imaginatio? Sciendum autem, quòd intellectus, & imaginatio ſubſtantialem habent ueritatem: & determinatè, ſeu finitè cognoſcunt.*

An ne hæ quidē viſa ſunt, ſed non ſine viſis?

*Hæc quidem uerba ſunt tertiæ defenſionis euerſio. Cum enim tres defenſiones dixiſſet, tertiam ſolam euertit, dicens: Nunquid ne alia quidem uiſa ſunt intelligentiæ? Quaſnam dicit intelligentias? eas quas non ſimplices dicimus, & propterea eſſe imaginationi ſimiles. Sed non ſine uiſis, inquit, id eſt, ſed ſunt non ſine imaginatione. Quare per imaginationem fiunt mentis conceptus, & intelligentiæ: non tamen idem eſt imaginatio, & intellectus.*

*lectus. Sed tamen, inquit, quando primas intelligentias intelligit, non utitur inſtrumento imaginatione: in ſecundis autem, & tertijs utitur. non eſt ergo idem uiſum, & intelligẽtia. Viſum enim quodammodo materiale eſt. intelligentia autem materiæ penitus expers. Sciendum autem, quòd in contemplatione etiam alia quædam mouimus. & quoniam ea in ſuperficie tantum ſpeculati ſumus, uiſum eſt ab alto orationem repetere. Recurrere enim melius eſt, quàm aliquid præterire. & in his, deo eſt gratia, finitur praxis.*

SVMMA, II.

Quoniam autem anima, quæ eſt animaliũ, ſecundum duas facultates definita eſt, & iudicatiuo, quod eſt opus cogitationis, & ſenſu: & præterea, quòd moueat, motu, qui eſt ſecũdum locum. De ſenſu ergo, & intellectu hæc definita ſint. De eo autem, quod mouet, quidnam eſt animæ conſiderandum eſt.

*In huius tractatus principio dictum eſt, quòd omnes philoſophi naturales his duobus animam definiunt: & cognitiuo: & ſecundum locum motiuo: ad hec enim reſpexerunt. Et eos quidem recipiebat, quòd ab operationibus animæ ſubſtantiam indagarent, ſicut & oportebat, & ipſe quoq; ſic facit: eos autem reijciebat, primum quidem, quòd uegetatiuam animam prætermiſerint. ipſa enim nec quicquã mouet ſecundum locum, neq; cognoſcit. & quòd hinc quoq; ad falſa cogitata cõuerſi ſunt. exiſtimabant enim animã moueri. Quoniam enim apertè uidebant corpus ab anima moueri: animam motam moueri exiſtimabant. & propterea quidquid mouet etiam moueri dicebãt. & in alio etiam errabant ſecundum cognitiuum. exiſtimabant enim animam ex omnibus, quæ ſunt, compoſitam: ut ex principijs compoſita, eorum ueluti obſides habens, ea cognoſcat. Sic etenim eſt uerſus Empedoclis. Nam terram terra conſpeximus &c. Naturalium ergo rerum ſcriptoribus condemnatis, & propterea naturalis animæ definitione adiecta, cùm etiam de cognitiua animæ facultate diſſeruiſſet, hic de motiuo ſecundum locum diſſerit: Quod oportebat quidem ante rationale collocare: quoniam ubiq;, quæ ſunt magis uniuerſalia, priora collocauit: ſed quoniã tres animas percurriſſe oportebat in docendo eo, quod eſt ſecundum locum motiuum: eius propterea nunc meminit. Vt enim doceat, non eſſe uegetatiuam animam: non irrationalem: non intellectum uel ſimplicia cogitantem, uel compoſita, uel imaginatione utentem: uel ſine imaginatione: horũ propterea prius meminit. Sed & ad id, quod quid eſt, ei prædicta conferunt. Vult enim oſtendere, quòd id, quod mouet, in rationalibus quidem eſt commune irrationalis, & rationalis: in irrationalibus autem irrationalis ſolum. Quando autem dicit Ariſtoteles appetitiuum mouere, non ut finalem ipſam cauſam dicit, ſed ut effectiuam. idq; clarum eſt. Quærens enim quid eſt, quod mouet, dicit, quòd uel eſt intellectus, uel appetitus. intellectus autem eſt actiuus, & non finalis: & nec ſine motu quidem eſſe poteſt finalis. contra enim, quando ſecundum intellectum operamur, à motu diuertimur. Et ideo Thales cùm aſtra contemplaretur, in puteum incidit. Quare, ut effectiuam cauſam, dixit appetitum mouere: aliam enim effectiuam ei coniunxit: & quòd appetitiuum non eſt finis. ſed appetendum. Quærit ergo Ariſtoteles de eo, quòd ſecundum locum mouet, an per partes mouet anima, uel tota ipſa mouet: hoc infert, quòd, ut ſubſtantia, in facultates diuiditur. facultas enim per totam ſubſtantiam procedit. Mali enim redolentia, quæ eſt eius facultas, ex toto, ut toto, progreditur. & nõ hic quidem mali eſt redolentia: hic uero non eſt: ſed in toto, ut toto, eſt. Et in hoc quidem facultas differt à parte: quòd facultas, ut diximus, per totam ſubſtantiam permeat: pars autem non eſt in tota ſubſtantia, ſed eſt in aliqua ſubſtantiæ portione, ſiquidem pars eſt ipſius: & quòd facultas quidem non eſt ſubſtantia: pars autem eſt ſubſtantia: ſiquidem ſubſtantiarũ partes ſunt ſubſtantiæ, ut in prædicamẽtis cognouimus. Vtrum igitur parte mouet anima, uel facultate? & ſi parte: nunquid aliqua earum, quæ dici conſueuerunt? dici autẽ conſuetas dicit tres, quæ ſunt apud Platonem, partes: rationem: iram: cupiditatẽ: uel aliquã præter has. & ſi alia: an ea, quæ ſit ab iſs alia, ſolo intellectu, an & intellectu, & ſubiecto? Platoni enim eſt conſequẽs dicere, quòd parte mouet anima. Vult enim eam eſſe multiplicem: &, quod ſecundum locum mouet, aliud eſſe præter rationẽ: iram: cupiditatem. Cum nullo enim horum idem eſſe dicit, quod ſecundum locum mouet, ſed aliud. aliud autẽ non ſolum intellectu, ſed etiam ſubiecto. neq; enim uult eſſe eaſdem ſubiecto partes animæ, cùm eas locis diſiungat. Et propterea in his tribus Platonem reprehendit. Vnum quidem, quòd animã, ut totum, in partes diuidat. neq; enim fieri poteſt ut ipſa in partes diuidatur. in incorporeis enim idem eſt eſſe diuiſibile, & eſſe diuiſum. neq; enim ſuſtinent incorporea tempus aliquod, uel diſſectionem eius, quod peruadit. Si ergo diuiſibilis eſt anima: & diuiſa erit: & totũ peribit. corrumpetur enim & ipſum commune eſſe totum actu partium à ſe inuicem diuiſarum. In corporibus autem aliud eſt eſſe diuiſibile, & diuiſum. Hoc ergo in loco cùm eſſent Alexãder & Plutarchus, dicebant, Platonem reprehendi ab Ariſtotele, utpote, qui animam, ut totum, in partem diuiſerit, tanquã ipſe, ut unam ſubſtantiam, in facultates diuidat. Vult enim ipſe animam unam eſſe ſubſtantiam multis facultatibus præditam. Ii autem falluntur. Ipſe enim nuſquam alibi dixit. facultatum eiuſdem ſubſtantiæ has quidem eſſe corruptiles: illas uerò incorruptiles: ſed ſimiliter omnes eſſe uel corruptiles, uel incorruptiles. Dicit autem intellectum quidem æternum: irrationalem uerò corruptilem. Non eſt itaq; una. in alio autem Platonẽ reprehendit, ut qui duas animas, rationalem dico, & irrationalem, ut unam fecerit: & hanc unam in tria diuiſerit: in rationem: animum: cupiditatem. Ariſtoteles autem uult tres animas. Nunquid autẽ pro Platone dici poteſt, quòd propterea partes hæc tria dicit, quòd unam animationem faciant. unum enim eſt animatum, & non tria. Deinde & ſecundo reprehendit Platonem, eo quòd multas partes prætermiſerit. & pro eo reſponſum eſt, quòd in republica hoc fecit, non in Timæo. his enim ſolis illic tribus indigebat. Deinde & tertio eum reprehendit, quòd has partes diuiſit à ſe inuicẽ. Nempe quod ad has attinet, non eſt facile dictu quidnã mouet. neq; enim communis ipſe nexus, animarum dici poteſt, cùm ſint partes ſeparatæ ſecundum Platonem. Diſtrahit ergo appetitiuum. Dicta eſt autẽ & huius reſponſio. & hic quidem eſt contextus. ſi uerum autem dicere oportet, inter ſe non cõueniunt hæ Platonis, & Ariſtotelis opiniones de eo, quod eſt ſecundum locum motiuum. Plato enim uult id, quod in nobis eſt optimum, & maximè dominatur, illud eſſe, quod mouet. Melius autem eſt in irrationalibus quidem animalibus, imaginatio: & ideo paſſiuus intellectus dicitur: in rationalibus uerò intellectus. Propterea ergo iuxta eum irrationalia quidẽ animalia imaginatio mouet: rationalia uerò intellectus. Quod enim agit, & fert animal, in eo oportet autoritatẽ, & dominatum obtinere. & propterea melius eſſe oportet, quod mouet. Deinde quoniam Platonicis aduerſatur, quòd affectus rationem ſuperat, & nos ad turpem uoluptatẽ abducit: non enim intellectus hoc fecit, ſed affectus: dicunt, quòd tunc quidem ratio eſt, quæ mouet, ſed mancipata, & in ſeruitutem redacta, affectui uiã præparat, & excogitat. Ex hoc autẽ à Platone colligitur, quòd id quod ſecundum eos imperat, eſt, quod mouet. ecce enim ſuperatum dixi intellectum mouere, & quomodo ſuperius, quod dominatur, dixi mouere. Ariſtoteli autẽ uidetur, quod ſecundum locum mouet, non eſſe cognitiuam proprietatem, ſed animalem. uult enim appetitiuum*

*tiuum eſſe, quod mouet. magis enim conuenire, quod mouet, uitæ, quàm cognitioni. Et in irrationalibus quidem animalibus appetitiuum ſolum irrationalis mouet: in rationalibus autem animalibus aliquando quidē rationalis appetitiuum: aliquando autem irrationalis. In ijs enim, quæ ſecundum rationem uiuunt, appetitiuum rationalis mouet. in multis autem hominibus, & ſecundū ſenſum uiuentibus, appetitiuū irrationalis mouet. Quare animalis proprietas magis eſt, quod ſecundum locum mouet, quàm cognitiua. Eſt enim intellectus proprium ſolum cognoſcere, non mouere. Motui autem aduerſatur intellectus. Neq; enim motum ſentiunt, quandoquidem nec ſtatum, qui circa intelligibilia occupantur. Et ideo Socrates, cùm in Deliaca pugna noctu diuq; ſtetiſſet, ſe ſtetiſſe non ſenſit: eo quòd mente aliquid agitaret. Et, quòd ſi intellectus animal moueret, ipſum non ad malum moueret. Dicimus enim Thaletem aſtra contemplantem in puteum incidiſſe. Fortaſſe autem etiam ſecundum Ariſtotelem Platonica ordinatio obtinet, quòd id, quod melius eſt, mouet. omnibus enim facultatibus melior eſt appetitus, ſiquidem boni eſt. Et in his eſt contemplatio. Quoniam autem anima ſecundum duas facultates definita. Duas dicit facultates, uel ut ad animal. hoc enim, irrationale, & rationale conſtituunt. uel duas dicit facultates, ut ad antiquos. illi enim ſolum cognitiuum dicebant, quod dixit iudicatiuum, & motiuum. Quoniam ergo, inquit, duæ ſunt facultates, & iam de cognitiuo diximus, & de cogitatione, & ſenſu: ueniamus & ad motiuum.*

Vtrum vna aliqua eius pars, quæ ſit ſeparabilis vel magnitudine, vel ratione: an tota anima? &, ſi ſit pars aliqua: vtrum propria aliqua præter eas, quæ dici conſueuerunt, & dictæ ſunt? an horum vnum aliquid? habet autē ſtatim dubitationem. q. 41.

*Quærendum eſt, inquit, ſi pars animæ eſt id quod eſt motiuum, utrum ſubiecto eſt, & ſubſtantia ſeparabilis? quod dixit, magnitudine: & ne turberis, ſi animæ ſubſtantiam magnitudinem appellat: abuſus eſt enim: & loco ſubiecti magnitudinem dixit. Si autem non eſt ſubiecto, & ſubſtantia ſeparabilis: nunquid eſt potentia ſeparabilis, quod dixit, ratione. Quærendū autem, inquit, nunquid & tota anima eſt motiuū. Præter eas, quæ conſueuerunt, & quæ dictæ ſunt. Quæ conſueuerunt dici, illas tres dicit, quæ ſunt apud Platonē: rationem: iram: cupiditatem. Quæ dictæ ſunt autē dicit, quæ nūc ab eo dictæ ſunt: Dico autē intellectū: cogitationē: imaginationē: ſenſum cōmunē, & ꝓpriū.*

Et quomodo dicere oportet partes animæ, & quot. Quodammodo enim infinitæ apparent: & non ſolum eæ, quas quidam dicūt definientes: rationalis: animoſa, ſeu iraſcibilis: & deſideratiua.

*In duobus per hæc Platonē refellit, & quòd partes, & quòd quot ſint partes dicit, nempe tres. Quodammodo infinitas dixit, ut ad tres. non ſunt autem, ſi cum tribus Platonis coniunxeris etiam quinq;, quas nunc dicit Ariſtoteles.*

Hi verò id, quod habet rationem, & irrationale.

*Nonnulli quidem dicunt tres eſſe partes animæ, ut Plato: rationem: iram: & cupiditatem. Quidam autem duas: rationalem: & irrationalem, ut Ariſtoteles. Vt ad animalia enim, duas dixit animas: eſt enim alia plantarum.*

Secundum differentias enim, per quas has ſeparant, apparent & aliæ, quæ maiorem his diſtantiam habent: de quibus etiam nunc dictum eſt: & nutritiuū, quod & omnibus plantis ineſt, & omnibus animalibus.

*Rurſus platonem redarguit. Si enim eò quòd natura ualde diſtant, dicit partes animæ: rationem: iram: cupiditatem: oportebat nutritiuam facultatem partem animæ dicere. His enim magis diſtat, & magis quàm ira & cupiditate. Hæ enim ambæ ſunt irrationalis animæ: nutritiua autem facultas uegetatiuæ. Plus autem diſtat ab irrationali uegetatiua, quàm uegetatiua ipſa à ſeipſa.*

Et ſenſitiuum, quod neq; vt rationale, neq; vt rationem habens quiſpiam facile poſuerit.

*Senſitiuum, inquit, ſiue ſenſum, nec irrationalis ſolius quiſpiā poſuerit, nec rationalis, ſed utriuſq;. Quia enim foris habet cognoſcibile ſenſus, per obiectam diſtantiam ipſum nouit: & per formam, & typum: nec audit rationem, dum putat unius pedis eſſe ſolem: ſecundum hoc eſt irrationalis. Quatenus autem per ſe res uidet, ut intellectus, uidetur ſenſus ſub rationem reduci. Eſt autem & aliter interpretari, quòd quatenus quidem cognoſcit, eſt rationalis animæ: quatenus autē patiens cognoſcit, non poteſt eſſe rationalis. rationalis enim non patitur: ſed eſt irrationalis, pati.*

Præterea autem imaginatiuum, quod in eo quidem, quòd eſt, eſt ab omnibus aliud: cuinam autem horum eſt idem, vel à quo aliud, multam habet dubitationem, ſi quis ſeparatas partes animæ poſuerit. Ad hæc autem appetitiuum, quod & ratione, & potentia aliud videatur eſſe ab omnibus: & abſurdum eſt hoc ſeiungere & diſtrahere. In ratiocinatiuo enim fit voluntas, & in irrationali cupiditas, & ira. Si autem tria anima, in vnoquoq; erit appetitus. Atquī &, de quo nunc inſtat oratio, quid eſt, quod mouet ſecundum locum animal?

*Tanquam ad rationem, iram, cupiditatē, partes Platonis, comparat imaginationem, & appetitum. Et appetitum quidē omnino ab ijs alium dicit, quia eſt appetitus etiam uegetatiuæ. Platonis autem partes ſunt, irrationalis, & rationalis. Quare appetitus eſt omnino ab ijs aliud. Imaginatiuum autē, quoniam eſt irrationalis, ratione quidem differt ab his tribus partibus: rationali: animoſa ſeu iraſcibili: & deſideratiua: cuinam autē eſt ſubiecto eadē uel alia harū trium partiū, dubiū eſt. Nunquid enim idem eſt, quod ira, & cupiditas, quia & ipſæ ſunt irrationalis? Rectè ergo ſic dixit, quòd ſi omnimo partes habet anima ſeparatas: & uis imaginatiua, & appetitiua poteſtas eſt pars animæ. Quam quidem appetitiuam poteſtatem, uel prætermiſiſti ô Plato: uel de ipſa dicens, ipſam diſtrahis, & diuellis. Si autē tria anima, in unoquoq; erit appetitus. Nota quid dicit, quòd ſi ſint tres animæ, in unaquaq; earum erit appetitus. ergo & in uegetatiua eſt appetitus. Sciendum autem, quòd gratia diſputationis, & repugnans, hoc dicit Ariſtoteles. Nam in principio argumēti futuri tractatus, ſi rectè conſideraueris, inuenies eum non noſſe in plantis appetitum. Sed nec Plutarchus commentarios ſcribens dicit eſſe appetitum in plantis, ſed cōtrarium non eſſe. Si autem uerum dicere oportet, non dicit in plantis appetitum: ſed tres dicit appetitus: unum quidē, qui eſt cum intellectu actiuo: alium autem animoſum, ſeu iraſcibilē: & aliū deſideratiuū.*

Motum enim ſecundum augmentū, & diminutionem, quæ omnibus inſunt, id, quod omnibus ineſt, videatur mouere, generatiuū, & nutritiuum.

*Quia de motu ab eo agitur: eſt autem motus æquiuocus: diſtinguit æquiuocationem: & dicit, Motum nunc quæro, non qui*

*eſt ſecundum auctionem, & diminutionem: hæ enim à natura fiunt: nunc autem quæro animalem, qui fit ſecundum locum: & animalem, non alicuius partis, ut eſt reſpiratio, ſed eam, quæ eſt totius animalis, ambulatoriam. Nam & alibi uidetur dicere duplex eſſe id, quod eſt ſecundum locum, uel ambulatoriũ, uel motiuum. motiuum dicens, quod eſt à parte, ut eſt reſpiratio: nõ de eo autem nunc agitur. iam enim & alibi de reſpiratione quæſitum eſt. Et dubitatur an ſit naturalis, an animalis. nam naturalis quidem eſſe uidebitur, ut quæ electioni noſtræ, & uoluntati non ſeruiat: animalis autem, ut quæ fiat à muſculis, &, quòd in mea eſt poteſtate, eam intendere. De ea ergo non agitur: ſed de ambulatiuo ſecundum locum, quod eſt motus ſignificatum.*

De reſpiratione autem, & expiratione, & ſomno, & vigilia, poſtea conſiderandum. Ha-
44 bent enim & hæc multam dubitationem. (Sed de motu ſecundum locum, quid eſt, quod mouet animal ambulatorio motu, conſiderandũ.

*Cùm de motu ſecundum locum tractetur, uel quia reſpiratio eſt magis in ſomno, quàm in uigilia, horum propterea meminit. Reſpirationis enim, ut particularis motus, meminit: uel quòd & ſomnus, & uigilia ſunt particulares motus ſupercilij ſecũ.lũ locũ. Dicit ergo, quòd nec de iſs à nobis ſermo habetur: ij enim ſunt particulares motus: nunc autẽ in uniuerſum quærimus ambulatorium motum: & quia eſt ab eo ſcriptus liber de ſomno, & uigilia, in quo de his diſſerit. Et in his praxis, deo eſt gratia, finitur: praxis, deo annuente, ſextadecima.*

Quòd itaq; non eſt nutritiua quidem facultas, apertum. Semper enim alicuius gratia eſt motus ipſe: & vel cum imaginatione eſt, vel cum appetitu. nihil enim non appetens, vel fugiens, mouetur, præterquam vi.

*Præſens contemplatio oſtendit, & quid non eſt, quod ſecundum locum mouet, & quid eſt. Primum autem oſtẽdit, quid non eſt. Dicit enim, quòd neque eſt nutritiua facultas: nec ſenſus: nec intellectus: & intellectus, non contemplatiuus, qui inſtrumento non utitur: non, qui utitur, contemplatiuus: non actiuus intellectus: non appetitus. hæc non ſunt id, quod ſecundum locum mouet. Et quòd non eſt quidem nutritiua facultas, probat per quatuor argumenta: quorum hoc primum eſt. Nutritiua unum habet finem, nutrire. Motus autem habet finem, & affectum, & rationem. Vbi enim ad honeſta mouemur, ratio finis eſt. Vbi autem ad res uenereas, affectus eſt finis. Quare non eſt nutritiua facultas, quod ſecundum locum mouet. hoc autem oſtenditur per duo argumenta. Si neceſſe eſt id, quod mouetur, primum imaginari, & appetere ſenſiliter, & ſic deinde ab appetitu moueri: hæc autem non ſunt in nutritiua: neq; enim eſt imaginatio: nec appetitus ſenſitiuus: in mouendo enim ſenſitiuo appetitu opus eſt: Non eſt ergo nutritiuum, id, quod ſecundum locum mouet. Tertium argumentum. Si nutritiuum mouet: oporteret & plantas moueri, ut quæ habeant motiuam facultatem ſecundum locum. Atqui ſecundum locum nunquam mouẽtur plantæ. non eſt ergo uegetatiua anima, quæ ſecundum locum mouet. Quartum argumentum. Si nutritiuum mouet: oporteret & plantas ambulatoris habere inſtrumenta, ut moueantur. Atqui non habent inſtrumenta ambulatoria, ſed etiam cõtra, hærent fixæ radicibus. Ergo nutritiuum non mouet. Hæc quidem ex cõtextu. Oportet autem & aliud præterea argumentum comparare. Si, quando magis operatur nutritiua, noctu dico, nõ mouemur per appetitionem, aut impetum nutritiua ergo non mouet. Si enim moueret: noctu etiam moueremur: ſed non per appetitionẽ, uel impetum mouemur. De motu autem, qui fit per appetitionẽ. & impetũ, loquitur Philoſophus. Sed fortaßis dicet aliquis uegetatiuam eſſe animam, quæ mouet ſecundum locum: non mouentur autem plantæ, quamuis motiuam habeant facultatem: eo quòd non habeãt apta inſtrumenta ad motum. Dicimus autem ad hanc dubitationem, quòd primum quidem contiget in tota ſpecie fruſtra eſſe facultatem. Si eſt enim in totis plantis motiua facultas: non mouet autem, quòd inſtrumenta non habet accõmodata: fruſtra ergo erit in uniuerſis plantarum ſpeciebus. quod quidem eſt abſurdum, dicere fruſtra aliquid à natura fieri. Secundò autẽ, Si habent plantæ motiuam facultatem: non mouentur autem propter inſtrumentorũ inopiam: cur non eis inſtrumenta accõmodauit, & adaptauit natura? neq; enim ex neceſſarijs quid prætermittit: nec ſuperuacanea fabricat. clarũ ergo undequaq; euaſit, quòd nutritiuum non eſt cauſa motus ſecundum locum. ſed neq; ſenſus eſt, qui mouet ſecundum locum, & quoniam ſenſus eſt irrationalis animæ, etiam uniuerſalius oſtendit, quòd nec omnino motus cauſa eſt irrationalis anima. Si enim irrationalis animæ eſſet cauſa motus ſecundum locum: oporteret, quæcunq; habent animam irrationalem, moueri. Atqui Zoophita, ſeu plantanima, irrationalem animã habentia, non mouentur. Non ergo irrationalis animæ eſt ſecundum locum motus. Neq; enim hic eſt cauſari inſtrumentorum ineptitudinem. Ex iſs enim, quæ animam habent irrationalem, illa aptis inſtrumentis carent, quæ ſunt uel imperfecta, uel manca. Quemadmodum infantes ſunt imperfecti: neque enim habent dentes. Rurſus, quæ quatuor habent digitos, manca ſunt. Plantanima itaq; non ſunt imperfecta. habent enim aſcenſum, ſeu progreſſum· ſummũ uigoris, & perfectionis incrementum: & eiuſdem remißionem, & diminutionem, & quodammodo ſenectutem. Infantes autem & pueri nihil habẽt horũ. Rurſus plantanima ſibi ſimilia generant. Pueri autem non generant, quandiu ſunt pueri, quòd ipſi ſint imperfecti. Neq; uerò manca ſunt plantanima. Sic enim uniuerſa plantanimorum ſpecies manca eſſet, Si ergo nec mutila ſunt, neq; imperfecta: quæ enim aliquid non habent, eo quòd ſint imperfecta, ipſum poſtea aſſumunt: ſicut infantes, dentes. Plantanima autem, neq; cùm augentur, motoria inſtrumenta aſſumunt: neq;, cùm ad ſummum incrementum peruenerint: clarum ergo, quòd neq; facultatem habẽt ambulatoriam. Si enim eam haberent: & partes haberent accõmodatas: illæ enim habent facultatem. Inſtrumenta autem non habent, quæcunq; ſunt uel imperfecta, uel manca. Si ergo plantanima irrationalem quidem habent animam: non mouentur autem ſecundum locum: non eſt ergo irrationalis animæ motus ſecundum locum. Et nos quidem ſic. Contextus autem per unum exemplum declarauit id quod eſt imperfectum, & mãcum. Dicit enim plantanima non eſſe imperfecta, uel manca: quia & creſcunt: & ad ſummum incrementum perueniunt: & decreſcunt: & ſimilia generant. Per hoc quidẽ, quòd generant, innuens non eſſe mãca. Eunuchi enim, cùm ſint manci, nõ gignũt. Per hoc autẽ quòd creſcunt, & ad ſummum incrementum perueniũt, & decreſcunt, ſignificauit non eſſe imperfecta. Aſſumerent enim tempore ea, quæ deſunt. uidemus autem, quòd nihil aſſumunt. Quare oſtenſum eſt non eſſe irrationalem animam cauſam motus ſecundum locum. Sed neq; ſenſus cauſa eſt motus ſecundum locũ. Oporteret enim, quando ſecundum locũ mouemur, ſenſum operari. Sed hoc falſum eſt. nam & clauſis oculis mouemur, & nec audientes, nec olfacientes, nec contrectantes, uel palpantes. non eſt ergo ſenſus, qui mouet ſecundum locum: eo quòd nos ſecundum locũ mouemur, licet ſenſus non operetur: & quia ſæpe ſentientes motũ interrumpimus, & in quiete magis ſentimus. Hæc cùm dixiſſet contextus, fertur ad intellectũ, non quærẽs de imaginatione, an moueat, an non. & meritò eius nullam fecit mẽtionem: quia nihil habet proprium· ſed quicquid habet, ex ſenſu habet. Sed nos oſtendemus, quòd nec imaginatio quidem mouet. Si enim moueret ipſa: oporteret in ſomnis, quãdo imaginamur, moueri*

ueri ſecundum appetitionem,& impetum. Atqui nõ mouemur. ergo imaginatio non mouet. Hæc quidem extra textum. Oſtendemus autẽ deinceps,quòd neq; eſt intellectus,qui mouet. Scire enim oportet,quòd triplex eſt intellectus: uel contemplatiuus, qui inſtrumento non utitur:uel contemplatiuus,qui inſtrumento utitur: uel actiuus intellectus. Cõtemplatiuus intellectus,qui inſtrumento utitur,non poteſt mouere : quoniam non uerſatur circa ea,quæ ſunt agẽda.eſt autem quid, quod ex rebus agendis eſt,motus: & quia huic intellectui magis conuenit ſtatus, quàm motus. Intellectu enim aliquid agitantes, ſtamus. Sed neq; actiuus intellectus eſt,qui ſecundum locum mouet. etſi enim habet electionem,per quam fit motus ſecundum locum, ſed tamen nõ mouet.& hoc eſt apertum. Videmus enim,quòd curã gerente actiuo intellectu,ne moueatur,accedẽte hoſte,cor mouetur. uibratur enim,& ſubſultat metuens. Atqui & in intemperantibus, cùm præcipiat affectus,ut moueatur,etiamſi iubeat intellectus; ut contineat,nonnunquam uincit affectus,& mouetur pudendũ ad rem ueneream:contrario ergo modo ſe habet motus ad intellectum in incõtinentibus. Ipſe ergo non mouet: & quòd actiuus intellectus operatur primũ:deinde ſic mouemur. Niſi enim actiuus intellectus prius conſultauerit, ad portum non deſcendam: nec gubernatori loquar:nec uaſa,& ſarcinas immittam:hæc autem uniuerſa ſtans conſultat. Si ergo actiuus primum intellectus operatur:&,poſtquam ipſe ceſſauerit, tunc fit, qui eſt ſecundũ locum,motus: Clarum eſt ergo,quòd nec eſt actiuus intellectus, qui nos ſecundum locum mouet. Sed nec contemplatiuus intellectus,qui inſtrumento non utitur:quia is electionem non habet. neceſſe eſt autem, ut eligat, quod ſecundum locum mouet. niſi enim eligat,non mouemur. Sicut & medici ſæpe de induſtria,& quòd ita melius iudicent,non ſanant aliquem: eo quòd ei conducat eſſe in morbo,uel propter tyrannidis diſſolutionem,uel ut philoſophetur. quemadmodum & Theagem in morbo reliquerunt,propter philoſophiam. Vnde & Theages dialogus. Quare nec is mouet. Et ex alio eſt etiam oſtendere, quòd non mouet hic intellectus quia non habet fugere, uel perſequi. Omnis autem motus fugit,uel perſequitur. Oſtenſum eſt ergo,nullũ intellectus ſignificatum mouere ſecundum locum. Et hoc etiã exterius probari poteſt per generoſiſſimum argumentum. Nam ſi qualecunq; intellectus ſignificatum cauſa eſſet motus ſecundum locum: oporteret illa non moueri,quæ non habent qualẽcunque intellectum. Atqui irrationalia animalia intellectũ omnino non habentia,ſecundum locum mouentur. non ergo contemplatiuus intellectus,uel actiuus,cauſa eſt motus ſecundũ locum. Omnino autem nec rationalis eſt anima,quæ mouet,nec irrationalis. Rationalis enim non mouet ſecundum locum: eo quòd ab intemperante affectu ſuperati,ſecundum locum mouemur. affectus autẽ ab irrationali mouẽtur. Rurſus autem irrationalis non mouet: eo quòd ratio aliquando ſecundum locum nos mouet, ut ad præceptores,uel ad orationem: & quia in continentibus apertè oſtenditur non mouere irrationalis. ea enim ſæpe iubẽte ad res uenereas conuerti,continentes non mouentur,nec cedunt iuſſui. quod autem mouet,omnino audiri oportet. Diximus itaq;, quæ ſint non mouentia. Dicamus deinceps conſequenter, quid eſt, quòd ſecundum locum mouet. Eſt autem, quod ſecundum locum mouet, intellectus actiuus, & appetitus irrationalis. Et hoc ex eo oſtenſum eſt,quòd appetitus quidẽ in incontinentibus moueat: intellectus autem in continentibus. Sed quoniam,quãdo aliqua duo aliquid unum faciunt,ſecundum aliquid cõmune hoc omnino faciunt:ut, quod eſt bipes, & quadrupes,ſecundum aliquid commune,ſcilicet,pedeſtre,mouentur. Sic ergo oportebat intellectum,& appetitum,ſecundum aliquid commune mouere. Eſt autem quid medium inter uitam, & cognitionẽ. Ad quod dicimus,quòd & hæc duo,intellectus, & appetitus,ſecundum aliquid commune,appetitiuum mouent: quod etiam cõſultatorium appellat Ariſtoteles : ſicut in irrationalibus, irrationalis appetitiuum. Meritò autem communi appetitiuo dat motum, & non intellectui,ut in Timæo. intellectus enim rectè tantum mouet: Appetitus autem & rectè,& obliquè. Motui autem rectũ conuenit,& obliquum. Communi ergo ſenſitiuo poteſtas danda eſt motus ſecundum locum. Dubitant autem,dicentes, fieri non poſſe,ut appetitiuum moueat ſecundum locum, quo ad ea, quæ dicta ſunt. Si enim,quod ſecundum locum mouet,unum eſt : duo autem ſunt appetitus,& non unus: appetitiuum ergo non mouet.& nectitur in ſecunda figura huiuſmodi ſyllogiſmus. Quod ſecundum locum mouet,unum: Appetitiuum,non unum. Quod ſecundum locũ mouet ergo,non appetitiuum. Ad quod dicimus, quòd appetitiuũ & unum eſt,& non unũ: unum quidẽ genere: duo autẽ ſpecie. Vt unũ ergo genere,mouet. Quomodo autẽ eſt unum quidem genere: ſpecie autem duo,appetitiuum! Quoniam alius eſt appetitus irrationalis: & alius rationalis. eſt autẽ ſpecie diſſimilis irrationalis ad rationalem. Quamobrem & irrationalis appetitus eſt ſpecie diſſimilis ad appetitum rationalẽ. Quare genere quidem unus eſt appetitus: ſpecie autẽ diuerſus. Quòd autem oportet eſſe diſſimilem ſpecie appetitũ,non ſolum ex animarum diſſimilitudine apertum eſt,ſed & hinc. Præcipit irrationalis appetitum affectus: Imperat autem rationalis appetitum uirtutis. & quoniam uirtus eſt affectui contraria: contingit contrariorũ unam eſſe operationẽ. quod eſt abſurdũ Fit autem omnino contrarius appetitus,quando ratio affectui aduerſatur,ut in homine dico. nam & in irrationali fiunt cõtrarij appetitus: ut cupiditas ad iram. Fiunt ergo cõtrarij appetitus,quãdo ratio cupiditati aduerſatur. Hæc cùm dixiſſet,dicit quendam nimis confidentem,& periculi,& audaciæ plenũ ſyllogiſmum, in prima figura. Eſt autem hic ſyllogiſmus: Vbi contrarij motus, illic una eſt & temporis ſenſus. Vbi temporis ſenſus, illic eſt ratio,& cupiditas. Hic autem ſyllogiſmus habet quædã nimiũ præcipitia,& periculi plena. Vnum quidem quoniã omnino eſſe dicit rationẽ,et cupiditatẽ,ubi eſt temporis ſenſus: ut ex hoc colligatur ſolum hominẽ habere temporis conſenſum. Atqui uidemus rationalia quoq; animalia unà tempus ſentire. ut declarat grus,quæ fugit in hyeme Thraciã. & formica,quæ,theſauri inſtar,ſibi prius nutrimentũ recondit,propter hyemem. Porrò & aliud habet abſurdũ ſyllogiſmus. Dicit enim: Vbi ſunt contrarij motus,illic ratio,& cupiditas, ratione quidem pro præſenti uoluptate bonũ futurũ eligẽte,cupiditate autẽ ad id,quod eſt præſens. ſiue id,quod apparet,bonũ reſpiciẽte: ut ſecũdũ ipſum colligatur,in homine,& ſolo eſſe contrarios motus,ut diximus,irã ad cupiditatẽ. Hæc cùm dubitaſſet,utrunq; diſſoluit: prius quidẽ per tres ſolutiones. Vnam quidẽ,quòd irrationalia temporis nõ utiq; ſenſum habent. neq; enim ipſum ſenſu apprehẽdunt. tẽpus enim eſt incorporeũ,& corpore melius: & ſenſu non cõſideratur. Quòd autẽ ſenſu irrationalia non norunt,nec imaginatione norũt. Quare irrationalia tẽporis ſenſũ nõ habẽt: quia nõ cadit tempus ſub ſenſum. Hæc eſt prima ſolutio. Quantũ autẽ ad hæc, nec nos qdẽ tẽporis ſenſum habemus : neq; enim ipſum uidemus. Quòd ſi ita eſt,nec ipſum imaginamur. Dicẽda eſt ergo ſecũda ſolutio,quòd irrationalia tempus non apprehendunt,ſed ea,quæ ſunt in tẽpore: ut frigus: calorẽ : & eiuſmodi. Quare uerũ dicit Ariſtoteles,dicẽs irrationalia tẽpus nõ ſentire. Quæ enim ſunt in tẽpore,apprehendunt,& non tẽpus. Nos enim ipſam habẽtes rationalẽ animã,ipſius temporis ſenſum habemus,horas, & dies numerãtes. Et hæc eſt ſecũda ſolutio. Tertia ſolutio,quòd Ariſtoteles tẽpus uocat definitũ,et nõ indefinitũ. Sic itaq; dicit in libro Peri hermenias. Hæc qdẽ ſimpliciter: illa uerò in tẽpore, ſimpliciter appellãs indefinitũ tẽpus,in tẽpore aũt,tẽpus definitũ & determinatũ. Animalia ergo irrationalia, etiãſi tẽporis ſenſum

*habeant,ſed non habent ſenſum temporis definiti: ſed tantum, uerbi gratia,hyemem,uel æſtatem ſentiunt. Homines autem definiti temporis ſenſum habent,dies,& horas numerantes. Numerare enim eſt ſolius animæ rationalis propriũ. Propterea ergo dixit hominem ſolum ſenſum habere temporis definiti. Indefiniti enim etiam irrationalia ſenſum habent. Sic ergo primum diſſoluit. Soluit autem & ſecundum dicens: ubi contrarij motus,illic & ratio,& cupiditas,ſi addideris,qui ſecundum præſens,et ſecundum futurum tempus fiunt contrarij motus. Secundũ præſens enim,& futurum,ſolus homo contrariè mouetur. Irrationalia autem ſecundum præſens tempus,& ſolum. Aegrotans enim propter præſentem febrem,frigidum deſiderat,appetitu imperante hoc facere. Ratio autem propter futurũ malum extrudit appetitum. Irrationalia autem cõtrariè mouentur, non propter eam,quæ eſt futuri,prouidentiam. Fingatur enim leo gregẽ aggreſſus,& percuſſus: deinde poſtea uolens alterum gregem aggredi,& priorem ictum ueritus non aggreditur,ne rurſus patiatur. Vides ergo,quòd de futuro cõſiderat,ne patiatur. Quare & irrationalia circa futurum uerſantur. Ad quod responderunt interpretes,quòd ex præterito futura conſiderare,& colligere,rationis eſt,& ſolum. Leo ergo non ex præterito futura præuidit,ſed ſecundum imaginationem motus, ut qui uulneris adhuc reliquias habeat,cunctatur gregem aggredi,præſens uulnus ueritus. Quare circa præſens tantummodo operatur. neque enim in ipſo eſt temporis diſcretio,ſicut neq; numeri. neq; enim nouit leo,quid eſt ſecundum,uel tertium: ſed turbam tantũ nouit,& paucitatem: ut declarat, quòd paucos quidem inuadit, multos autem pertimeſcit. Et hæc quidem in ijs, in quibus dicit Ariſtoteles,quòd eorum,quæ ſecundum locum corpus mouent, hæc quidem ſolum mouent: illa uerò etiam mouentur. Appetendum enim mouet appetitum,cùm ipſum omnino non moueatur. Appetitus autem mouetur quidem ab appetendo. mouet autem corpus motu,qui eſt ſecundum locum. Et hæc quidem Ariſtoteles. Plato autem non dicit appetitum mouere:ſed,quod in unoquoq; prius eſt,ipſum dicit mouere ſecundum locum: in homine quidem rationalem animam: in irrationalibus autem irrationalem. Hæ ſunt enim,quæ in utriſq; priores habent partes. Nam & in hominibus non eſt in affectibus irrationalis,quæ mouet ad uoluptates:ſed & tunc rationalis mouet quidem quodammodo hominem: ſed errat,quibuſdã ueluti præſtigijs à cupiditate decepta. Sciendum autem Platonem ab Ariſtotele non diſſentire. Plato enim effectricem cauſam dixit: Ariſtoteles autem finalẽ, cùm dixit appetitum. non eſt autem ipſe appetitus propriè finalis cauſa motus ſecundum locum, ſed appetendum. propterea enim ambulamus,ut appetẽdum aſſequamur. Dic ergo,quòd & Plato, & Ariſtoteles effectrices cauſas dixerunt motus ſecundum locum. Sed Plato quidem remotiorem effectricẽ,dicens rationalem animam: Ariſtoteles autem propinquam,dicens appetitum. Nam & irrationalis per medium appetitum mouet corpus motu,qui eſt ſecundum locum. Et in his,deo eſt gratia, finitur contemplatio. Quòd itaq; nutritiua facultas non eſt id, quod mouet,clarũ eſt. Semper enim alicuius gratia motus ipſe, & eſt cum imaginatione,uel appetitu. Per hoc autem, Alicuius gratia motus,primum innuit argumentum,quòd nutritiua quidem facultas unum habet finem: motus autem multos. Videtur autem contextus dubium ſuſcipere. Dicit enim,motum ſecundũ locum eſſe alicuius gratia:& propterea non eſt uegetatiua cauſa motus. Quid igitur,uegetatiua in augẽdo non mouet alicuius gratia? Vel dicimus, quòd non oportet lectionem præcidere in eo, Alicuius gratia, ſed &, quæ in cõtextu deinceps ſequuntur, adiungere,ut ſit id,quod dicitur,in hunc modum: Non eſt uegetatiua, quæ ſecundum locum mouet: eo quòd motus ſecundum locum,qui fit alicuius gratia,fit cum imaginatione, uel appetitu. Vegetatiua autem, etiamſi eſt alicuius gratia, ſed non cum imaginatione. Per hoc autem,quod dicit, eſſe cum imaginatione,uel appetitu,ſecundum dicit argumentum,quòd oportet id, quod mouetur,& appetere ut fugiat, uel perſequatur, & iam imaginari. Omnino enim motus qui eſt ſecundum locum, uel eſt cum imaginatione,uel cum appetitu. Quæcunq; enim animalia habent imaginationem,habent & appetitum. Quæ autem non habent imaginationem,ſolum habent appetitum. & in quibus eſt imaginatio,ea una cum appetitu mouentur. In quibus autem non eſt imaginatio,ſufficit & appetitus. Nihil enim, quod non appetit,mouetur,præterquam ui. Hoc autem dixit propter eos, qui nolunt quidem moueri: mouentur autem inuiti: ut, qui ab aliquo ad iudicium trahuntur.*

Præterea ſi plantæ eſſent motiuæ.

*Tertium eſt argumentum aduerſus eos,qui dicunt eſſe uegetatiuam animam,quæ mouet animal ſecundum locum: quaſi diceret,quòd ſi nutritiua eſſet motiua ſecundum locum, non abſtuliſſet natura plantis inſtrumẽta motoria. Sicut enim nihil fruſtra facit natura, ſic nec prætermittit quicquam eorum, quæ conueniunt.*

Etiam haberent aliquam partem inſtrumẽtariam ad hunc motum.

*Hoc eſt quartum argumentum ab inſtrumentis. & uide quomodo,cùm contextus eſſe uideatur perpetuus, & unam habere continuitatem,illum in quatuor argumenta ſecuimus.*

Similiter autem nec ſenſitiuum. Sunt enim multa animalia,quæ ſenſum quidẽ habẽt, ſed tamen manẽt, & ſunt perpetuò immobilia. Si ergo nec quicquã fruſtra facit natura: nec aliquid ex neceſſarijs relinquit,præterquã in mãcis, & imperfectis: Sunt autem eiuſmodi animalia perfecta, & non manca: Quod autẽ non ſunt mãca, ſignum eſt,quòd ſunt generatiua, & habent ſummum incrementum, & diminutionem: Quare haberent & inſtrumentarias partes ambulationis.

*Hic oſtendit,quòd nec ſenſus eſt,qui mouet, ut dictum eſt in contemplatione. Sed quia contextus paulò eſt prolixior ambitus: age illius ſeriem ſic dicamus. Si ſenſitiuum eſſet, quod mouet: quia nec natura quid fruſtra facit: nec ex neceſſarijs aliquid negligit,& omittit: haberent &, quæ nunc perpetuò manent, animalia inſtrumentarias ambulationis partes, cùm ſint perfecta,& non manca. Quòd autem non ſunt manca, ſignum eſt & generandi facultas,& quòd ſummum habent incrementum, & diminutionem.*

Atqui nec intellectiuum, &, qui intellectus dicitur, eſt, qui mouet. Contemplatiuus enim nihil agendum intelligit: nec dicit aliquid de fugiendo & perſequendo. Semper autem motus, vel fugientis aliquid, vel perſequentis.

*Hic oſtendit,quòd neq; eſt intellectus,qui mouet. Et quæ dicit quidem Ariſtoteles,in contemplatione dicta ſunt: nos autem etiam aliud exterius argumentum, ex hiſtoria comparauimus, quòd ſæpe aliquas per ſe contemplationes quis agitans, non ſolum à uia propoſita aberrauit,ſed & præceps latus eſt: ut & Thales in puteum incidit. Ex quo manifeſtum eſt non eſſe intellectum,qui mouet ſecundum locum.*

Sed neq; quando aliquid eiuſmodi contemplatur, iam iubet fugere, vel perſequi. Quem-

admodum ſæpe cogitat aliquid timēdum, vel iucundum:non iubet autem timere : cor verò mouetur:Si autem iucundū,aliqua alia pars.

*Actiuum intellectum per hæc ſignificat. Dicit enim , quòd neq; quãdo intellectus tale quid cognoſcit, id eſt,agendum:neq; hoc mouere poteſt, quòd reſiſtat affectus. Si autem Iucundum, aliqua alia pars. Si iucundum,inquit,quidpiam cogitatum fuerit: alia pars mouetur,nempe iecur. Quãdo enim affectus ipſum mouet:mouetur, etiam ſi non imperet intellectus. Vide autem, quòd non eſt rectè uſus exemplis. De rationis , quæ in uniuerſo corpore conſtituta eſt,motu , qui ſecundum appetitionem , & impulſum dicitur, loquens , adduxit exempla motus particularium partium.*

47 Præterea & præcipiente intellectu,& dicente cogitatione aliquid fugere vel perſequi, nō mouetur:ſed ſecundū cupiditatē operatur,vt incontinentes.Iam & omnino videmus,quòd qui artem habet medicam, non medetur, tanquam ſit aliquid aliud,quod habeat poteſtatē faciendi ſecundum ſcientiam. Sed neq; appetitus eſt huius motus autor.Tēperantes enim, licet appetant, & deſiderent, non faciunt illa, quorum appetitum habent, ſed ſequuntur intellectum.

*Vltimum eſt argumentum,quòd non à ratione ſecundum locum mouetur , quod mouetur. Etſi enim præcipiat rationalis anima:nō mouetur corpus:eo quòd ab affectu detineatur. Sicut incontinentes. iubente enim intellectu non moueri ad meretricem,mouetur homo.*

Cap. 11.

48 Videntur autē hæc duo eſſe, quæ moueāt, vel appetitus,vel intellectus,ſi quis ponat imaginationem,vt intelligentiam aliquam. multa enim præter ſcientiam imaginationes ſequuntur:& in alijs animalibus non intelligētia, nec ratiocinatio eſt, ſed imaginatio. Hæc ſunt ergo ambo motiua ſecundū locum: intellectus, & appetitus.

*Hoc in loco uult dicere , quæ eſt cauſa motus ſecundum locum:hucuſq; enim,quid non eſt,dixit. Dicit ergo duas eſſe cauſas motus ſecundum locum : intellectum, & appetitum. Si quis imaginationem ponat ut intelligentiam aliquam. Quoniam in ſuperioribus ſæpe imaginationem intellectui coniunxit : cognitiuas enim animæ facultates in duo tantum diuiſit: in id,quod eſt cum corpore operari,quod eſt ſenſus: & in id,quod eſt ſine corpore,quod intelligētiam appellat:nunc dicit, quòd ſi quis imaginationem intelligentiam aliquam ponat,id eſt,cum intellectu, duo ſunt ſolum,quæ mouent: appetitus,& intellectus. Si autem aliquid aliud acceperit imaginationem præter intellectum: tria inueniuntur mouentia:intellectus:imaginatio:appetitus.Et hoc quidem dicit Plutarchus.Idem autem dicit,& appetitus nomen de ira, & cupiditate dici. Cur autem dicit omnino Ariſtoteles, Imaginationem intellectui coniungi? an quia paucæ ſunt admodum intelligentiæ citra noſtram imaginationem: quod ſignificat dicens,Multa enim præter ſcientiam imaginationes ſequuntur. Ad multa enim imaginationē ſequimur,quod eſt affectus , præter ea, quæ intellectui uidentur. & , quod eſt intellectus proprium,ſæpe imaginatio recipit: eſt enim eius proprium intellectum ſequi Quia ergo ſæpe imaginationem ſequimur ,relicto intellectu: propterea ipſam intellectū appellat. Vel quia in irrationalibus pro intellectu eſt imaginatio, quæ mouet:quod ſignificauit dicens,Et in alijs animalibus nec intelligentia eſt, nec ratiocinatio,ſed imaginatio. Dici autem poteſt, quòd quoniam etiam paßiuus intellectus eſt imaginatio , eo quòd intus habeat id,circa quod operatur , ſicut & intellectus , ipſam propterea intellectū appellat.hoc autem argumentū contextus non habet.*

Intellectus autem,qui alicuius gratia ratiocinatur,& actiuus. 49

*Videtur contextus alicuius gratia dicere actiuum intellectum.Vnde & non immeritò dubitari poteſt.Quid ergo,cōtemplatiuus intellectus non eſt alicuius gratia, quia actiuū propriè intellectum,alicuius gratia appellauit? Atqui,quod contemplatiui eſt alicuius gratia,melius eſt, quàm, quod actiui. Ad quod dicimus,etiam contemplatiuum eſſe alicuius rei gratia: Sed actiuus quidem id,quod eſt alicuius gratia,id eſt,finem,exterius habet,ut diteſcere,uel nauigare,uel quid aliud eiuſmodi. Contemplatiuus autem intellectus habet intus finem.Omnis enim facit, ut cognitionem aſſumat:quod eſt perfectum animæ officiū. & quia eſt obſcurum,quod intus eſt ,propterea multi otioſos contemplatiuos appellant. quos ſequens Philoſophus externū tantum finem definijt.& ideo de ipſo dixit illud, Alicuius gratia.*

Differt autem à contemplatiuo, fine. & omnis appetitus alicuius gratia.

*Hic uult dicere,quòd omnis quidē intellectus ſubiecto idem eſt,quod alius : ſed ratione differunt. Finis enim contemplatiui intellectus,eſt principium intellectus actiui,& principium appetitus.Ex hoc autem duo poſſunt colligi: primum quidē,quòd non de externo intellectu loquitur, quando dicit contemplatiuum.ecce enim cum idem eſſe dicit,quod actiuum,ſubiecto.Externus autem intellectus non eſt idem, quod actiuus. Secundum autem ex hoc colligi poteſt, quòd actiuus etiam intellectus eſt immortalis,ſiquidem idem eſt cum contemplatiuo, quem in confeſſo eſt eſſe immortalem.*

Cuius enim rei appetitus, ipſe eſt principiū actiui intellectus, extremum autem principiū actionis.Quare rationi conſentaneum eſt hæc duo videri mouentia,appetitum,& cogitationem actiuam. Appetitiuum enim mouet : & propterea cogitatio mouet, quia principium eius eſt appetitiuum.Porrò & quando mouet 50
imaginatio,mouet non ſine appetitu.

*Græce eſt οὗ, pro οὗτινος, id eſt cuius rei: & lege cum aſpiratione. Dicit autē,Cuius rei eſt appetitus, ipſe eſt actiui intellectus principium. Intellectus autem finis eſt principiū actionis. Exemplo autem erit apertum,quod dicitur. Aeſtate tegumentū ualde appetijt quiſpiam,ne à ſole uratur. & hic appetitus eſt alicuius gratia: ne enim uratur. ipſum tegumentum eſt principium actiui intellectus.incipit enim,ut tegat,mente agitare,per umbram,deinde per excitatos parietes. & hoc quidem incipiēs facere,à fundamentis incipit.Et conſidera, quòd finis actiui intellectus,quod eſt fundamenta,eſt principium actionis. Appetitum & cogitationem actiuam.Conſidera,quòd actiuum intellectum cogitationem appellauit actiuam. Rurſus autem poſt imaginationem accipit intellectum,uel cogitationem.*

Iam verò vnū eſt aliquid, quod primò mouet,appetitiuum. Si enim duo, intellectus, & appetitus,mouerent, ſecundum communē aliquam formam mouerent.Nunc autem intellectus quidem non videtur mouere ſine appetitu. Voluntas enim appetitus. Quando autem ſecundum ratiocinationem mouetur,& ſecundum voluntatē mouetur. Appetitus verò mouet præter ratiocinationem.cupiditas enim eſt

quidam

51 quidam appetitus. omnis ergo intellectus rectus eſt. appetitus autem, & imaginatio & rectus eſt, & non rectus: & ideo ſemper mouet, quod eſt appetēdum. Sed hoc eſt vel bonum, vel, quod bonum apparet. non quoduis autē, ſed bonum agendum. Agendum autem bonum eſt, quod contingit etiam aliter habere.

52 Quòd itaq; talis animæ facultas mouet, quæ appetitus appellatur, clarum eſt.

*Quod uult dicere tale eſt. Si duo eſſent, & alia à ſe inuicem, intellectus, & appetitus: ambo autem mouerent: aliqua alia neceſſe eſſet communis utriſq; facultas, quæ cum utriſq; communicans, moueret animal: ſicut bipedi, & quadrupedi pedes habere commune eſt. Nunc autem non ambo mouent. Intellectus enim mouens, mouet non ſine appetitu: uoluntas enim eſt appetitus. Tūc autem ſecundum uoluntatem quid mouetur: quando ſecundum ratiocinationem motum fuerit. Appetitus autem mouet etiam præter ratiocinationem. Per cupiditatem enim mouemur. cupiditas autem eſt appetitus. Et quòd non idem eſt appetitus, & intellectus, hinc clarum eſt. Verus enim intellectus ſemper rectus eſt, & nunquam fallitur. Appetitus autem, ſi poſt imaginationem fuerit, etſi eum intellectum diximus, & rectus eſt, & nō rectus. Quod eſt enim appetendum, ſenſum moueat oportet. Sed hoc uel uerum bonum eſt: & eum, qui eſt in intellectu, appetitum mouet: uel apparent bonum: & mouet irrationalem appetitum. Apparens autem intellige, quod poteſt etiam aliter habere. Si autem hæc ita habēt appetitus eſt, ſcilicet, qui mouet, & rationalis, & irrationalis. Quòd enim, inquit Ariſtoteles, duæ facultates non mouent, apertum. Intellectus enim omnino cum appetitu mouet. Appetitus autem etiam ſine intellectu mouet: quādo irrationales cupiditates ſequimur. Vna ergo facultas mouet, & non duæ. Secundum cōmune enim genus mouerent, quod ipſe dixit ſpeciem. Non quoduis autem, ſed bonum agendū. Rectè autem dixit, Non quoduis bonum. Primum enim bonum, ſcilicet diuinum, non eſt in nobis. Deinde dicit: Agendum eſt autē, quod contingit etiam aliter habere: & hoc iure dixit: Quod eſt enim bonū alij, alij malum eſt. Ipſum itaq; dicit contingens. Hæc autem, bonum inquam, & malum actiuum intellectum ſequuntur. Verum autem, & falſum non actiuum, ſed cōtemplatiuum.*

Iis autem, qui animæ partes diuidunt, ſi ſecundum facultates diuidant, & ſeparent, permultæ fiunt nutritiua: ſenſitiua: appetitiua: intellectiua: conſultatoria. Hæ enim in pluribus à ſe inuicē differunt, quàm deſideratiua, quam concupiſcibilem, & animoſa, quam iraſcibilem appellant.

*Hic Platonem ſignificat, & dicit, quòd in motu ſcundū eum dicere non poſſumus, quia animas partitur: & quomodo ſecundum eum poßumus aliquid commune inuenire? Non ſolum autē in hoc peccat: ſed, quòd etiam multas prætermittit: &, cum omnes dixiſſet, non meminit motus ſecundū locum: uel, quòd ipſe ſub appetitum reducitur: & ipſum una comprehendit: uel, quòd de ipſo non agitur.*

55 Quoniam autem ſunt appetitus ſibi inuicē contrarij: hoc autem contingit, quando ratio, & cupiditas ſunt contrariæ: fit autē in ijs, quæ habēt ſenſum temporis: Intellectus enim propter futurum ad diuerſum trahere iubet: Cupiditas autem propter iucundū: apparet enim id, quod iam iucundum eſt, etiam ſimpliciter iucundum, & bonū ſimpliciter, quia futurum non videt:

*Hic audacem illum & periculoſum dicit ſyllogiſmū. non rectè autem ordine uſus eſt. Concluſionem enim dicit ante propoſitiones. Hic enim erat ſyllogiſmus: Vbi contrarij motus: illic quoq; una temporis ſenſus. Temporis autem ſenſus in ijs eſt, in quibus ratio eſt, & cupiditas. Deinde dicit primam propoſitionem: Vna quoq; ſenſus eſt temporis, ubi ſunt motus cōtrarij. Secundæ autem propoſitionis ne meminit quidem. Quia futurum non uidet. Dicit cupiditatem non uidere futura. Eſt enim placitum Ariſtotelis, animam irrationalem non uerſari circa futura. Cupiditas autem eſt irrationalis animæ.*

Specie quidem vnum fuerit, quod mouet, 54
appetitiuum, quatenus appetitiuum.

*Appetitus enim eſt multa quidem numero, unum autem ſpecie: ſpeciem autem rurſus dixit pro genere. Propriè enim genere quidem unum eſt: ſpecie autem multa. Diſsimiles enim ſpecie ſunt animæ, &, qui in eis conſiderantur, appetitus: hunc autem appetitum unum genere demōſtrauit: qui ſecundum locum mouet animalia, ſiue cum ratiocinatione ſit, ſiue cum ira, ſiue cum cupiditate. Sicut enim nihil prohibet ſenſitiuū principium unū eſſe, etſi ſint quinque ſenſus: ſic nihil uetat unam eſſe appetitiuam facultatem: tres autem eſſe operationes, à quibus appetitus traditur, & tranſmittitur in intellectum: cupiditatem: & animum ſiue iram.*

Primum autem omnium appetitiuū. Hoc enim mouet, etſi non moueatur, quòd intellectu ſit conceptum, vel imaginatione comprehenſum.

*Hic ſupponitur, quòd non ſolum appetitiuum mouet, ſed & appetendum, ut fœnum. Eſt autem differētia, quòd appetitiuum quidem motum mouet. Appetendum autem, etſi ſit immobile, mouet, utpote quod ſit finis. Finis enim, licet ſit immobilis, mouet: ſicut & deus, qui eſt finis, licet ſit immobilis, mouet. Hic ergo habes ultimum caput, quòd cauſarum, quæ ſecundum locum mouent, quædam ſolum mouent, nec mouentur: Quædam autem & mouent, & mouentur, ut appetitus.*

Numero autem plura, quæ mouent.

*Quoniam dixit unū genere eſſe, quod mouet: propterea dicit quòd numero multa ſunt. mouet enim imaginatio: intellectus: appetitus: appetendum. Sunt itaq; multa. Et in his, deo eſt gratia, praxis completur, Praxis, deo fauente, ſeptimadecima.*

Quoniam autem ſunt tria: vnum quidem quod mouet: ſecundum autem, quo mouet: & adhuc tertium, quod mouetur. Quod autem mouet, duplex: hoc quidem immobile: illud verò, quod mouet, & mouetur: eſt autem immobile quidem bonum agendum. Quod autem mouet, & mouetur, appetitiuum: mouetur enim, quod mouetur, quatenus appetit: & appetitus eſt quidam motus, vel operatio: Quod autem mouetur, eſt animal: Quo autē mouet inſtrumēto appetitus, hoc iam eſt corporeum.

*Hic quoniam iam dixit, quid eſt, quod nō mouet: & quid eſt, quod mouet: omnia colligit, quæ motui conferunt. & dicit hæc eſſe tria: quod mouet, ut appetēdum: & quod mouetur, corpus: &, quo mouet, uidelicet inſtrumentario. Inſtrumentarium autē dicit ſpiritum, qui à corde per neruos fertur. In corde enim exiſtimat Ariſtoteles eſſe præcipuam, ſeu ductricem animæ facul-*

tatem, quæ græcè ἡγεμονικὸν dicitur. Hoc autem inſtrumentariũ, & quo mouetur, appellat: quia ipſo ſpiritu mouetur corpus: aliquando autem appellat ipſum, quo mouet: id eſt, quo ſpiritu anima mouet corpus. Hæc ſunt, quæ ad motum conferunt. Doctrinam autem incipit ab inſtrumentario, ad perpetuitatẽ, & continuitatem orationis ſeruandam: & aſsimilat ipſum principio & fini: & cardini oſsium: & motui ſecundum naturam: & motui præter naturam, quos ſub truſionem, & attractionẽ reducit. Atqui ipſum etiam circulo aſsimilat: & cur ita faciat, omnium cauſa reddi poteſt. Principio enim, & fini eum cõparat: quia ſpiritus eſt & finis animalium illuminationũ, & principium corporalium ſubſtantiarum. Vel quia ſpiritus & cũ motu incipit, & una cum eo finitur: etſi enim effectiuum una cum motu incipit, & cum eo finitur: ſed tamen inſtrumentariũ eſt multo propinquius. Dici autẽ poteſt, quòd non uocat ipſum principium, & finẽ, ſed, ubi eſt principiũ, & finis, id eſt, in corde, eſt ſpiritus: quod, cùm ſit in medio, eſt principium, & finis. Medium enim, eorum, quæ præceſſerũt, eſt finis: futurorum autem principiũ, lege mediorũ. Spiritus itaq; illic eſt, ubi eſt principium, & finis. Sciendum autem, quòd medici quidem neruos eſſe dicunt inſtrumenta motus. Philoſophi autem innatum calidum inſtrumentũ eſſe dicunt appetitus. Et hic ſpiritus, hoc, ſcilicet, calidum, in toto eſt corpore, ſiquidem omnino, ut & totum corpus noſtrũ, ſecundum locum mouetur. Eſt ergo in toto corpore, ut quod totum corpus debeat mouere. Quamuis enim ipſum in corde eſſe dicit: ſed tamen etiam eſt in toto corpore, ut quod à principio à corde ſuppeditetur. Aſsimilat autẽ etiam ipſum ſpiritũ cardini oſsium, qui græcè γιγγλυμὸς dicitur. Eſt enim γιγγλυμὸς duorum oſsium compoſitio, eo, quod eſt gibboſius, & paulo altius, in concauitatem immiſſo. Et hæc quidem ſunt ratione diuerſa. in alio enim corpore eſt, quod eſt gibboſius, & prominentius: in alio autem concauum: ſubiecto autem ſunt eadem. Inter ſe enim inuicem compacti conueniunt. & fit motus non duorũ, ſed ſolius gibboſi, & prominẽtis. circa concauum enim, quod manet, & eſt immobile, gibboſi fit, & prominentis motus. Talis eſt, quæ fit in ulna, manuum noſtrarũ articulatio. Quia ergo ſpiritus eſt & uiuificatus, & ſimpliciter ſpiritus: & hæc ratione quidem, & habitudine ſunt diuerſa, ſubiecto autẽ eadem: in ſpiritu enim uita, & is mouetur ut ſpiritus, & non ut uiuificatus ſpiritus: animam enim immobilem dicit Ariſtoteles: Propterea ergo ipſum γιγγλυμὸν, id eſt, oſsium cardini, aſsimilat: quia, ut in oſsiũ cardine eſt aliquid, quod mouet, & immobile: & hæc ratione quidem, & habitudine diuerſa: ſubiecto uerò eadem: ſic & in ſpiritu eſt aliquid immobile uiuificatum, &, qui mouetur, ſpiritus. Hæc autem ratione differunt, non ſubiecto. Aſsimilat autem ipſum & motui ſecundũ naturam. Sicut enim in motu ſecundum naturã, eſt aliquid, quod manet, & aliud quod mouetur. Homines enim nõ per totos nos ipſos mouemur: quia ambulatorius motus ex protruſione, & tractione componitur. Vnus enim noſter pes terram trudit: certè, ſi in limoſo loco deprehenſi fuerimus, pes, utpote cum terra protruſioni non reſiſtat, profundè in limum deprimitur: alio autem pede corpus trahimus: & ſpiritus quidem, qui eſt in ſtante pede, quieſcit: qui autem eſt in eo, qui mouetur, pede, mouetur. Mouetur enim pes, qui trahit. Vnus enim pes omnino trudit: alius uerò trahit, qui etiam motum facit. Dici autẽ poteſt, quòd etiam in uno pede eſt truſio, & tractio: ut tractionẽ quidem accipias, pedis ad nos contractionem: truſionẽ autem, extẽſionem pedis, quæ fit à nobis. Tractio enim eſt, quæ fit ad nos: Truſio autem, quæ à nobis. Quoniam ergo in motu, qui eſt ſecundum naturam, eſt aliud, quod manet, & aliud, quod mouetur: eadẽ autem ſunt & in ſpiritu: ipſum propterea ſic æquiparat. Et uide, quòd nunc etiã eum, qui eſt ſecundum naturã, motum, ſub truſionem, et tractionẽ reduxit, ſicut & eum, qui eſt præter naturam. in naturali autem auſcultatione, eum ſolũ, qui eſt præter naturam, motum, in ſeptimo libro ſub truſionem, & tractionem redigit. Aſsimilat autem ipſum & motui præter naturam, quoniam habet & ipſe aliquid, quod manet, & mouetur, à truſione, & tractione factus. Quod enim ui mouetur, uel à nobis truditur: uel ad nos attrahitur. Si quis autem dicat circumactionem non fieri truſione, & attractione, fallitur. Nã & in ea cùm ſint duo ſemicirculi, primum quidẽ trahit, quod retro eſt: Quod autem eſt retro, trudit prius. De uectura autẽ dici poteſt, quòd mouetur per accidens, eo quòd mouetur, quod uehit: non trahitur enim, uel truditur. Quod autem uehit, quoniam per ſe mouetur: uel trahitur, ut currus: uel truditur, ut nauis à uentis. Et in motu ergo præter naturam, quia eſt manens, quod trudit: & mouetur, quod trahit: eum propterea inſtrumento cõparat. Iam uerò & circulo ſpiritũ aſsimilat: eo, quòd in circulo circa ſolum centrũ fit motus: ſicut & ſpiritus circa manentem uitam mouetur. Et hoc exemplũ eſt magis conducibile: in unaquaq; enim parte circuli ſignum eſt, quod, & cùm ſit prius, poteſt trahere, &, cùm ſit poſterius, poteſt trudere: uniuſcuiuſq; enim ſigni eſt & prius, & poſterius. Quoniã ergo eſt & ſpiritus in unaquaq; ſui parte, & uiuificatus: circulo iure æquiparatur. Hæc poſtquam dixit de eo, quo mouet: uenit ad id, quod mouetur: & dicit, quòd mouẽtur, & animalia, & Zoophyta, ſeu plantanima: & de plantanimis quidem dubitat, quomodo illa mouẽtur, ſiquidem, quod mouetur, uult omnino habere appetitum: ubi autem appetitus, illic & imaginatio. Nam ſicut circa id, quod abeſt, eſt appetitus: ſic & imaginatio uerſatur circa id, quod abeſt. Si quis autẽ dicat, Quomodo circa id, quod abeſt, uerſatur appetitus? ſiquidem etiam præſentẽ ſanitatem appetimus: Dicimus, quòd ſanitatẽ appetimus propter futuram fruitionem. Quid autẽ collectũ eſt ex eo, quod dictum eſt? Quòd, ſi mouentur plantanima, etiã habent imaginationem. Quod diſſoluens dicit ea habere imaginationẽ ſenſui coordinatam: ex quo fit etiam imaginationis diuiſio. Imaginationis enim, inquiunt, hæc quidem eſt cõſultatoria, illa uerò ſenſui coordinata: & conſultatoria quidem ſolis ineſt hominibus: ſenſui autem coordinata, uel eſt confuſa, uel non confuſa: & nõ confuſa uel doceri poteſt, uel non poteſt doceri. Confuſa quidẽ eſt, ut in uermibus: errabundus enim eſt eorum motus. Non cõfuſa autem, & quæ doceri poteſt, ut in canibus, & pſittacis. Quæ doceri autem non poteſt, ut in formicis, & araneis. Plantanima ergo habent imaginationẽ ſenſui coordinatam, non confuſam, & quæ doceri non poteſt, id eſt, eam, quæ eſt ſecundũ inſtinctum ſenſum. Poſtquam etiã hæc dixiſſet de eo, quod mouetur, uenit & ad id, quod mouet: & dicit id eſſe triplex. Primũ enim appetendum mouet appetitũ, cùm ſit immobile, ut finale, ſicut & deus, &, quod eſt diuinũ. Iam uerò & appetitus mouet contrario motu: &, qui uicit, dominatum adeptus, mouet corpus. Eſt ergo tribus modis, quod mouet. Eſt autem appetitus ſimilis ſigno, quod eſt in ſphæra: quod quidem ſignum, cùm eſt in hemiſphærio, quod eſt ſuper terram, ſupereminet, & quãdo ad medium cœlum peruenit, uincit: ſed quando in eo, quod eſt ſub terra, hemiſphærio fuerit, uincitur. Quia autem in contraria appetituum pugna ratiocinãtes mouemur: & dum ratiocinamur, an ſcortari oporteat, an ad præceptorem uentitare: uel uincit affectus: uel ratio, &, quod dominatur, mouet: Quærit ergo quænam in ſyllogiſmo propoſitio mouet: & dicit utranq;, & maiorem, & minorem: ſed magis minorem, quàm maiorem. Concluſio enim ſequitur minorem, ut quæ ſit deterior. Deterius enim ſemper colligitur. Ex uniuerſali enim, & particulari particulare colligitur: & ex affirmatiuo, & negatiuo, negatiuum. Quia ergo cõcluſio fit motus: ea autẽ minorẽ ſequitur:

*ipſa propterea minor magis mouet: ut in exemplo eſt talis ſyllogiſmus. Hic eſt philoſophus: ipſa eſt minor. Omnis Philoſophus honorandus eſt: ipſa eſt maior: hic ergo eſt honorandus. Quæ eſt ergo propoſitio, quæ mouet appetitum, ad hoc, ut honoretur Philoſophus? utraq;, uidelicet: neq; enim minor ſola: neq; enim honoraretur, niſi cognoſceremus maiorē: Omnis Philoſophus eſt honorandus: neq; hunc omnino honorare appeteremus, niſi minorem noſſemus: Eſt Philoſophus. Quomodo enim eum honorare poſſemus, etiamſi maximè cognoſceremus, quòd omnis Philoſophus eſt honorandus? Ambæ ergo mouent. Sed maior quidem propoſitio non mota mouet: eſt enim immobilis, ut quæ ſit uniuerſalis. Vniuerſale enim non mutatur: minor autem mota mouet. Poteſt enim minor mutare ſubiectum, ut dicat, Socrates philoſophus, uel pro Socrate Platonē, Themiſtium: & ecce minor mouetur, & ſic mouet. Sed maior quidem ſecundum id, quod eſt remotius, mouet: minor autem ſecundum id, quod eſt propinquius: minor enim eſt particularis: & quoniam particularium eſt motus, & non uniuerſalium, et rationē proximè mouet minor. Et in his finitur contemplatio. Quoniam autem ſunt tria: unum quidem, quod mouet: Secundū autem quo mouetur: & præterea tertium quod mouetur. Alexander quidem dicit non eſſe redditionem illius quod eſt præpoſitum, Quoniā autem. Plutarchus autē uult hoc modo, quod dicitur, audire. Quoniam, inquit ſunt tria: unum quidem quod mouet: alterū quo mouetur: & tertiū quod mouetur: Eſt autē quod mouet duplex, uel immobile, ut appetendū, quod uocat bonū agendū: uel quod mouetur, ut appetitiuū: Deinde ſubaudit, Quatuor ergo ſunt, quæ motui conferunt: hoc eſt, quia ſunt tria: & unum in duo diuiditur: ergo quatuor. Talem affert reſponſionem Plutarchus pro eo, quod eſt, Quoniam autem: eſt autem immobile quidem bonum agēdum. Quod autem mouet, & mouetur, appetitiuum. Diximus autē quòd appetendū agendum bonum appellauit, agendum autem adiecit, ipſum ſeparās à bono, quod per ſe ſubſiſtit. Appetitum autem, qui mouet, & mouetur, appetitiuum appellauit. Mouetur enim quod mouet, quatenus appetit. Dicit, quòd appetitiuum motum mouet. & apertum eſt. Mouetur enim motum, quatenus appetit: quoniam appetitus motus quidam eſt. Deinde quoniam dixit appetitum eſſe motum: uult autem animam appetere quidem, non autem moueri: propterea corrigit, quod dictum eſt, & inquit: Appetitus enim uel motus eſt, uel operatio, & admittendum eſt, quòd operatio, eo quòd non moueatur anima: & quòd motus eſt imperfecta operatio: appetitus autē perfectus: & ideo eum motum dicere non perſtitit.*

Ideo in communibus corporis, & animæ
55 operibus, de ipſis conſiderandum eſt. [Nunc
autem, vt ſummatim dicam, quod mouet in-
ſtrumētariè, vbi principium, & finis idem, vt
oſſium cardo. Hic enim gibboſum, ſeu pro-
minens, & concauum, hoc quidem finis, illud
verò principium. Quare hoc quidē quieſcit:
illud verò mouetur, cùm ſint ratione quidem
alia, magnitudine autē inſeparabilia. Omnia
enim truſione, & tractione mouentur. Quā-
Cap. III obrem oportet, ſicut in circulo, manere ali-
56 quid, & hinc motum incipere. [Omnino ergo,
ſicut dictū eſt, quatenus appetitiuum animal,
ipſius eſt ea ratione motiuum.

*De ijs, quæ conferunt, inquit, ad motum, in communibus corporis, et animæ operibus cōſiderandū, id eſt, in hiſtoria animalium. Animal enim commune eſt ex corpore, & anima. Motus autem ſecundum locum, nec ſolius animæ fuerit: eſt enim ipſa immobilis: nec ſolius corporis: nunc autem de ſola anima eſt hic tractatus. Sciēdū autem, quòd ſpiritus appetitiuus, qui mouet, eſt in neruis. Quamobrem oportet, ſicut in circulo, manere aliquid, & hinc motum incipere. Deinde dicit, ſi motus fit truſione, & tractione: neceſſe eſt hoc quidem manere, illud uerò moueri. Sicut & in circulo circa centrum, quod manet, fit motus. Et notandū, quòd latenter confirmat, quòd circa quid, quod manet, fit omnino motus animalium, quæ poſſunt ambulare. In piſcibus enim, & reptilibus, & huiuſmodi, non habet proportionem motus cum motu circulari: in ijs enim non fit motus circa aliquid, quod manet.*

Appetitiuum autem non ſine imaginatiōe.
Imaginatio autē omnis vel ratiocinatiua, vel
ſenſitiua. Huius ergo alia quoq; animalia par
tem habent. Conſiderandum autem & de im-
perfectis, quid eſt, quod mouet, quib⁹ tactus
ſolum ſenſus eſt, vtrū ijs contingit ineſſe ima-
ginationem, an non, & cupiditatem. videtur
enim & triſtitia, & voluptas ineſſe. Si hæc au
tem: & cupiditatē neceſſe eſt. Imaginatio au-
tem quomodo inſit, an ſicut mouetur indefi-
nitè: & hæc quidem inſunt: indefinitè autem
inſunt. [Senſitiua ergo imaginatio, vt dictum 57
eſt, etiam in alijs ineſt animalibus: conſultato-
ria autē in ratiocinatiuis. Vtrū enim hoc, an
illud faciet, iam eſt ratiocinationis opus, &
neceſſe eſt ſemper vno metiri: mai⁹ enim per-
ſequitur. Poteſt itaq; vnum ex pluribus viſis
facere, & hæc cauſa eſt, quòd opinionem nō
videtur habere, quia eā, quæ eſt ex ratiocina-
tione, non habet: ipſa autem illam. Quare cō-
ſultatorium non habet appetitus. vincit autē
nonnunquā, & mouet volūtatē. Quādo autē
ille hāc, ſicut ſphæram, appetitus appetitum.

*Rectè hoc dixit: neceſſe eſt enim id, quod appetit, imaginatione conceptum appetendū appetere. Hoc autē rectè dictum eſt in ijs, quæ ſecundum imaginationē appetunt: eſt enim commune uocabulum appetitus. Appetitus enim eſt & ſine ſenſu, qui eſt in plantis, & in inanimatis, quemadmodum habet lapis appetitum, per quem appetit inferiorē locum: & ignis habet appetitum, per quem locū ſuperiorē appetit. Eſt rurſus appetitus & cum imaginatione: eſt rurſus alius appetitus, qui eſt cū actiuo intellectu: qui etiam differt ab eo appetitu, qui eſt cum imaginatione. Vbi enim eſt appetitus cū intelligentia, illic eſt, & qui eſt cū imaginatione: ſicut in hominibus uterq; eſt appetitus, & qui eſt cū intelligentia, & qui eſt cum imaginatione. Alia autem animalia eum, qui eſt cum imaginatione, & ſolum habent: ſi habent utiq; imaginationem. Poteſt autem & alia dari differentia, quòd appetitus quidem, qui eſt cum actiuo intellectu, poteſt conſultare: conſultare autem eſt præeligere. Præeligere autem, hoc ante illud eligere: ut utrum oportet ire obuiā amico, an nō: & eligit quòd oportet: & nunquid eodē in loco manenti, uel peregre proficiſcenti: & eligit, quòd peregre ꝓficiſcēti: & an per mare uel terrā: & eligit per terrā: & per terrā quomodo, an peditem, uel aliquo alio modo. Deinde ex his omnibis colligit unum quidpiā, quòd oportet uidere amicū peregre proficiſcentē, per terrā, peditem. Hac ergo ratione differt appetitus, qui eſt cū actiuo intellectu, ab eo, qui eſt cū imaginatione. Et notandū, quòd actiuū intellectum, & eā, quæ eſt*

propriè

*propriè,imaginationem,hæc duo cõmuniter imaginationes appellat.Huius ergo,inquit,imaginationis alia quoque animalia partē habent.Illa coniunctio,quoq;, propter homines adiecta eſt.Quam autē dicit imaginationē? eā,quæ cū ſenſu coniugata eſt.Indefinitè autē ineſt.In plantanimis,inquit, indefinitè ineſt imaginatio,ut declarat indefinitus eorū motus.Indefinitū autē appellat plantanimorū motū,quòd nō æqualiter contrahātur, & extendantur:ſed aliquando quidē magis,aliquando uerò minus.Vel indefinitè dicit,pro eo quod eſt,exiliter & errabūdè. Et neceſſe uno metiri:maius enim perſequitur. Sicut enim fabri lignarij eadē menſura cubitali & maiora, & minora ligna metiuntur:ſic & appetitiuū,inquit,quod eſt in hominibus,eodem bono contrarios appetitus metitur,& maius bonū eligit, & ad illud mouetur.Poteſt itaq; unum ex pluribus uiſis facere, hoc eſt,unū cõmune uiſum ex pluribus uiſis particularibus, ut paulò ſuperius dictū eſt,Quòd oportet amicū uidere peregre proficiſcentē,per terrā,peditē.Conſultatoria ergo imaginatio hoc modo unū facit cõmune uiſum:ſed non ita irrationalis: & ipſe cauſam ſubiungit dicens, quòd opinionē non habent irrationalia.Opinionē autē non habent: quia non ratiocinātur: in opinionē enim terminatur cogitatio.cogitatio autē, per ſyllogiſmum,& ratiocinationē,quid eſt agendū inuenit. Cùm ſint quatuor:imaginatio:conſultatoriū:opinio:ratiocinatiuū: conſultatoriū idē eſſe in nobis exiſtimant,quod ratiocinatiuū. Hoc autem eſt abſurdū.Si enim non idē eſt imaginatio,& opinio in nobis:nec,quæ ea ſequuntur,ſunt inter ſe eadē,conſultatorium, & ratio. Eam enim,quæ eſt in nobis,imaginationem ſequitur conſultatorium:opinionem autem rationale.*

Quando fit intēperantia. natura autē ſemper,qui ſupra eſt,eſt princeps,& imperat, & mouet,vt iam tribus motibus moueatur.

*Intēperantia græcè eſt ἀκρασία. Eſt autē aliud ἀκρασία, & aliud ἀκράτεια. Ἀκρασία enim eſt pugna affectuū & rationis,quando nihil adhuc uicit, ſed eſt adhuc anceps pugna. Ἀκρατεία autē eſt,quando affectus rationem ſuperauerint.*

58 Scientia autē præditum non mouetur, ſed manet.

*Sciētia præditū appellat cõtēplatiuū intellectū.Ei aūt cõgenitus eſt ſtatus,ut ſæpe dictū eſt.ſtātes enim magis intelligimus*

Quoniā autē hæc quidē eſt eius, quod eſt vniuerſale,exiſtimatio,& ratio:illa verò eius, quod eſt ſingulare.Illa enim dicit,quòd oportet talē tale facere. Hæc verò quòd hoc tale. Ego autem talis. Iam hæc mouet opinio, nõ vniuerſalis:vel potius ambæ.ſed illa quidem quieſcens magis:hæc verò non.

*Hic ſyllogiſmū apponit,& quærit,quænam eius eſt propoſitio,quæ mouet.Nam cùm ſint,inquit,duæ exiſtimationes,id eſt propoſitiones:hæc quidē uniuerſalis:illa uerò particularis:ſiue illa quidē minor,quam dixit particularē:hæc uerò maior,quam dixit uniuerſalē:quærendū eſt,quænā mouet. Talē autē ſyllogiſmum innuere uidetur:Ego hoſtē terrui.Quicunq; hoſtem terret,eſt uir fortis.Ergo ego uir fortis.Ego ſum uir fortis. Omnē uirū fortem coronari oportet. Et me ergo oportet coronari. In his maior quidem eſt propoſitio,quæ dicit:Omnē uirū fortē coronari oportet.Minor autem,quæ dicit. Ego ſum uir fortis. Nunc enim ut de ſecundo ſyllogiſmo uerba facimus.Per hæc enim primus ſumptus eſt.In his ergo propoſitionibus minor eſt, quæ magis mouet,ut iam diximus.Maior autem, ſi eſt maximè uniuerſalis,eſt omnino immobilis:minore autem minus mouet, quatenus ea minus eſt uniuerſalis,minor.Oportet ergo motum magis dare minori. Duos autem ſyllogiſmos ſignificat tacitè per duas propoſitiones. Vnam enim communem accipit primi quidem concluſionē,ſecūdi autem propoſitionē. ſic enim dicit. Illa quidem dicit,quòd oportet talem tale facere. Hæc eſt prima propoſitio primi ſyllogiſmi,quæ dicit: Terruiſſe hoſtem eſt ſe fortiter geſsiſſe.Ego autem talis.Hæc eſt cõmunis propoſito,quæ eſt primi ſyllogiſmi concluſio:ſecundi autem propoſitio,quæ dicit:Et ego ſum uir fortis. Et uide quòd nec ordine propoſitionū,ut nos,uſus eſt:nec ſic dixit terminos,ſed noſtrorum terminorum ſignificationi ſimiles.Iam hæc mouet opinio, nõ uniuerſalis.Dubitat,nunquid opinio minoris mouet, & nõ uniuerſalis propoſitio.Deinde ſoluens dicit,quòd ambæ. Alioqui,inquit,harum propoſitionum magis quieſcit uniuerſalis,ut diximus.Et in his eſt praxis octauadecima.*

SVMMA. III.

Cap. 1

Nutritiuam ergo animā neceſſe eſt habere 59
quicquid viuit,& habet animā,à generatione vſq; ad corruptionē. Neceſſe eſt enim,quod gignitur,habere auctionē,& ſummū incremētū,& diminutionē.Hæc autē haberi ſine nutrimento nõ poſſunt.Neceſſe eſt ergo vnum eſſe nutritiuā facultatē in omnibus, quæ natura producūtur,& corrūpuntur:
60 ſenſum autē non neceſſe eſt in omnibus viuentibus: neq; enim quorūlibet ſimplex corpus tactum contingit habere:nec ſine eo fieri poteſt,vt ſit vllum animal.

*Quoniam animatorū alia quidem ſunt immobilia,ut plātæ, alia autem mouentur,ut animalia:& eorū quæ mouentur, alia quidē ſeipſa in uniuerſum mouent,ut ambulatoria: alia autē ex parte:& eorū alia quidem ſunt ſublunaria,ut plantanima:alia uerò ſuperlunaria,ut cœleſtia:propterea ergo Philoſophus in præſentia in hac præſenti contemplatione diſcernit ambulatoria ab omnino immobilibus:& ab iys quidem,quæ mouentur,ex parte autem motum peragunt,eſſe neceſſariò triplicem ambulatorij diſtinctionem: dico autē ad plantas:& plantanima: & cœleſtia.Incipit autē tradere plantarū,& ambulatoriorū differentiā. Etſi enim utraq;,inquit,habeant nutritiuā animā:ſed tamen plantæ,inquit,non habent ſenſitiuam. Habent autem ambulatoria animalia ſenſitiuam. Et horū utrunq; duobus argumentis oſtendit. Et primum,quòd plantæ non habent ſenſitiuam,iuſta & probabili de cauſa:& ex rationibus, hæc quidem procedit à corpore plātarū:illa uerò ab anima. Et hæc eſt,quæ à corpore.Plantæ,inquit,ſimplex quid eſſe uidentur. etſi enim ex quatuor elementis conſtent:tantum tamen in eis dominatur terreſtre,ut ex eo ſolo eſſe uideantur.Eſt autē terreſtre inſenſile:ut teſtificantur,quæ ſunt in nobis,terreſtreis partes nõ ſentientes:oſſa,inquam,pili: & ungues. Quomodo enim ſenſum habeant,quæ ex terreſtri conſtant, & ei adhærent? ſiquidem eiuſmodi nec tactū habere poſſunt.Ipſe enim plures oppoſitiones apprehendens,ex pluribus,et fortaſſe æquiualentibus, uult cõponi.Hoc eſt primū argumentū,quod ex plantarum corpore deſumptū eſt.Quod autē ab anima,quodāmodo ſic habet. Nõ habent,inquit,ſenſum plantæ:ſenſiles enim ſic formas ſine materia apprehenderent:iam uerò non apprehendunt. Fruſtra enim apprehendent,cùm nec poſſint ad iucunda accedere, quòd affixæ radicibus hæreant,& ſint immobiles:nec moleſta declinare.Quòd autē ambulatoria iure & neceſſariò ſenſum habēt, duabus rationibus demonſtrari poteſt. Quarū prima eſt eiuſmodi.Si non habent, inquit,ſenſum ambulatoria: temere,& in ſuū exitiū mouebūtur: partim quidē quòd ignorent,ubi eſt finis motus:partim uerò quòd per prærupta in præcipitium ruant:*

*quia ſenſu non diſcernit. Natura autem nihil ad incommodum, & perniciem animalium facit: ſed omnia omnino alicuius gratia facit: uel facit euenta eorũ, quæ ſunt alicuius gratia. Vtrũq; autem horum ex pilis adſtrui & confirmari poteſt. Qui enim ſunt in capite, & ſupercilijs, & mento pili, alicuius gratia facti ſunt. Alij enim ſunt tegumenti gratia, ut, qui ſunt in capite: alij cuſtodiæ, ut qui ſunt in ſupercilijs: alij propter ornatum, ut, qui ſunt in mento, & genis. Qui autem ſunt ſub alis, & in capite in ſenectute cani, alicuius quidem gratia non ſunt: ſed ſunt euenta eorum, quæ ſunt alicuius gratia. Illi enim propter abundantem in alis caliditatem, & humiditatem. Hi uerò propter tunc abundantem in corpore pituitam. Secundum argumentum eſt huiuſmodi. Senſum neceſſe eſt habeant ambulatoria. Cùm enim inter multa nutrimenta uerſentur, eo quòd moueantur, cognitiua facultate opus habent, quæ poßit proprium nutrimentum ab alieno diſcernere. Plantæ uerò ea non indigent: tũ propterea quòd non mouentur, tũ quòd iuxta ſe ſitum habeant alimentum, hoc eſt terrã. Sic poſtquam diſtinxit ambulatoria à plantis: diſcernit ipſa etiam à plantanimis. Plantanima, inquit, non habent perfectiores ſenſus: uiſum: & auditum: & odoratum. Ambulatoria autem hos etiam nacta ſunt. Et talpa habet uiſum: etianſi ſubtili tunica tegitur: propterea quòd terram frequenter ſubeat. Vermes enim, etianſi uiſum non habẽt, dum mouentur, ſed tamen natura per mollitiem eius uſum ſuppleuit. Poſtquam à plantanimis quoq; ſic ambulatoria diſcreuit: tranſit etiam ad tradendam cœleſtium differentiam: & ea dicit ab ambulatorijs differre: quòd ambulatoria quidem habeant & naturalem, & ſenſitiuam animã: cœleſtia autem ſolã rationalẽ. Hæc cùm de cœleſtibus dixiſſet, infert dicens: Cur enim habebunt irrationalem? Hoc autem exiguũ dictum aliter quidem Alexander: aliter uerò Plutarchus expoſuit. Alexãder enim dicit, Cur enim habebunt cœleſtia ſenſum? Neq; enim eorũ corpori ſenſum habere melius eſt, neq; animæ. Corpori quidem, eo quòd affectionibus quidem, & paßionibus obnoxijs corporibus conferat ſenſus, ab ijs, quæ corrumpere poßint, illa defendens: Cœleſtibus autem, quæ ab omni affectione, & paßione remota ſunt, nihil confert: nam quæ ſentiunt, patientia ſentiunt: Hæc autem ſunt ab affectione & paßione aliena, & immortalia. Sed nec eorum animæ conferent. Quæ enim ſenſum habent, eam ad uniuerſalium reminiſcentiam habent, ut ex ijs, quæ per ſenſus in ſingulis inueniunt, ad uniuerſales, quæ inſunt, rationes erigantur. Cœleſtia autem ſenſu non egent. Semper enim intellectiuè operantur, & nunquam ab uniuerſalibus recedũt. Senſus autem eſt particularium apprehenſiuus: & circa ea agitatus, & inuolutus, non ſinit intellectum immorari in uniuerſalibus: ſed nugaci uicino ſimilis eſt, qui multum loquitur, & legẽtem interturbat. Sic ergo Alexander: & ſecũdum eum non habet hoc dictum negationem, non, ſed ſic eſt: Cur enim habebit? & legit ipſum interrogatiuè. Plutarchus autem iter contrariũ ingrediens, addit negationẽ, nõ, & dicit: Cur enim nõ habebũt ſenſum cœleſtia? neq; enim corpori melius eſt non ſic habere. Melius eſt enim eſſe ſenſitiuũ, quàm nullo ſenſu præditum: eo quòd id, qđ ſentit, eo qđ nõ ſentit, eſt pretioſius. Si autẽ dixeris, ergo patiũtur, ſi ſentiũt, & nõ utiq; ſunt ab omni affectione aliena, & immortalia. Dico, quòd non. In ijs enim, quæ ſunt ſub luna, uerum eſt, quod dicitur, patientia ſentire: illa autem nihil patientia ſentiunt. Quare eorum corpori confert ſenſus. Sed & eorum animæ confert. Neq; enim eſt illi impedimento ad uniuerſalium cognitionem: eo quòd per ſenſus quidem particularia cognoſcimus. A particularibus autem ad uniuerſalia erigimur. & quòd ſi utiq; in nobis ratiocinatio à ſenſu, tanquã à nugaci uicino, excutitur, & interturbatur, apud quos uitij quoq; equus eſt: in cœleſtibus certè interturbari nequeat, apud quæ uitij equus nõ eſt. (Deorum enim equi, ſicut dicit in Phædro Socrates, & boni, & ex bonis) manifeſtante ratione concordiam animarum, quæ ſunt in cœleſtibus. Simul enim operatur, & cùm ſurſum erigitur, & cùm deorſum deprimitur: & non impedit illic ſenſus. Quare confert animæ ad cognitionem particularium, & uniuerſalium ſenſus. Deinde Plutarchus nõ legit contextum ut Alexander, ſed ſic. Cur enim cœleſtia non habebunt ſenſum? An enim eorum animæ melius eſt ſenſum nõ habere? Et hæc quidem de contextu, & quæ in ipſo eſt interpretum diſſenſione. Licet autem ex ijs, quæ dicit Ariſtoteles, oſtendere cœleſtia ſenſu carere. Eſt autem & omnium argumentorum ex ijs, quæ dicunt Platonici, confutationem afferre. Age ergo, ſi uidetur, hoc agamus. Quòd ergo rationalem habent animam cœleſtia, ex eorum motu omnibus manifeſtũ eſt. Circularis enim in eodem motus non ab alio fiat, quàm à ratione: ſed de ſenſitiua diſſenſerunt. Ariſtotelici enim dicunt non eſſe in ijs ſenſum, ſiquidẽ ea ſunt ab affectione & paßione aliena: patitur autem ſenſus ſubiectum. Sed dicent Platonici. O Ariſtoteles, in nobis patiente ſubiecto, indicat affectionem & paßionem facultas: in cœleſtibus autem ſolum eſt formarum iudicium ſine paßione. Quomodo enim non fuerit abſurdum, aërẽ quidem, & aquam ſine paßione ſenſilium formas ſubminiſtrare, & ſuſcipere: cœleſtia autem non poſſe ſine paßione ſenſilia apprehendere? Sed ſi habent, inquiunt, Ariſtotelici ſenſum cœleſtia: & tactum quoq; omnino habebunt. Præcedit enim ipſe omnes ſenſus, ut quod eſt deterius. Vbi autem melius, illic & deterius. Quomodo autem tactum habeant? ſiquidem tactus quidem pluribus elementis indiget ad generationem, ut qui plura comprehendat: ex ſola autem quinta ſubſtantia ſunt cœleſtia. Si autem eſſent ex elementis cœleſtia: eſſent & corruptilia. Ad quod dicunt Platonici: quòd nõ neceſſe eſt, ut tactũ habeant cœleſtia. Apud nos enim fortaſſe deteriora melioribus priora ſunt, & ſimul ſunt. In illis autem etiam ipſe Ariſtoteles rationem reprobauit. Ait enim ea habere rationalem, cùm irrationalem non habeant. Quantum itaq; ad rationem attinet, etiã in luminoſo corpore omnino erit & irrationalis, & uegetatiua: ſiquidẽ ubi meliora, illic & deteriora: quod eſt abſurdũ. Non eſt ergo omnino in omnibus, ubi melius, illic & deterius. Rurſus dicũt Ariſtotelici. Si ſenſum habẽt cœleſtia: omnino habebunt & inſtrumenta. Omnis enim ſenſus operatur per inſtrumenta. Sunt autẽ ſimilariũ partiũ cœleſtia. Ad quod dicunt Platonici, quòd nõ omnino per inſtrumenta fit ſenſiliũ apprehenſio: quandoquidem etiam in nobis communis ſenſus in uno ſpiritu exiſtens, quinq; ſenſuum ſenſilia nouit. Porrò & irrationalis per unum ſpiritum omnia ſenſilia comprehendit. Quamobrem & ipſe dicis, Propriè ſenſus unus eſt, & ſenſorium propriè unum. Sed rurſus dicunt Ariſtotelici, quòd exiſtentibus quidem uitalibus, non neceſſe eſt eſſe cognitiuas facultates: ut declarant plantæ, quæ uitam habent, non cognitionem: ſed exiſtentibus cognitiuis, omnino ſunt & uitales. Si ergo habent cœleſtia cognitiuam facultatem, irrationalẽ, ſcilicet, & eius animalem habebunt facultatem: iram dico, & cupiditatem. Abſurdum autem cœleſtia dicere uel cupere, uel iraſci: quia & corrumperentur. Ad quod dicunt Platonici, quòd habent cupiditatem cœleſtia. Cupiunt enim imitationem intellectus, ſiquidem hic ubique eſt: illa uerò ubique fiunt, & ſi non ſimul, ſed particulatim. Iram autem non habent. Neque enim neceſſe eſt. Ecce enim etiam plantanima cupiditatem habentia, nam & moleſtia, & uoluptate afficiuntur, non iraſcuntur: neque enim ſe ulciſci & defendere cernuntur. Porrò & per quintum argumẽtum Ariſtotelici adſtruũt, quòd ſenſum non habent cœleſtia. Si enim omnis ſenſus circa exteriora uerſatur: cœleſtium autem nihil eſt exterius.*

Non

*Non ergo ſentiūt. Ad quod dici poteſt, quòd etiā in cœleſtibus eſt exterius. eſt enim extra circūferentiam centrū. Quare ſentiunt. Platonici autē ſic probant, quòd ſentiūt. Si ſentire, etiā cognoſcere: cœleſtia quoq;, ut meliora, ſentiūt. Hæc cùm dixiſſet, accedit & ad diſcernenda ambulatoria à plantanimis. Sed in his cōtemplatio, deo eſt gratia, finitur. Nutritiuā autem habeat neceſſe eſt quicquid uiuit, & habet animā. Dicit differētiā animalis, & plantæ: quòd, etiamſi ambo nutritiuā habeant, tamen ambo ſenſitiuam. Nutritiuā enim habeat omne animal neceſſe eſt. Si enim nō nutritur à principio generationis uſq; ad corruptionem: celerius corrumpitur, & ad ſummū incrementum nō peruenit: nō neceſſe eſt autem, ut omnia, quæ uiuunt, ſenſum habeant. Quæ enim ſimplex corpus habent, ut plantæ, nō neceſſe eſt ut ſenſum habeant. Simplex autem corpus plantæ dicuntur habere, quia ex ſolo terreſtri formā, & characterem ſuſcipiūt. Sed fieri non poteſt, ut ſine ſenſu ſit animal. Senſum autē non neceſſarium in omnibus animalibus. Duplex eſt huius ſententiæ lectio. Quidā enim libri habēt ἐν ἅπασι τοῖς ζώοις, id eſt, in omnibus animalibus. Alij uerò ἐν ἅπασι τοῖς ζῶσιν, id eſt, omnibus uiuētibus. Sed ſi ſit quidē τοῖς ζώοις hoc eſt animalibus, eſt pro eo, quod eſt ζῶσιν, id eſt uiuentibus, ut plantas etiam comprehendat. Quid enim dicit? Quòd non neceſſe eſt quicquid uitam habet ſenſum quoq; habere. Si autem ſcriptū eſt ἐν ἅπασι τοῖς ζῶσιν, id eſt, in omnibus uiuentibus, rectè habet. Sic enim magis cōfirmatur ſenſus. Neq; enim quorū ſimplex corpus eſt, ea ſenſum contingit habere. Hæc eſt, quæ ſit à corpore, confirmatio, oſtendens non eſſe in plantis tactum.*

Neq; verò quæ non ſunt formarū ſuſceptiua, ſine materia. Animal autē ſenſum habeat neceſſe eſt, ſi nihil fruſtra facit natura. Alicuius enim gratia ſunt omnia, quæ ſunt natura: vel erunt euenta eorū, quæ ſunt alicuius gratia. Si enim omne corpus ambulatorium non haberet ſenſum, corrūperetur, & non ad finē perueniret, quod eſt opus naturæ. Quomodo enim nutriuntur? ijs enim, quæ perpetuò manent, id adeſt, eo in loco vnde natura producta ſunt.

*De plantis dicit. eæ enim formā nō ſuſcipiūt ſine materia, ut ſenſus: ſed cū materia. Quæcunq; ergo, inquit, formā per ſe non ſuſcipiūt, ut plantæ, nō habēt ſenſum. Animalia autē habent ſenſum. Fruſtra enim in eis eſſet motus. Si enim non ſentirent, ad ſuam perniciem mouerētur, & in foſſas inciderent. nihil autem fruſtra, uel ad malū, & incōmodū facit natura. Sed uel alicuius gratia, uel euenta erunt eorum, quæ ſunt alicuius gratia: dictum eſt autem quænam ea ſint. Dubitant autem dicentes nō ſolas eſſe plantas, quæ formas ſine materia ſuſcipiunt, ſed & quoſdam ſenſus. Viſus enim, & auditus re uera formas ſolū apprehendit: ille quidem colores: hic uerò ſonos: & non ſit nec uiſus color, ut potè albus, uel niger: nec auditus ſonus, ut acutus, & grauis. Sed tactus quidē certè nō ſolum formam apprehendit, ſed etiam materiam: frigidum enim nō apprehendit, niſi frigidū fiat corpus. Similiter & in calido, & huiuſmodi. Dicimus autem ad hoc, q. formam quidem anima apprehendit: materia autem agit in corpus. Quare omnes ſenſus formam ſolam apprehendunt: ſed nequaquam materiā. Plantæ autem non ſolum formā non apprehendunt: ſed & ab ipſa materia arripiuntur, & ab ea patiūtur, & in eā uiciſſim agunt. Nunquid autē etiam in his dici poteſt, quòd, ſicut in animalibus anima formā apprehendit, ſic & in plantis. Tactiua quidem facultas terræ formā apprehendit: corpus autem plantarum à tangibilibus patitur: ut colligatur etiam plantas habere ſenſitiuam facultatem. Sed quando hoc etiā dederimus, alia argumenta hoc ſubuertūt. Corrumperetur & ad ſummum incrementum non perueniret, quod eſt opus naturæ. Quomodo enim nutrientur, ſi nō habeāt ſenſum, inquit, animalia? Non peruenit ad finē, hoc eſt ad ſummū incrementum, ſed corrūpitur. Si enim per tactū cognoſcit ipſum nutrimētum, & ipſum eligit, auerſatur autem, quod moleſtia afficit: ſi non habeant ſenſum, non nutriuntur, & corrumpentur animalia, ut quæ non nutriantur. Plantæ autem, ut quæ perpetuò maneant, ſenſu non egent. Habent enim propè ſitum nutrimentum in terra, in quo eſt et planta: quod dixit, Vnde natura productæ ſunt. Plantarum ergo definitum eſt nutrimentū, & propterea plantæ ſenſu non egent. Animalium autem eſt indifferens, & indefinitum. Non ſemper enim eadem adhibet nutrimenta, & opus habent ſenſu, qui diſcernat propria ab alienis.*

Fieri autē non poteſt, vt corpus quidē habeat animā, & intellectū iudicatiuum, ſenſum autem nō habeat, ſi nō perpetuò manens quidem, generabile autem ſit. Atqui nec ingenerabile quidem. Cur enim non habebit? An enim animæ melius, vel corpori? Nūc autē neutrum. Illa enim non magis intelliget. Hoc verò nihilo magis erit propter illud. Nullū ergo corpus, quod nō perpetuò manet, habet animam ſine ſenſu.

*Iure, inquit, habent animalia ſenſum, quia fieri non poteſt, ut, quæ habent animam, & ſunt generabilia, & non perpetuò manentia, ſenſum non habeant. Perpetuò autem manentia dixit propter plantas. Hæc enim & animam habent, & ſunt generabilia: ſed quia perpetuò manent, propterea ſenſum non habent. Dixit autem intellectum iudicatiuum, & non ſimpliciter intellectum: ne uideatur diſcernere animalia à plantis: ſed rationalia animalia à plantis. In his enim magis eſt neceſſarius ſenſus, ſiquidem ea quoque magis diſcernunt. Atqui nec ingenerabilia quidem, inquit, habent ſenſum, ut cœleſtia. Hoc enim etiam opinatur Ariſtoteles. Neq; enim animæ eorum, nec corpori confert habere ſenſum: & dictū eſt, quomodo, in contemplatione: & quòd aliter quidē Alexander, aliter uerò Plutarchus hanc ſententiā accepit. Exiſtimat ergo Ariſtoteles cœleſtia & uiuere, & eſſe ambulatoria: ea enim dicit ſemper mobilia, ſed tamen nō habere ſenſum, quia ſunt ingenerabilia ſecūdum tēpus. Nullum ergo corpus, quod eſt nō perpetuò manens, habet animā ſine ſenſu. Hoc dictum magis oſtendit Ariſtotelem eſſe in ſententia Plutarchi. Hoc enim dicit, nullum eſſe corpus habens animā præter plantas, quod non habeat ſenſus: niſi quis dicat, quòd hæc eſt concluſio ſuperiorū, & non ad proximum refertur. Si quis enim hoc dicat, nihil habet Plutarchus ex præſenti dicto: & in his finitur actio.*

Atqui, ſi quidē ſenſum habeat, neceſſe eſt eſt corpus eſſe ſimplex, vel mixtum. Simplex autem nō poteſt. Tactum enim non habebit. Eum autē habeat neceſſe eſt. Hoc autē ex his manifeſtum eſt. Quia enim animal eſt corpus animatū: omne autem corpus tangibile: tangibile autem tactu ſenſile: neceſſe eſt & animalis corpus eſſe tactiuū, ſi ſit ſeruādum animal. Alij enim ſenſus per alia ſentiūt, vt odoratus, viſus, auditus. Quod tangit autem, ſi ſenſum non habent, non poterit hæc quidem fugere, illa verò capere. Si autem hoc eſt: fieri non poteſt, vt ſeruetur animal.

Poſtquam diſcreuit Ariſtoteles animalia à plãtis & cœleſtibus: nũc diſcernit ambulatoria animalia à plãtanimis. Volens autem eorum urgentem differentiam oſtendere, dicit primũ in quibus conueniunt: & appellat & ambulatoria animalia, & plantanima, communiter animalia: quia animalis definitionem utraq; ſuſcipiũt. Sunt enim ſubſtantia animata ſenſitiua utraq;. Eſt ergo cõmune in omnibus animalibus, quòd mixta ſint, & nõ ſimplicia: cõmune autem ipſis, & quòd tactum habeant. Nã & plantanima, & ambulatoria mixta ſunt, & tactũ habẽt. Hæc autem cõmunio nec plantis inerat, nec cœleſtibus. Neq; enim plantæ ſunt compoſitæ, ſed ueluti ſimplices: à ſolo enim terreſtri fōrmam, & characterem ſuſcipiunt. Sed neq; tactum habent plantæ. Rurſus cœleſtia mixta non ſunt. Secũdum Ariſtotelem enim non ſunt ex elementis, ſed ex quinta ſubſtantia. Simplicia ergo. Sed neq; tactum habent cœleſtia ſecundum Ariſtotelem. Hæc ſunt, in quibus animalia inter ſe conueniunt. Deinde poſtquam hæc oſtendit, monſtrat quòd animalia uerè & mixta ſunt, & tactum habent. Hoc autem & ante traditam differentiam oſtendit, & poſt traditam, nõ iiſdem argumẽtis. Nos autem primum differentiam dicimus, & ſic deinde connectimus, quæ deducunt, argumẽta, quòd mixta ſunt animalia, & tactũ habẽt. Et quænã eſt differentia? Plantanima ergo uel ſolum tactum habent, ut in ſpongiis: uel tactum, & guſtum quendam, quæcunq; habent proportionẽ cum uentre, & ore, ut teſtacea. Ambulatoria autẽ habent omnes ſenſus: aut ea, quæ cũ ſenſu proportionem habeant. Vermis enim, eo quòd uiſum non habet, eſt molli carne. Ambulatoria enim uolũt habere & uiſum, & auditum, ut &, quæ ſunt procul, mala declinent: & ideo dictum eſt.

Aſt aures ſonitus pernicum pulſat equorum. &

Ad me uox circùm patientis uenit Vlyßis.

In hoc ergo differunt ambulatoria à plãtanimis. Et hæc eſt quidem differẽtia. In his ergo dicimus, quæ ſunt ante differentiam, argumẽta: ex quibus eſt oſtendere, quòd & mixta ſunt animalia, & tactũ habẽt. & primũ oſtendemus, quòd mixta ſunt, ſic. Oportet ergo ſcire, omne animal ſenſitiuũ habere tactũ. Neq; enim poſſunt, quæ tactũ nõ habẽt, aliũ habere ſenſum. Oportet enim ſubſtratũ eſſe deteriorẽ. Quidquid autẽ tactũ habet, mixtum eſt. Et omne ergo animal mixtum eſt. Quòd autem quicquid habet tactũ, mixtũ eſt, clarũ eſt. Ex quibus enim cõpoſitus eſt tactus, ea etiam apprehẽdit. Si autem apprehendit calidum: & frigidũ: & humidũ, & ſiccum: & nõ ſolum unũ elementũ: clarũ eſt, quòd ex his conſtituitur, & erit mixtũ. Quoniam ergo ex hoc argumẽto oſtenſum eſt, & mixtũ eſſe animal, & habere tactũ: obiter autem oſtendimus, etiam habere tactum: age oſtendamus primò, quòd tactum habet animal. Scire ergo oportet, quòd ex tangibilibus propriè nutrimur. Succi enim inſtar condimentorũ obtinent in nutriendo. Alia autem, ne per accidens quidẽ, nutriunt, utpote odorabilia, uel audibilia, uel uiſibilia. Si ergo ex tangibilibus nutrimur: neceſſe eſt autẽ apprehendere illa, ex quibus nutrimur: Tactu ergo eſt ea apprehendere: & eſt in nobis ex neceßitate tactus, ut ea apprehendamus. Ipſe enim ſolus citra medium apprehendit: reliqui autem per medium. Eſt ergo in animalibus tactus. Hæc ante traditam differentiam oſtendunt, eſſe tactum in nobis, & mixta eſſe animalia. Poſt traditam autem differentiam rurſus oſtendit mixta eſſe animalia. Ait enim, quòd, ſi oſtenſum eſt omne animal eſſe ſenſitiuum, neceſſe eſt ut habeat ſenſorium, per quod ſentit. Senſorium autem mixtum eſſe neceſſe eſt. Neq; enim poteſt ex ſolo igne eſſe. Ignis enim magis corrumpit, quàm partem conſtituit. Sed neque ex aëre, uel aqua eſſe poteſt: iis enim aliæ ſunt creditæ facultates: perſpicua: perſonatrix: & odorum tranſuectrix. Neq; uerò ex ſola terra eſſe poteſt. Sunt enim inſenſiles, quæ ſunt in nobis, terrenæ partes, ut pili, ungues, oſſa: & non ſolum oppoſitionem terræ apprehendimus, ut ſicci, & humidi: ſed & calidi et frigidi. Oportet ergo eſſe ex omnibus ſenſitiuũ, ut, cùm ſit mediũ, omnia apprehendat. Eſt ergo mixtum. Quòd autem tactum quoq; habet animal, quinq; argumẽtis oſtendit. quorum hoc eſt primũ. Neceſſarius eſt animali tactus. Si enim, qui ſunt uiſu priuati, uiuũt: præterea autem & ſurdi uiuũt: &, qui ſunt olfactu priuati, ut ſi quis habeat in nare polypũ. Accedit his, quòd, & quibus lingua eſt amputata, uiuunt. is autẽ, qui tactum amiſit, ut paralyticus, non poteſt uiuere. Eſt ergo omnibus magis neceſſarius tactus in nobis. Secundum argumentũ. Si animalis definitiuus terminus eſt ſenſitiuum: & ad animal conuertitur. Senſitiuum autem ſecundũ tactum dicimus. Eſt ergo in nobis tactus. Tertium argumẽtũ. Tantò eſt cæteris ſenſibus magis neceſſarius tactus, quòd alij quidẽ ſenſus ſunt in una parte: tactus autem in toto eſt corpore. Quartum argumentũ. Adeò eſt neceſſarium tactum, quòd eius quidem ſubiecta, ut tangibilia, totum corpus corrumpunt, ſi modum exceſſerint: & iure, quia eſt in toto corpore tactus: Reliquorum autem ſenſilium exceſſus illud ſolum ſenſorium corrumpunt, cuius eſt ſenſile. Si enim dicas, quòd etiam guſtabilia totum corpus corrumpunt: dico, quòd etiam guſtus eſt quidam tactus. &, ut tactus, magis corrumpit totum corpus, quàm, ut guſtus. Si quis autem dubitauerit, Quid igitur? Odorabilia non totum corpus corrumpunt, ut peſtilentes ſpiritus? & dicimus, quòd, per accidens, per tactum ij quoq; corrumpunt. Eo enim quòd faciunt putrefactionem, corrumpunt: putrefactio autem tactu agit. Rurſus dicunt, quòd etiam audibile totum corpus corrumpit, ut nimis uehemens ſonus. Sed & hic tactu rurſus agit. Agit enim protruſione. Protruſio autem tactus eſt. Rurſus dicunt, quòd etiam uiſibilia totum corpus corrumpunt. Videntes enim nonnunquam aliquid terribile, timore corrumpimur. Ad quod dici poteſt, quòd timor, eo quòd facit frigiditatem, corrumpit: frigiditas autem eſt tactus. Hoc eſt quartum argumentum. Quintum argumentum. Neceſſarius eſt tactus: quia hic ſolus ad hoc, ut ſint, confert: reliqui uerò ad hoc ut bene ſint. Dicunt autem, quòd etiam irrationalia & uiſum habent, & auditum, & odoratum, & guſtum. Nunquid autem ab illis poſſunt diſcere muſicam, uel Aſtronomiam? Ad quod dicimus, quòd odoratus quidem, & guſtus, quatenus perfectiora faciunt animalia, dicuntur ad hoc, ut bene ſint, conferre. Auditum autem, & uiſus, & guſtus irrationalium confert ad hoc, ut bene ſint. Primam quidem, quoniam fœtus ſuos audientia, & eos uidentia, eorum curam gerunt. Fœtuum autem ſuorum curam gerere, eſt illis bene eſſe. Iam uerò & alioqui audientia animalia manſueſcũt. Auditu ergo eis opus eſt, ut audientia manſueſcant. Manſueſcere autem bene eſſe eſt, quod habent ex auditu, & uiſu. Videntia enim, quæ à nobis in luce fiunt, manſueſcunt. Et hoc ex eo manifeſtum eſt, quòd, quæ in tenebris agunt, feræ, agreſtes ſunt, & feroces. Poſtquam ergo hæc dicta ſunt, in his contemplatio, & præſens de anima tractatus, deo eſt gratia, finitur. Atqui ſi ſenſum habet, neceſſe eſt corpus eſſe uel ſimplex, uel mixtum. Dicit ea, quæ habent animalia, inter ſe communia, non, ut dictum eſt in contemplatione, orationem deducens: ſed idem eſt ſenſus. Per tres autem ſyllogiſmos deducit orationem, quorum hic eſt primus. Si neceſſe eſt ea, quæ ſenſum habent corpora, ut animalia, eſſe uel ſimplicia, uel compoſita: non ſunt autem ſimplicia: Sunt ergo compoſita. Hic eſt primus ſyllogiſmus. & unde clarum eſt ea eſſe compoſita? Hoc ſecundus oſtendit ſyllogiſmus. Si non eſſent enim compoſita: nec tactum haberent. Vbi enim eſt tactus: & compoſitum: ſi quidem, ex quibus eſt, ea etiam tangit. Multa autem tangit. Et unde clarum fiet tactum habere animalia? Hoc per alium ſyllogiſmum oſtendit. Si enim animal eſt

corpus animatũ. Omne autẽ corpus eſt aliquid tangibile. Omne autẽ tangibile tactu apprehenditur. eſt ergo tactus in nobis, qui tangit. Hi ſunt tres ſyllogiſmi. Meritò autem dicit, Eſt tactus, ut per ipſum ſeruetur animal. Si enim ipſum non haberet, in foſſas incideret, & periret. Sed quouſq; eſt unuſquiſque ſyllogiſmus? & dicimus quòd primus quidem eſt hucuſq;, ſic: Atqui ſi ſenſum habet corpus, neceſſe eſt corpus eſſe uel ſimplex, uel mixtum. Deinde eſt ſecundus hic ſyllogiſmus. Fieri autem non poteſt ut ſimplex: tactum enim nõ haberet. Tertius autẽ eſt ſyllogiſmus, qui dicit. Eſt autem neceſſe eum habere. Quòd autem neceſſe, confirmat, & ait: Hoc autem ex hoc apertum. Et deinceps dicit, quæ dicta ſunt. Si omne corpus tangibile: Quicquid autem tangibile, tactu apprehenditur. Tactus ergo ea apprehẽdit. Viſus autem, & auditus, et olfactus per id, quod intercedit. Si autem hoc ita eſt, fieri non poteſt ut ſeruetur animal, niſi tactum habeat. In præcipitum enim incidit, & corrumpitur.

Quapropter guſtus eſt veluti quidam tactus. Eſt enim nutrimenti: nutrimentũ autem
64 corpus tãgibile. Sonus verò, & color, & odor non nutrit, nec facit augmentum, nec diminutionem. Quare & guſtum eſſe tactum quendam neceſſe eſt, eo quòd ſit tangibilis, & nutritiui ſenſus.

Quia ſuperius dixit, quòd ſolus tactus tangẽs ſentit, ne quis dicat, Quid igitur, non guſtus tangens apprehendit? propterea dixit, quòd etiam guſtus, utpote qui ſit tactus, citra intermediũ apprehendit. Quòd autem guſtus eſt quidam tactus, per tres ſyllogiſmos oſtendit: quorum hic eſt primus. Si tactus eſt animali neceſſarius: eſt etiam guſtus. Per eum enim nutrimur. Guſtus ergo tactus eſt. Hunc autem ſyllogiſmũ denotauit dicẽdo: Quapropter & guſtus eſt ueluti quidam tactus, id eſt, propterea quòd eſt neceſſarius, ut tactus. Tanquam enim ad ſuperiora coniunxit. Dicit & ſecundũ ſyllogiſmũ. Si guſtus nutrimẽti eſt tactus. Hoc autem oſtendit & per tertium ſyllogiſmum. Si corpus tangibile eſt nutrimentũ. Succus enim nutrit per accidens. Ipſa autem eſt ſubſtantia, quæ adijcitur ueluti tangibile corpus, quæ nutrit. Sonus autem, uel color, uel odor non nutrit, uel diminuit. Neceſſe eſt ergo & guſtum eſſe tactũ, ſiquidem idem eſt tangibile, & nutriens. Hunc autem ſyllogiſmum innuit dicens, Nutrimentum autem eſt corpus tangibile: & hoc probat dum dicit: Hæc enim ſunt neceſſaria animali: Ex illo enim aliud quid dicit.

Hi ergo ſunt animali neceſſarij: & manifeſtum, quòd fieri nõ poteſt, vt ſine tactu ſit animal. Alij autem &, vt bene ſint: & generi animalium non iam cuilibet, ſed quibuſdam, vt ambulatorio, eos ineſſe neceſſe eſt. Si enim eſt ſeruandum, non ſolũ oportet tangens ſen-
65 tire, ſed & eminus. Hoc autẽ ita erit, ſi per id, quod intercedit, ſenſitiuum fuerit: eo quòd illud quidem à ſenſili patiatur, & moueatur: ipſum autem ab illo.

Poſtquam dixit, quid inter ſe cõmune habeant animalia: & probauit per duo argumẽta, quæ ſunt ante traditam differentiã, quòd & mixta ſunt, & habẽt tactũ: ab hoc loco diſcernit animalia: & dicit, quòd tactus quidẽ, ut neceſſarius, ineſt cuiuis animali: alij autẽ ſenſus non inſunt cuilibet animali, ſed ſolũ ambulatorio, & nõ plãtanimo. Si enim, inquit, ambulatorium etiã, quæ ſunt eminus, mala uult effugere: non ſolum tactu opus habet ut tangat: ſed etiã alijs ſenſibus eget, ut, quæ procul ſunt, apprehendat. Hoc autẽ fuerit per id, quod intercedit. Quærunt, quomodo dicimus quædã apprehẽdere per id, quod intercedit: quædam uerò tangentia? Nam & ea, quæ per id, quod eſt intermediũ, apprehendunt, nõ tangunt aërem, qui intercedit, & cum citra mediũ apprehendũt: Quomodo ergo dicimus, per mediũ? Dic ad hoc, quod ſenſile per intermediũ apprehendit: &, ut ad ſenſile, dictum eſt illud, Per medium: uel id quod intercedit. Id enim, quod intercedit, patitur à ſenſili, & mouetur. Ipſum autem ſenſorium patitur ab eo, quod intercedit.

Sicut enim, quod ſecũdum locum mouet, quouſq; mutat agit: &, quod truſit, alterũ facit, ita vt trudat: & eſt per intermediũ motus: atq; id quidem, quod primum mouet, trudit non truſum: vltimum autem ſolum truditur, cùm non truſerit: Quod autẽ eſt intermediũ, vtrunq;: multa autem intermedia: ſic in alteratione, præterquam, quòd in eodem loco manentia alterant.

Poſtquam dixit, quòd per intermediũ quædam apprehẽduntur, exemplo probat ea, quæ per intermediũ: & dicit, quòd ſicut in ijs, quæ ſecundum locũ mouentur, quædam ſolum quidem mouent: quædam autem & mouent, & mouentur: quædã ſolum mouentur. Quemadmodum, manus quidem mouet uirgam: illa autem mouetur quidẽ à manu: mouet autem lapidem: Lapis autem ſolum mouetur: & eſt primum quidem ſolũ trudens: non enim oportet dicere mouens: mouetur enim & manus. Sicut ergo illic primum quidẽ ſolum trudit: mediũ autem truditur, & trudit: poſterius autem ſolũ truditur: Sic & in ijs, quæ alterantur, ſenſile quidem ſolũ trudit, ſiue mutat. Quod autem intercedit, & mutatur à ſenſili, & mutat ſenſum. Senſus autẽ ſolũ mutatur. Sed eſt differentia, quòd in manu quidem, & uirga poſt locum erat motus: in alteratione autem, non moto ſenſili, facta eſt mutatio. Et quod truſit, alterũ facit, ita ut trudat. Pulchrè hoc dixit. Manus enim, quæ truſit, alterũ facit, ita ut uirgã trudat. Hoc eſt ergo quod ipſe dixit, Multa autem intermedia. Hoc rectè dixit. Poteſt enim eſſe intermediũ & uirga, & lignum, & ferrũ: & ideo mouet: et in ijs, quæ nõ mouẽtur, poteſt eſſe intermediũ & aër, & aqua, & quædam alia. Dixit ergo, multa eſſe intermedia. Præterquam quòd in eodem loco manẽtia alterant. Facultas, inquit, quæ ſecundũ locũ mouet, non finit in eodẽ loco id, quod mouetur. Senſile autem ſenſum alterans eum in eodem loco finit.

Qemadmodum, ſi in ceram tinxerit quiſpiam, eo vſq; mouetur, donec tinxit: lapis autem nihil. Sed aqua quidem valde longe, aër autem plurimum mouetur, & agit, & patitur, ſi maneat, & vnus ſit. Et ideo etiam de reuerberatione, melius, quàm viſum exeuntem reuerberari, aërẽ pati à colore, & figura, donec vnus ſit. In plano autẽ, & leui vnus eſt: & ideo rurſus ipſe quoq; viſum mouet: quemadmodum, ſi ſignum, quod eſt in cera, tranſmiſſum ſit vſq; ad finem.

Quia de intermedijs agitur, quæ formas tranſmittunt: propterea etiã in ijs, quæ imprimuntur, intermedijs differentiã dicit. Cera enim, inquit, aliquouſq; imprimitur: ſed nõ per totũ: aqua autem pluſquam cera. per ſe enim ferme totam formas ſuſcipit. Aër autem per ſe totũ propriè formas ſuſcipit. Eſt enim eiuſmodi, qui facile imprimi poßit. Quædã autẽ omnino nõ imprimuntur, ut lapis. Aër autem imprimitur, ſi maneat unus, & infractus. Si enim interciſus fuerit aër, non tranſmittit. Intercluditur autẽ ab aſpero ſenſili, in aſperis in minutas partes diſſectus.

*ctus. Aër autem in planis, & leuigatis in partes non ſcinditur. Et ideo reuerberatio fit propriè à planis & leuibus: eo quòd aër nõ interciditur, qui intercedit. Si autem manet unus aër, & à ſenſili patitur: poteſt reuerberari. Vnde & de reuerberatione melius quàm uiſum exeuntẽ reuerberari, aërem &c. Deſunt hic multa. Eſt autem contextus in hyperbato ſic legendus. Melius eſt dicere aërem pati à colore uel figura, quàm ſupponere uiſum exeuntem reuerberari.*

Quòd autẽ fieri nõ põt vt ſit ſimplex corpus animalis, apertum. Dico autem vt igneũ, vel aëreum. Sine tactu enim nullũ alium ſenſum contingit habere. Tactiuũ enim corpus animatum totũ, vt dictum eſt. Alia autẽ extra terrã ſenſoria quidem fuerint. Omnia autem, eo quòd per alterum ſentiant, faciunt ſenſum, & per ea, quæ intercedunt. Tactus autem eſt, quòd ipſa tãgat: & ideo hoc quoq; nomẽ habet. Atqui & alia ſenſoria tactu ſentiunt, ſed per alia. Ipſe autem ſolus per ſe. Quare eiuſmodi quidem elementorum nullũ fuerit corpus animalis. Neq; verò terrenum. Omnium enim tactus, tangibilium eſt vt medietas. & ſuſceptiuum eſt ſenſorium non ſolum earũ, quot quot ſunt, terræ differentiarum, ſed & frigidi & calidi, & aliorum omnium tangibilium. & propterea nec oſsibus nec pilis, nec eiuſmodi partibus ſentimus, ꝙ ex terra ſint. & plantæ nullum propterea habẽt ſenſum, quòd ex terra ſint. Sine tactu autẽ fieri nõ poteſt, vt vllus ſit alius. Hoc autem ſenſoriũ nec ex terra eſt, nec ex ullo alio elemento.

*Communionem dicit poſt diffe*[illegible]*tiam, quòd mixta ſunt animalia, neq; enim ex igne poſſunt eſſe ſenſoria. corrumpit enim: neq; ex aëre, uel aqua, uel terra. & dicta eſt in contemplatione omnium cauſa.*

Manifeſtum ergo, quòd neceſſe eſt hoc ſolo ſenſu priuata animalia mori: neq; enim poteſt habere non animal.

*Hic primum dicit argumentum. quòd tactus eſt neceſſarius, eo quòd hoc priuatum perit animal. Si autem alio priuetur, non perit.*

Nec, quod eſt animal, alium neceſſe eſt habere præter hunc.

*Secundum eſt argumentum, quòd tactus ad animal conuertitur. Quare eſt neceſſarius.*

Et propterea alia quidẽ ſenſilia exceſsibus non corrumpunt animal, vt color: & ſonus: & odor: ſed ſolũ ſenſoria: niſi ſit per accidens. Vt ſi vna cũ ſono ſit truſio, & ictus: & ab intuitu, & odore alia mouentur, quæ corrumpunt. Porró & ſuccus, quatenus cõtingit eſſe tactiuum, ea ratione corrumpit. Tangibilium autem exceſſus, vt calidum, & frigidũ, & durum, perimunt animal. Cuiuſuis enim ſenſilis exceſſus perimit ſenſorium. Quare & tangibile tactum. Eo autem viuere definitũ eſt. Sine tactu enim oſtẽſum eſt non poſſe eſſe animal. Quamobrem tangibilium exceſſus nõ ſolum ſenſorium corrumpit: ſed & animal.

*Tertium eſt argumentum, quòd exceſſus tactus totum animal corrumpit. Ex hoc autem & aliud naſcitur argumẽtum, quòd tactus eſt in toto corpore: alij autem ſenſus in uno ſenſorio. & ideo unum ſenſorium lædunt in exceſsibus, & non totũ corpus, niſi per accidens truſione: & dictum eſt in contemplatione, quomodo etiam per tactum hæc corrumpunt.*

Quia hunc ſolum neceſſe eſt habeant animalia. Alios autem ſenſus habet anima, vt dictum eſt, non vt ſit, ſed vt bene ſit.

*Quintum dicit argumentũ, quòd tactus ad id, quod eſt, eſſe, confert, quod eſt neceſſarium. Alij autem ſenſus ad id, quod eſt, bene eſſe, ut uiſus. Per uiſum enim nos quidem ſcientias cognoſcimus: feræ autem per uiſum cicurantur, manſueſcunt, & docentur. Non ſolum autem ad id, quod eſt, bene eſſe, cõferunt alij ſenſus, ſed & ad id, quod eſt eſſe ſimpliciter, eo quòd procul uidens, uel audiens, uel olfaciens, ex grauibus, & formidandis aliquid, eorum effugiat inſidias & pericula. Quare cùm aliquando quidem dicit, ad hoc ut ſint, aliquãdo uerò, ut bene ſint, alios ſenſus conferre, nõ aduerſatur ſibijſi. Ad utrunq; enim cõferũt.*

Vt viſum: nempe quia in aëre, & aqua videt, & omnino, quia in perſpicuo.

*Ad hoc ut bene ſint, inquit, eſt uiſus. Eſt enim ad uidendum per perſpicuum aërem & aquam. Si enim per ea non uideret, fruſtra eſſent aër, & aqua perſpicui.*

Guſtum autem propter iucundum, & moleſtum: vt ſentiat id, quod eſt in nutrimento, & appetat, & moueatur.

*Porrò & guſtus, inquit, ad hoc, ut bene ſint, confert, ut ſentiat id, quod eſt in nutrimento, iucundum, & moleſtum, & iucundum eligat.*

Auditum autẽ, vt ei aliquid ſignificet. Linguam autem, vt aliquid ſignificet alteri.

*Videtur in irrationalibus hoc non eſſe firmum. Quid enim poßit eis ſignificari? niſi dicas, quòd ſuos audientia fœtus eorũ curam gerant, & eſt aliqua ſignificatio. Vel dic, quòd etiam ea, quæ apud nos ſignificant, audientia irrationalia manſueſcunt. Linguam autem, ut aliquid alteri ſignificet. Hoc non eſt irrationalibus. Neq; enim habent linguam ad aliquid ſignificandũ, ſed ad guſtandum omnino. Non tutò ergo dictum eſt. Et in his praxis, deo eſt gratia, finitur.*

FINIS.

1969
RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
PESCARA